This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.


+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/



SILAS WRIGHT DUNNING
BEQUEST
UNIVERSITY OF MICHIGAN
GENERAL LIBRARY

DB
204
.D63

GELASII DOBNER A S. CATHARINA
E CLERICIS REGULARIBUS SCHOLARUM PIARUM

EPISTOLA APOLOGETICA

ADVERSUS

LUCIFERUM

URENTEM, NON LUCENTEM*,

QUA

GENTIS CZECHICÆ ORIGO A VETERIBUS ZECCHIS ASIÆ POPULIS, ET PONTI EUXINI MÆOTYDISQUE ACCOLIS VINDICATUR.

SEU

APPENDIX ET ELUCIDATIO PRODROMI ANNALIUM HAGECIANORUM.

Non mihi ingenium aut votum inclareſcendi per turbas. Si privatim laceſſit, ſilebo, ſi publice, quid niſi me, meaque vindicem & aſſeram a maligno dente? Sed ſine conviciis & meo more. *Juſtus Lipſius adverſus Dialogiſtam in cap. I.*

CUM FACULTATE CENSURÆ REGIÆ, ORDINARII, ET SUPERIORUM ORDINIS.

* *Ita in quibusdam exemplaribus titulum excuſum lego, typographi quidem ſeu ſcribæ errore, ſed vero omine.*

PRAGÆ,
TYPIS JOANNIS JOSEPHI CLAUSER, REGII TYPOGR.
ANNO MDCCLXVII.

DB
204
D63

Ex iis, qui declinant a veritate, alii ſe ipſos ſolos, alii vero propinquos quoque conantur fallere. Atque ii quidem qui appellantur δοξόσοφοι id eſt opinione ſapientes, qui ſe veritatem inveniſſe exiſtimant, nullam veram habentes demonſtrationem, ii ſe ipſos decipiunt, quorum non parva eſt multitudo. . . Alii ſunt valde callidi & aſtuti, qui etiamſi ſatis ſciant ſe nihil ſcire, probabilibus tamen argumentis obſcurant veritatem. *Clemens Alexandrinus l. 7. Stromat.*

Dunning
Baer
6-18 40
40835

ILLUSTRISSIMO
DOMINO DOMINO
FRANCISCO CAROLO
S. R. I. LIBERO BARONI
KRESEL
DE
GUALTENBERG,
SUÆ SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆ APOSTOLICÆQUE
MAJESTATIS
CAMERARIO ACTUALI
SUPREMI IN REGNO BOHEMIÆ GUBERNII
NEC NON
CONSESSUS IN CAUSIS SUMMI PRINCIPIS
ASSESSORI
COMMERCIORUM TRIBUNICIORUM
PRÆSIDI
DOMINO
DYNASTIARUM WRBITSCHAN ET TRZEBUTSCHIN
MOECENATI SUO SUMME COLENDO
AUTHOR
VITAM ET FELICITATEM.

Ut primum apud animum meum conſtitueram Luciferum ſuperiore anno adverſus Annalium meorum Hagecianorum Prodromum emiſſum confutare, vindiciasque ſcribere: rei argumentum officii me commonuit, non alteri eas, quam ILLUSTRISSIMO NOMINI TUO eſſe nuncupandas, eo maxime, quod idem Prodromus meus TE omnium primum Præconem Laudatoremque nactus ſit, qui eum non modo typis dignum probavit, ſed & publico præconio ornatum eruditis commendavit. Quo in teſtimonio præterea diuturnum TUUM patriæ hiſtoriæ expurgandæ deſiderium congenitæ humanitati junctum mire enituit, cum incolumitatem, easque vires mihi ab alto benevolentiſſime precatus, quæ pares eſſent cœpto hiſtorico meo operi perficiendo. Nam cum eo tempore, quo primitias hiſtoricorum meorum conatuum in lucem emittere meditabar, honorificentiſſimum Præſidis Cenſuræ Regiæ munus gereres, easque, ut preli beneficio donarentur ad TE deferrem, non ſuſtinuiſti BARO ILLUSTRIS-

SI-

SIME, *ut eis alius atque* TU IPSE *Cenſor obtingeret, idcirco pro illa diuturna ſincerioris hiſtoriæ Boemæ ſiti extemplo prehenſas manu, legiſti, expendiſti, ac denique eas nusquam merito laudis teſtimonio, quod opuſculi hujus fronti in Cenſuræ ritum præmiſſum eſt, decoraſti.*

Ne itaque BARO ILLUSTRISSIME *cuiquam minus ſincerarum mercium nundinator laudatorque videaris, aut ſuſpicione apud eruditos vapules, ſcientiam* TIBI *deeſſe, rebus juſtum pretium ſtatuere: partium mearum eſſe duxi non tam graviſſime læſam exiſtimationem meam, quam honorem* TUUM *ſummamque doctrinæ famam vindicare, Apologia hac, inquam, orbi literato teſtatum facere: Luciferum nonniſi armis petitis a contemtu & malevolentia adverſum me Prodromumque meum dimicaſſe, nihil contra a me niſi probum ſincerumque ex veterum hiſtoricorum penu deprompum fuiſſe, ut proinde commendationi verbisque* TUIS *ſalva atque integra perſtet fides, cum opuſculo meo priſcæ veritatis ſinceritatisque teſtimonium dediſti,*

cum

cum ſcripſiſti: me ex primis vetuſtiſſimisque Græcis Latinisque ſcriptoribus (quos merito unicum hiſtoriæ patriæ fontem appellas) ſinceriorem verioremque Boemiæ hiſtoriam, reſectis fabulis, architectari.

Atque hoc præcipuum inſcriptæ ILLUSTRISSIMO NOMINI TUO *Apologiæ hujus caput & argumentum. Alia ſunt, quæ me pridem* ILLUSTRISSIMIS GRATIIS TUIS *obnoxium reddidere. Ab eo enim puncto temporis (quod merito inter fauſta auſpicataque momenta mea præcipuum deputo) quo me* TIBI BARO ILLUSTRISSIME *innoteſcere contigit, ea ſemper humanitate, benevolentia, gratiaque complexus es, quæ perpetuò memorem animum, & quodpiam redhoſtimentum a me expoſcebant, quæ denique hunc peropportunum locum tempusque eſſe innuebant, quo gratam animi mei vicem publico monumento teſtatam facere, & cumulo illi beneficiorum ſaltem in partem aliquam reſpondere liceat.*

Me-

Memor itaque, & conſcius ſibi eſt animus meus, quid ILLUSTRISSIMIS GRATIIS TUIS *debeat, novit longe infra meritum eſſe, quidquid in gratæ memoriæ documentum his plagulis adornare parat, nec ignorat avitæ Nobilitati, ingenio & labore quæſitæ ſummæ doctrinæ, egregiis de Republica Bohemâ meritis* TUIS *non tam epiſtolam dedicatoriam, quam panegyricum fuiſſe deſtinandum; cui quidem concinnando nec defuiſſet rerum ubertas, nec ipſa voluntas, niſi modeſtia* TUA *ab omni ſupercilio laudumque illiciis alieniſſima frena injeciſſet officioſæ huic cupiditati, niſi certo proſpexiſſet animus, hac laudum* TUARUM *celebratione, ſe non tam gratiam, quam inclementiam* TUAM *ſibi conciliaturum, non neſcius nihil magis* TIBI *inviſum exoſumque videri, quam quod ad laudationes* TUAS *quoquo modo ſpectare cognoſcis. Patere tamen* BARO ILLUSTRISSIME, *ut vel* TE *invito breviter aliquam nominis meritorumque* TUORUM *memoriam ad poſteritatem tranſcribere mihi fas ſit, ut ne fraudetur patria Virorum illu-*

ſtri-

ſtrium ſuorum cognitione, & concives TUI *aliquando plura virtutis, doctrinæ, prudentiæque exempla habeant, quæ intueantur, quæ æmulentur, factisque ſuis exprimant. Liceat inquam poſteris nota hæc facere, quæ nemo eſt hodie, qui in* TE *non admiretur, maximique faciat.*

Et quidem vix TE *in lucem edito jam viſæ Muſæ cunabulis* TUIS *accurrere,* TE *amplecti ſinuque ſuo fovere in ſpem ſuam maximam olim excreturum, ut proinde a prima ætate jam omnis liberalis ars & doctrina* TE *delectare occiperet, nec ulla unquam jucundior neceſſitudo, quam cum Muſis, cum earum Magiſtris, cum Viris eruditione claris, cum libris doctrina conſpicuis intercederet. Qui amor, ardorque in ipſam adultam jam ætatem tranſiit, ut etiam Regiis muneribus ſpectatus, & negotiis quibusque graviſſimis diſtentus diſcere tamen &* TIBI *utile & glorioſum deputes, his laudabiliſſimis conſiliis, Marci Aurelii Imperatoris exemplo, ipſam quoque ſeram ætatem deſtinando. Quare linguarum hactenus* TIBI *incompertarum*

Ma-

Magiſtros domum TUAM *vocare, Collegia noviter erecta diſciplinarum frequentare voluptati ſumme ducis; Id unum votum animo verſans, ut artium & diſciplinarum omnium intima quæque ac abſtruſiſſima cum præcipuarum Europæ linguarum cognitione exhaurias, ut in Politicæ ſtudiis, hiſtoriarum, antiquitatisque perceptione, in rebus inventis, in ſcriptis actisque tam ſuperiorum, quam præſentis ſæculi expoliatur ingenium* TUUM *ad omnia maxima natum.*

Et vero deſtinavere Muſæ his celeribus in omni eruditione carpenda paſſibus jam ante virilem prope ætatem ſuum præmium, laurumque nexuere; Nam cum AUGUSTISSIMA ROMANORUM IMPERATRIX ET REGINA BOHEMIÆ *ſcientiarum* STATRIX EXPOLITRIXQUE *ingenium* TUUM *maxime accommodatum perſpiceret ad moderandum Juriſprudentiæ ſtudium,* TE *ſub Academiæ Pragenſis reformationem primum Directorem Facultatis hujus clementiſſime nominavit; quod munus quanta accuratione, peritia, prudentia, atque ſeduli-*

tate geſſeris, teſtes recteque factorum praecones ſuperſunt adhuc Clariſſimi Viri hujus inclitae diſciplinae Magiſtri, quibus amor veneratioque TUI *imperium fuit, quibus* TUUS *fervor & induſtria calcar ad omnia praeclara exequenda.*

Haec juriſprudentiae rite atque cum laude adminiſtratae fama TIBI *primum aperuit aditum ad Regium Conſeſſum in cauſis ſummi Principis, tum ad ipſam Repraeſentationem Regiam, mox ad Cenſurae Regiae Praeſidium; renovata autem ſummorum Regni Miniſteriorum forma ad ſupremi Gubernii Concilium, denique ad Praeſidis Tribuniciorum Commerciorum, Regnique Senatus dignitates, in quibus omnibus cum admirandae rerum intelligentiae prudentiam, aequitatem, ſolertiamque adjunxiſti, quis eſt qui* TE *non amet, veneretur, praedicetque? quis eſt qui ab aetate magis ſera non majora ſibi polliceatur? Inter res autem tot* TUAS *iſthic tam pro Reipublicae univerſae quam ſingulorum commodis & ſalute praeclare geſtas, ea non poſtrema ſilentio premenda eſt, cum hoc ipſo, quem claudimus, anno ad exae-*

quan-

quandas finiendasque limitum Bavaricorum inter privatos controverſias inquiſitor, arbiterque miſſus, duorum non amplius menſium ſpatio negotium pene omne ſapienter feliciterque confeciſſe viſus.

Scio hæc faſtidire animum TUUM *ad omnem modeſtiam natum factumque, indulge tamen officio & amori noſtro, ut cum rubore* TUO *vel tribus verbis unum adhuc de inclita proſapia* TUA, *quod poſteritatis Bohemæ noſſe cumprimis intereſt, adjicere liceat:* TUIS *nimirum eximiis meritis Avorum ſerie claram Equeſtrem Familiam* TUAM *in Dominorum Baronumque Ordinem fuiſſe evectam, & paulo poſt Cæſareo-Regii Actualis Camerariatus prærogativa nobilitatam.*

Plura dicere libet, ſed video TE BARO ILLUSTRISSIME *mihi innuentem, imo minantem oculis, audio* TE *voce inclamantem, ut tandem prædicationibus his finem faciam, quas non majoris unquam quam palporum adulationumque nomine accipis. Ne itaque ultra moleſtus auribus oculisve* TUIS *accidam*

dam, brevi voto finio: Soſpitet TE *Deus O. M. & literarum flori, reipublicæque bono quam diutiſſime ſuperſtitem præſtet, ut eam, quam de medio vitæ* TUÆ *curſu concepit ſpem patria, conſequentibus ſeriſque annis non modo expleas, ſed etiam ſuperes; illa autem quæ hodie perhonorifica geris munera, gradus* TIBI *quidam ſint ad ampliora occupanda. Quod ſupremum Numen efflagitare nunquam deſinam.*

CON-

VIRO CL.

W. P. D.

GELASIUS DOBNER a S. CATHARINA

S. P. D.

Haud aliter Vir Cl. toto opuſculo tuo plaudis, inſolenterque tripudias, atque ſi victoriæ ſecurus ex me fuſo, fugato, caſtris exuto, arena multato numeroſiſſimas collegiſſes lauros; triumphas inquam & cum magno ſupercilio equis albis ubique veheris, prorſus immemor: triumphatores quosque in illo ipſo ſui triumpho fortunæ adverſæ fluctibus non raro conſepultos, ut pene momento ovaſſe viſi ſint in ſepulturam. A clade hac, quam tibi ſomnus aliquis, ſeu vana quædam opinio effinxit, ut mihi etiam ſpem omnem reſpirandi præcideres, neſcio quam minacem, terrificamque *Luciferi* larvam opuſculo tuo induiſti, procul dubio ratus me vel conſpectu monſtri hujus terrendum, & inſtar Plautini vernulæ trepidatione hærentem *me me ipſum qui ſim, fuerimque, negaturum, inficiaturum dicta omnia*, retractaturum, inquam, illa, quæ non pro more tuo unius alteriusve menſis

ſis (a) ſed plurium annorum labore, omnium pene veterum hiſtoricorum pertractatione, jugi, meditataque deliberatione in Annalibus meis Hagecianis certa ſtatui, docuique. Ut verbo rem expediam: Pæana cecinisti ante victoriam, in auras abiit repetitus tubarum tuarum clangor, tympanorumque ſtrepitus; nam eadem plauſus tui præcipitatio eſt, & incogitantia, quæ Getæ illius apud Sidonium Apollinarem (b) jactantius adverſus Romanas acies criſtas attollentis:

Jam promptus caluiſſe tubis, jam jamque frequenti
Cæde ſepulturus terram, non hoſte ſepulto.

Id unum videlicet oblitus hoſtem tuum non modo non ſepultum, ſed ne victum quidem, aut a pugnando feſſum, imo vivere, pollere integre judicio, viribus, atque armis, noſſe in cute Pyrgopolinices, Thraſonesque, qui vel uno macheræ ductu totas ſe fudiſſe acies gloriantur. Immemor etiam eras nonniſi puerilem ætatem & muliebrem ſexum terriculoſis minacibusque verbis, aut larvis & lemuribus in timorem dari. Nihil iſtiusmodi glaucomatibus apud viros cordatos profeceris, norunt illi leonis exuvias, norunt cicadarum ſtridores, norunt ranarum garrulitates, nec ignorant monſtris & lemuribus ſuas detrahere larvas. Nihil itaque me terrent, nihil conturbant terriculoſi tui Luciferi tanquam minacis cujuspiam Goliath, exercitus Dei viventis execrantis, fulgurantia & gigantea arma, adverſus quæ me ſolo Davidis pedo & funda præmunio, modeſtia, inquam, & veritate; illo latratus morſusque intentatos diſpulſurus, hac ſuperciliosam Luciferi tui cervicem humi deturbaturus. Non enim libet par pari reddere, non libet acerbitatem ſtyli tui (ne aſperiori quadam cenſura utar) obtrectationibus, ſatyris, contemtu, injuriisque penſare, quo ſcribendi genere nec vincere unquam ambii, & vinci etiam glorioſum perpetuo

(a) Ita author per urbem jactabat ſe ſe quadrageſimæ unius ſpatio rem omnem confeciſſe. (b) Sidonius Apollinaris in Panegyrico Aviti v. 413.

tuo duxi. Si ſatyras texere otium, aut animus eſſet, credisne Horatium, Juvenalem, Perſium, Catullum, P. Syrum Mimum, aut eum, qui hodie inter ſatyricos familiam ducit, Rabnerum, mihi eſſe incognitos? næ tu & lotus, & lautus, & lavatus, pexusque tanquam ex balneo redires, ſi horum armis plene uti collibitum eſſet animo noſtro. Pridem & ante annos bis octo argutiarum fontes, ſatyrarumque præcepta diſcipulos meos docui. At odi execrorque in hiſtorico hoc licentioſum ſcribendi genus, a quo paſſim modeſtia, veritas, fides, integritasque exulare ſolet, contra obtrectatio, livor, contemptus, aliena carpendi, ſiniſtre interpretandi, conviciandique pruritus effuſis habenis ferocit. Nec vero video, quis in his ludicris, obtrectationibus, cavillisque eruditionis fructus? iisne veritatem hiſtoricam ſartam tectamque reddas? aut narratis tuis fidem concilies? Imo cauſam quamque optimam e pretio & poſſeſſione ſua nonnunquam deturbes. Nam etſi non defuturi ſint Ariſtarchi quipiam, adulatores, mimique, ac cumprimis indocta plebs, qui ſublato riſu facetiis, nugisque tuis applauſuri ſint, at quid ad hæc univerſus eruditorum cœtus non verba, ſed res penſantium? quorum unanimis argumentatio futura eſt: defuiſſe tibi authoritates, defuiſſe monumenta, & argumentorum pondera, defuiſſe ingenium ad cauſam convincendam, nec aliam ob remte arma mutuaſſe a contemtu, a livore, ab obtrectationibus, quam ut vel hoc ipſo ſaltem genere ſuperior ex arena deſcendiſſe videaris, incautis nempe imperitisque animis lenocinio quodam in rete tuum tractis. Si præſto ſunt monumenta legitima, ſi ingenii vis argumentorum pondera ſuppeditat, ſi ratio, auctoritasque arma ſubminiſtrat, quid opus momi perſonam ſuſcipere, & graviſſimum hiſtorici munus nugis, gerris, lyris, cavillationibusque temerare? Non tam rudi, non tam iniquo hodie utimur ſæculo, ut ne veritati æquitatique ſuum pretium ſciat ſtatuere, & triumphum decernere etiam optet.

At vero non me etiam tædeat, pigeatque rem pridem cuſam malleatamque ad incudem revocare? quid mihi voluptatis ferat ad ſpinoſa patriæ, gentisque noſtræ incunabula, loca inquam & tempora teſquis, cymmeriisque tenebris horridiora rurſum vi quadam deturbari, & poſteaquam tot locis in meis Annalibus fortunæ meæ gratulatus ſum, applauſique, me hæc tandem vada, has ſyrtes, hos ſcopulos enavigaſſe, denuo adverſariorum meorum impetu in altum propelli? Non virum ad certiora hiſtoriæ patriæ capita properantem pœniteat operæ in has quisquilias profundendæ? non temporis in re tam inutili perdendi, quod in proſecutionem accelerationemque reliqui hiſtorici operis fructuoſius converti potuiſſet? Sed vel invitum cogit honor, exiſtimatioque mea graviſſime ſauciata, cogunt adverſarii plauſus & jubila triumphi ritu profuſa, cogunt tela, quibus ſcripta mea indigniſſime petuntur, cogit ſophiſmatum glomeratio, efficto-rum, truncatorumque teſtimoniorum ſubjectio, denique monumentorum quorumque larvata antiquitas, authoritasque, quæ hiſtoriæ monſtra ne municipium hiſtoricæ civitatis fraudulenter involent, noſtro ſilentio & temporum longinquitate ſecuritatis quadam ſpecie occupent, commodandum id erat otii refutationi huic, detrahendum quidpiam ſeverioribus, & ſupprimendus dolor ex jactura temporis in animo noſtro enatus. Eadem igitur mihi, quæ juſto Lipſio, impoſita neceſſitas, dum adverſus Dialogiſtam ita commentatur. (a) *Primus iſte eſt (heu fatum Lipſii!) qui procaciter & ex ſupervacuo me laceſſit. Quem ut imiter, non adducar: perſuaderi tamen mihi paſſus ſum, ut reſpondeam, ſive quia publice intereſt, tam effrænem petulantiam reprimi & retundi, ſive quia mea: calumnias & mendacia levi manu abſtergeri, quibus nos aſpergit.* Sed ad rem ipſam propius accedamus.

Mirum unicuique hiſtoriarum veterum gnaro videri merito debet, ſeu a te Vir Cl. ſeu ab aliis contumaciter adſtrui

ac

(a) Juſtus Lipſius adverſus Dialogiſtam in Dedicat.

ac propugnari, originem Slavicæ gentis in Bohemia, quam ſæculorum poſteriorum ſcriptores prodidere, indubitatam eſſe, nec ullis fabulis commentiſque innixtam; poſteaquam inter omnes eruditos convenit, omnium vetuſtiſſimarum, olimque & ſago & toga celeberrimarum gentium principia hoc nævo eſſe infecta, adeo ut vel omnium Principem Romanum populum hac cenſura non eximat Livius, (a) dum ſcribit: *Ante conditam condendamque urbem* (Romam) *poëticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis* teſtata eſſe. Et Iſidorus. (b) *De auctoribus conditarum urbium* (ita & gentium) *plerumque diſſenſio invenitur, adeo ut nec urbis Romæ origo poſſit diligenter agnoſci.* Mirum, inquam, hanc prærogativam præ ceteris gentibus uni deberi Bohemiæ uſque ad ipſa SS. Cyrilli & Methudii tempora, ipſumque ſæculum IX. exiens characterum uſu deſtitutæ, ut hiſtoriam incunabulorum ſuorum incorruptam acceperit, quæ tam certa omnique dubio vacua ſit, ut ſummi res piaculi ſit adverſum mutire, ſeu verbo fidem illius ſuſpectam reddere. Nam ſi primordia hiſtoriæ patriæ, vel ipſo primo ſcriptore Coſma duce, fabuloſa eſſe adſtruas, tanquam œſtro perciti frendent, & ringuntur; ſi Czechi memorias veterum monumentis hiſtoriiſque conciliari minime poſſe legitimis gravibusque argumentis convincas, atque idcirco ex Annalibus patriis expungendum cenſeas, tanquam blaſphemiam edixiſſes, aut alicujus ſupremi numinis majeſtatem læſiſſes, omnem ſtomachum in te evomunt, & cum argumentis atque authoritatibus te refellere, & cauſam ſuam tueri pares haud ſunt, integris plauſtris conviciorum injuriarumque in te invehuntur. Ædepol! calcar & ſtimulum ſumme idoneum ad excolendas artes atque ſcientias! remedium efficaciſſimum ad eruendas veritates! jucundiſſimum ſummeque laudabile inter eruditos diſceptandi genus, conformiſſimum inquam illi Critices legi: *Omnis verborum contumelia aſperitasque qua*

 voce

(a) Livius Dec. 1. L. 1. (b) Iſidorus L. 15. Etymolog.

voce qua calamo abſit. Age, loquere Vir Cl. cum modica turba tua: quod fidei, religionisque præceptum, quod Principis, Ordinumque decretum, quæ civilis politicaque lex unquam ſtatuit Czechum tuum pro primo conditore gentis noſtræ agnoſcendum eſſe, ut tibi illique ſummi piaculi genus videatur illum negaſſe? bonorumne morum corruptelam, juris cujusdam læſionem, aut vulnera reipublicæ adverſa intentat opinio? an ſacrilegium eſt poſteriorum hiſtoricorum noſtrorum ſomniis fidem non habere? Num ille tuus Hagecius, quem ubivis idoli inſtar adorandum mones inculcasque, non adhuc ævo ſuo circa Czechiæ, Czechorumque originem inter hiſtoricos triplicem imo quadruplicem opinionem viguiſſe teſtatus eſt in Procemio Annalium ſuorum? An in Theologicis, Philoſophicis, Mathematicis, Juridicis, Medicisque diſciplinis nullas diverſas ſibique oppoſitas eſt reperire ſententias? An igitur vel eo capite, quod quis a tua opinione diſſentiat, tecumque non faciat, ſtilus omni impetu & acrimonia in eum exacuendus? an idcirco dignus deputandus, quem cœlum, & terra omnibus odiis exagitet? Nec ego te Vir Cl. nec quemquam alium urſi coegique, ut ad ſententiam meam accederetis, liberum cuique, quod deligeret, reliqui, imo repetitis vicibus in annalibus monui, ut cui animadverſiones meæ non probarentur, Hagecium, quem iſthic integrum excuſum haberet, plena integraque voluntate, per me licet, ſequeretur. Nam cum Rhabano ingenue mentem meam explico: *Nemo noſtri laboris uſum habere cogit invitum, quia ſtudioſis tantum laboramus, non faſtidioſis. Melius enim mihi videtur, ut ſine invidia nominis mei, & deſpectu operis abſque rancore tranquilla mente legat ea, quæ ſibi prodeſſe cupit, quam cum reprehenſione atque irriſione alieni operis crimen detractionis incurrat.* (a) Tune vim inferas ingenio meo, aut compedibus vincias liberrimum arbitrium, juxtaque æquiſſimum judicium meum, ut quod delegit,

(a) Rhabanus in epiſt. ad Lupum apud Steph. Baluzium in oper. B. Servati Lupi.

legit, atque ex vetuſtiſſimorum monumentorum combinatione veroſimillimum eruit, temnat, rejiciatque? amplectatur contra tua, quæ cum ratione, criſi, tempore, hiſtoriarum veterum memoriis pugnare tam certo agnovit ac ſolem hodie ortum, aut oriturum? Itane ego, omnesque qui ſententiæ meæ ſuffragantur, & ipſa trium inclitarum Academiarum hodie florentium præcipua capita, cœci, indocti, rudes, invitaque Minerva nati tibi videamur, quod Czechi memorias in ſuſpicionem ſubleſtæ fidei merito vocemus? verbo, quia ſomniis tuis non adſentimur? Itane tu unus poſt hominum memoriam repertus, qui fontem omni æmulationi, ſcientiarum perpolitioni, veritatisque inquirendæ cupiditati præſtruere attentes, velisque ut orbis univerſus literatus in tuam abeat ſententiam, niſi vapulare, niſi cruciari, indigniſſimisque modis a te tractari malit? Quidni tibi tuique ſimilibus malum ab erudito orbe ominer, & juſto doloris ſenſu percitus verba Chriſti apud Lucam imprecer. (a) *Væ vobis . . . : quia tuliſtis clavem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis.* Per me licet, dum vives, tuere cum tuis Czechum, Zecchos meos veteres anhiſtriſiæ, fabulæque condemna, ſed non ægre quoque fer, ſi ſimillima cenſura Czechum tuum notavi, non tumultuare eam ob rem, non conviciare, non tanquam ad ſeditionem claſſicum intona, non concives meos, non inclitos Regni Ordines, non nobilitatem, non vicinas gentes Slavicas vanis argutationibus in odium meum meorumque opuſculorum provoca, non ubivis ligna invidiæ flammis ſuggere. Nuſquam legiſti verſum illum Eccleſiaſtis: (b) *Deus mundum tradidit diſputationibus eorum?* Egone primus ſum, cui Czechus fabulam ſubolere viſus? non legiſti in Parte mea I. & II. Annalium Hagecianorum facile bis ſenos exteros ſententiæ meæ anteſignanos? An defuere mihi vel patrii ſcriptores judicio & doctrina ſpectatiſſimi ſententiæ hujus duces propugnatoresque

(a) Lucæ c. 11. v. 52. (b) Eccleſiaſt. c. 3. v. 11.

que? Nolim in medium adferre Schleinicium Proto-Epiſcopum Litomericenſem a te ubivis non magno in pretio habitum, ſed an doctiſſimi Viri Joannis Oppelt Inclitæ Societatis Jeſu Alumni, a ſuisque operibus vulgatis hoc regno Clari Viri judicium tibi incognitum? Nunquam in illius *Pacis Monarchicæ Tractatu III. typis Carolo-Ferdinandeæ Univerſitatis Pragenæ anno* 1731. excuſo legiſti, quid de Czecho ſentiat? Jam vero habe: (a) Is poſtquam de Lygiis, & Marobodui, Tudri, Marcomannico Quadicoque genere breviter verba præmiſiſſet, ſubjungit: *Quare ſi quis perpendat ea, quæ de Marobaduo, de Marcomannis, Quadis, Hermunduris, & tot aliis has terras olim colentibus populis narrat idem ſcriptor (* Tacitus *) deque potentia, armis, urbibusque ſingulorum: facile deprehendet fabulas, quæ de Czecho & Lecho Slavicarum rerum ſcriptores ſomniant. Haud unquam nobis perſuaſuri ſunt, Czechum unum patrati homicidii judicium fugitantem cum Lecho fratre tantum potuiſſe populum ſub ſignis habere ad florentiſſima duo regna occupanda; quodſi tantæ illis copiæ erant, a quo domi ſuæ metuebant? Lege refutatas has fabellas apud Welſerum Lib. 1. c. 15. & apud Joannem Voburgium Tomo octavo Demonſtrationis ad annum Chriſti DCXLV. aliisque in locis. Æneas Sylvius in hiſtoria Bohemiæ clare: non Duce aliquo, ſed populatim, ſenſimque Slavos has terras Teutonicas ſubintraſſe. Tum vero minime credibile fertiles regiones penitus manſiſſe aliquando deſertas. Ac ne ipſe primus gentis Slavonicæ in Bohemia ſcriptor (* Coſmas *) ullius Czechi meminit: ſed de primo Duce ita fabulatur: (namque & ipſe ſenium fabuloſa narratione iſta ſe accepiſſe teſtatur in prologo ſuo) poſt diluvium huc adveniſſe quemdam Bohemum dictum (riſum teneamus amici) atque ex ejus etymo terræ nomen inditum eſſe; cum enim in monte Rzip (ſeu ſpecula) quæſtio eſſet, quodnam tam beatæ terræ nomen imponendum: ita comites egregii*

(a) Pacis Monarchiea Tractatu III. pag. 280.

gii Ducis loquentes inducit: " *Unde melius vel aptius nomen inveniemus, quam quia tu pater diceris Bohemus, dicatur & terra Bohemia?* " *Sed iſta forſan aliquis olim tractanda ſumet, Aniles Slavicorum Anhiſtoricon fabellas, & ridicula commenta acriori ſtylo jugulaturus, noſtra proſequamur!* Quid clariſſimi hujus Viri verbis ſubjiciam, niſi illud Juſti Lipſii? (a) *Dicas Virum hunc vatem fuiſſe, & ſcripſiſſe in hoc ævum.* Credisne vero, Criticæ ſtudio quotidie magis magisque eſloreſcente, neminem præter me auſurum fuiſſe has *Slavicorum Anhiſtoricon fabellas & ridicula commenta jugulare?* expertus procul dubio fuiſſes me priorem Reverendiſſimum ac Excellentiſſimum D.D. Antonium Wokaun (cujus quidem *annoſum famulum* (b) te fuiſſe gloriaris, diſcipulum in hiſtoricis nuſquam probaſti) niſi negotiorum multitudo pulcherrimum ejus laborem retardaſſet, poſtea plane invidæ Parcæ filum ſui HAGEKO-MASTIGIS abrupiſſent. Quis autem a triginta quatuor annorum intervallo, quo libere judicium ſuum de Czechi fabula explicuit Eruditiſſimus Vir Joannes Oppelt tanta acerbitate in illum calamum exacuit, ut tu nuper in me, ſcriptaque mea exerere auſus? egone uſpiam tanta atque ille ſcribendi licentia uſus, qui ipſum Coſmam fabulari, Slavicarum rerum ſcriptores ſomniare, hiſtorias noſtras, gentisque originem ridere, anilium fabellarum & ridiculorum commentorum loco habere non eſt veritus? Quæ tamen nolim quis ad invidiam hujus in re Poetica Hiſtoricaque exercitatiſſimi Viri, aut incliti ejus Ordinis detorqueat, ſed ex veritate penſet, afflictæque fortunæ meæ accommodet. Sed necdum omnia: Viſne præterea unum aliquem ex patriis hominibus, qui originem gentis noſtræ ab his ipſis veteribus Zecehis ſeu Zichis, tantum tibi inviſis, Mæotydis nempe & Ponti Euxini accolis multo ante repetierat? Is eſt olim & facie & conſuetudine mihi tibique notus Reverendiſſimus Vir Thomas Berghauer Decanus Wiſſehradenſis non ſemel

(a) *Lipſius adverſus Dialogiſtam in c.* 3. (b) Lucifer pag. 131.

ab exteris propter egregiam doctrinæ famam laudatus, qui in ſuo Proto-Martyre Pœnitentiæ c. 6. p. 179. ita erudite diſſerit: *Porro Czechicæ genti ante adventum in has Hercyniæ Silvæ oras ad fluvium Phaſis olim conſidentis teſtimonium reddit Procopius.* Nec immemor eris hunc ipſum locum a me coram crebrius tibi fuiſſe indicatum; ſed prætereunda tibi fuit Berghaueri, prætereunda Joannis Oppelt commemoratio, ut eo licentius omnia malevolentiæ, invidiæ, injuriarumque tela in me fas eſſet conjicere, ut ego unus veluti fax, Dux authorque inauditæ ſententiæ inſtar parvæ ſcaphulæ imperitæ plebis fluctibus exponerer, aliorum minus in rebus antiquis exercitatorum hominum impetuoſis Aquilonibus objicerer. Niſi id fortaſſis graviſſimum meum peccatum eſt, quod ea, quæ ſupra memorati ſcriptores ſtrictim ſine amplificatione, ſine teſtimoniorum robore aſſeruere, ego idoneis Græcorum, Latinorumque hiſtoricorum vetuſtiſſimis monumentis conſolidavi: Quod ſi peccatum eſt, ſique parva magnis conferre licet, næ peccavit maxime Chriſtophorus Columbus, qui cum creberrime in Geographis legiſſet, atque a pluribus rei nauticæ peritis intellexiſſet, deliteſcere adhuc per maris intervalla quasdam incognitas mundi plagas, ad eas detegendas primus omnium animum appulit.

Verum quid cauſæ eſt, quod tantoopere bilem tibi in nares cieat, cum Czechum conditorem gentis noſtræ negavi? cum prærogativam hanc potius vetuſtiſſimo olimque Regibus inclito Zecchorum ad Paludem Mæotydis accolenti populo vindicavi? Quantum reipublicæ noſtræ, quantum tua intereſt, nos originem ſeu a Czecho ſeu Zechis illis veteribus traxiſſe? Neminine propter ſtomachum tuum veritatem inquirere liceat? Mihine piaculum fuerit Czechum tuum impugnare, qui in hiſtoria nunquam municipium conſecutus eſt? qui ſi etiam *Boemus* ille Coſmæ fuit, ne quidem traditionis cujusdam veteris nomen meritus eſt, cum Coſmas ſe eum nonniſi ex *ſenum fabuloſa relatione* accepiſſe luculenter teſtatus ſit. Itane quia tu paucique conſiliorum tuorum ſocii

Cze-

Czecho coloſſos & delubra hodie ſtruitis, mihi inquirere nefas ſit, quod antiquitatis de eo judicium fuerit? num unquam a veteribus commemoratus? num memoriæ illius hiſtoriis coævorum temporibusque rite reſpondeant? Itane tibi tuisque, aut Czechi tui in gratiam ſupprimenda erant certiora hiſtoriæ indicia, quæ vetuſtiſſimi Græci, Latinique ſcriptores ſuppeditavere? ſeu fræna ingenio calamoque meo injicenda erant, ut ne ex horum combinatione (quandoquidem certa indubitataque originis teſtimonia non ſuppetunt) id, quod veroſimilius erat, eruerem ſtatueremque? Veroſimilius, inquam, non certum indubitatumque; nam ejusmodi ementito lenocinio nunquam merces meas hiſtoricas, opinionemque de veteribus Zechis Zichisve venum propoſui, ubivis vocabulo *veroſimilitudinis* utor, lege Prodromi mei præfationem, lege ibidem paginas 141. & 145. lege etiam reſponſum ad acta Eruditorum Parte II. meorum Annalium, omnibus his locis ingenue confiteor deeſſe coæva monumenta, verum indubitatumque tanquam dictatorio calculo definiri haud poſſe. Habui nempe perpetuo ante oculos illam generalem eruditisque omnibus tractatam Critices regulam: *Nonniſi maturo conſilio, probe perſpectis utriusque partis fundamentis, nova veteribus, vetera novis rite prius comparando, & quænam horum plus valeant, diſcutiendo, ferenda eſt criſis & cenſura.* Quin alacrem promptamque ſemper ad reformandum futuram voluntatem meam, ſi antiquiora, certioraque documenta detecta fuerint omnibus locis ingemino. Veroſimilius autem deligendum mihi erat, quia Czechi memorias fabulam eſſe tot veſtigiis expreſſum eſt, ut talpa magis cæcutierim, niſi ea viderim, imo palpaverim; quem cum nulla arte aut ſtudio licuerit cum veterum monumentis, cum hiſtoriis, cum temporibus, ipſaque ratione conciliare, quid ſupererat Annales patrios ex Criticæ legibus expenſuro, quam veroſimilius principium gentis noſtræ ex veterum indiciis eruere ac definire? At ſcio quid te feriat, quid te pungat: locus ille eſt Prodromi mei pagina 55. quo ajo, lecto-

rique polliceor, me *prope invictis argumentis* demonſtraturum: Czechiam non a Czecho ſed verius a Zechis nomen ſuum etymonque ſortitam. Verba *prope invictis argumentis* latus tuum ſauciant, is unguis eſt in ulcere tuo, id vulnus tanquam inſanabile omni loco cum dolore & gemitu oſtentas, ex his inquam verbis lectori pedicas cudis, conariſque eum inducere, ut ſibi perſuadeat, me opinionem de veteribus Zechis tanquam rem certiſſimam, hiſtoricamque veritatem propugnaſſe. Non *prope invicta*, ſed *invicta* argumenta certam fidem, & veritatem hiſtoricam definiunt, *hiſtoria* enim, ut Cicero ait, *eſt teſtis veritatis.* Quod *prope invictum* eſt, non eſt invincibile, & vinci poteſt, quemadmodum non unum idemque deputaveris, te hominem veracem, aut prope veracem, fidum aut prope fidum, hiſtoricum, aut prope hiſtoricum æſtimari, dicique. Poteſt idcirço vinci ſententia mea, ſed re nulla alia, niſi coævorum monumentis, niſi certiorum clariorumque veterum teſtimoniis, quod cum tu Vir Cl. nuſquam in tanta farragine argumentorum tuorum, in tanta cumulatione documentorum tota lucubratione tua, ut infra videre licebit, præſtiteris, majori ego jam confidentia pronuncio me invictis etiam argumentis oſtendiſſe: gentem noſtram a Zechis veteribus, minime a Czecho tuo originem traxiſſe. Sed de his ultra quam ſatis eſt.

Reſtat ut ad capita accuſationum tuarum, quæ graviſſima *Omiſſorum* & *Commiſſorum* cenſura notaſti, deflectamus. Ea omnia ex ordine opuſculi, & Paragraphorum tuorum recitabimus; ubivis fideliter verba tua ſenſumque relaturi, ac ſubinde locis ſingulis confutationes noſtras ſubjecturi, in margine vero paginas Luciferi tui adnotabimus, ut ſi lector rem in fonte ipſo copioſius legere maluerit, quo ſe præter jacturam temporis vertat, ſciat. Stylo plano, ut pene calamo profluxere, ſine pigmentis & veneribus, ſine rerum materiarumque nexu, tuo nimirum ordine ſingula perſequemur, nec enim operæ pretium ducimus in rem nullius pene momenti longiorem operam locare, & ventoſum quodpiam

capil-

capillatumque ſcribendi genus invitis canibus venari. Rem ipſam affatim & ad ſatietatem habiturus es, quæ, ſi veritati locum aliquem concedis, ſic expletura eſt orexim tuam, ut porro etiam nauſea tibi futura ſit cibos ejuscemodi deguſtare, & hac in re amplius quid urgere, aut ſcribere. Merito autem confutationes has meas *diſſolutas ſcopas* vocaveris, *quid enim tu ex ordine dicis? prima, media, ultima pleraque eadem, repetitio ubique & mixtio, & quod Græci dicunt πάντα μία κόνις.* Omnia idem pulvis; (a) magnis itaque ad repurgandum hoc Augiæ ſtabulum ſcopis opus. Sed ne ſuſpiceris me minaci in fronte Luciferi tui poſitæ *virgæ* minus civiliter ſcopas quasdam oppoſuiſſe, perturbata inquam rerum & materiarum ſerie has confutationes noſtras dabimus, modeſtiam enim nobis in omnibus tanquam regulam præſtituimus, ad quam omnia dicta, argumentaque noſtra accurate juxta ac rigide exacturi ſumus. Quod ſi tamen ſtylus nonnunquam videbitur acerbior: *Hoc obſecro* (verbis S. Hieronymi loquor) (b) *ut ſi mordacius quidpiam ſcripſero, non tam meæ putetis auſteritatis eſſe, quam morbi. Putridæ carnes ferro curantur & cauterio.* Nam ut cum Cicerone loquar: *effugere ſi velim nonnullorum acute aut facete dictorum offenſionem, fama ingenii mihi eſt abjicienda, quod ſi id poſſem, non recuſarem.* (c) Ea erit omnis auſteritas noſtra, quod tua in nos quandoque acerbius dicta in Luciferum tuum retorquebimus, in Luciferum, inquam, tuum, non te Vir Cl. Non enim ignorat univerſa Quadripolis alios Lucifero tuo ſcribendo fuiſſe folles ac ſufflones, alium ferri chalybisque propolam, alium denique fabrum ac expolitorem. Non profluxere ab humanitate, fide, ac prudentia tua tam enormes in me vibratæ obtrectationes, contemtus ac injuriæ, non ea minus civilis ſcribendi ratio, non ſophiſmata, non ſcriptorum veterum truncatio, ſubjectio, corruptioque, non monu-

(a) Juſt. Lipſius adverſus Dialogiſtam in præf. ad Lectorem. (b) S. Hieronymus L. 1. Apol. contra Ruf. (c) Cic. L. 9. Epiſt. 16. ad Familiares.

numentorum quorumque ſubleſta fides; ferant fabri malleatoresque Luciferi tui, quid quid peccatum eſt. Lucifer unus ſolusque a me nonnunquam petitur, quem tenebrarum non lucis Angelum ſuis exagitabo locis, hunc tibi Lector quandoque tam frictum tradam, quam frictum eſt cicer. Nomen tuum mihi eſto venerabile, non tam tui, quam incliti Ordinis, quam muneris tui, quam ſumme mihi ſuſpiciendorum Superiorum tuorum cauſa. Quare nuſquam in hoc opuſculo nomen tuum lecturus es; quamquam meum in lucubratione tua omnibus tibiis decantaveris. Mihi id ſolum curæ erit mea tueri, nomen honoremque meum nullo demerito graviſſime læſum vindicare, quod jus ipſa æquitas, omnes divinæ humanæque leges merito mihi concedunt. Nam ut de ſacris, civilibusque canonibus taceam, jam olim hanc æquitatem agnovit Romanus populus, cum ſcribit Quintilianus ſenior: (a) *In hoc ſcripta eſt lex: Ne quis impune ſit petulans.* Phædrus vero ipſi naturæ inſitam hac fabula tradit: (b)

Nulli nocendum: Si quis vero læſerit,
Multandum ſimili jure fabella ammonet.
Vulpis ad cœnam dicitur ciconiam
Prior invitaſſe, & ei liquidam in patina
Poſuiſſe ſorbitionem, quam nullo modo
Guſtare eſuriens potuerit ciconia.
Quæ vulpem cum revocaſſet intrito cibo,
Plenam lagenam poſuit huic roſtrum inſerens.
Satiatur ipſa, & torquet convivam fame.
Quæ cum lagenæ fruſtra collum lamberet,
Peregrinam ſic locutam volucrem accepimus:
Sua quisque exempla debet æquo animo pati.

Patiantur, inquam, malleatores Luciferi tui ſua exempla æquo animo, diſcant poſthac cautius mercari. Tu vero Vir Cl. vale. Dabam Pragæ in ædibus noſtris. *Kal. Auguſt.* Anno MDCCLXVI.

(a) Quintilianus ſenior Declamat. 372. (b) Phœdrus fab. 26.

CON-

CONFUTATIO DEDICATIONIS.

I.

Dedicatio Luciferi univerſæ Slavorum nationi inſcripta tanquam in ſcenam inducit deplorandam Czechiæ fortunam. Nullum tragoedum uſpiam inter veteres novosque legeris, qui alicujus perſonæ commiſeratione dignæ calamitatem tam exquiſitis verborum pigmentis, tantoque doloris ſenſu expreſſerit, atque Lucifer hic Czechiam. Si larvam hanc ſpectare libet, viſurus triſtem facie, lugubrem veſtitu, mœſtam inceſſu geſtuque, fœdam ſquallore & quodam lacrymarum imbre totum corpus perfuſam. Si aurem accommodaveris, audies ingenti ploratu ejulatuque aera quaſſantem, exaggerantem ſiniſtram fatorum ſuorum vicem, exacuentem ad commiſerationis ſenſum, ad vindictam univerſam Boemorum gentem, haud aliter animo proſtratam, atque ſi de gloria, de felicitate, de ſalute ſua civiumque ſuorum conclamatum eſſet. Sed propius hoc triſtitiæ deſperationisque ſimulacrum animo pene linguens accedere libet, cauſasque lacrimarum & ejulatuum explorare: Quid eſt, quod plores lamenteriſque mea ge-

nitrix

LUCIFER. nitrix, altrix, Dux, author, & parens quantularumcunque fortunarum mearum Czechia? explica doloris tui capitis, animique ſenſa. Verba ori ejus imponit Lucifer, & dicta hæc ſingultui mixta eam eructare jubet. *Illa ego . . . . ceu proſtibulum barbarorum ludor!* Principio dedicationis ſuæ. *" Czechiam, " inquit noviſſimus commentator mei Hageky: Czechiam non a Czecho ſed rectius a Zecchis dictam eſſe " multis ac prope invictis argumentis demonſtrare jam cura erit. Audiſti Zecchos? ipſa barbarie barbarius genus, nec aliud quam ignavum, ad ſervitutem natum, ſperma Tartarorum cogitate! Zecchos ajo audiſtis? ſunt hi ipſi Sinebi in hoc uno famoſi: quod humanis non hoſtium, ſed hoſpitum hoſtiis Deaſtros placare conſueverint; marique ipſi a violatis hoſpitalitatis juribus violentum indiderint nomen inhoſpitali. Sed jam ſat mature periere ad unum, qui naſci nunquam merebantur, neque hodie de iis orbis ſciret, niſi camerinam hanc* (hem ſuaviſſime redolens ex odorario Luciferi vocabulum!) *male olentem moviſſet Gelaſius, quam congelari ſatius erat, ne improbitas eorum probis incommodaret. At ardorem noſtrum non feret, imo ut gelu aut diffluet, aut diſſlabitur ocyſſime.* Heu me mortalium omnium infeliciſſimum! perii! nec ulla orci galea me teget tutabiturque ab infortunio, niſi propere iratum vultum Czechiæ fugio, patriæque æternum valedico. Quin imo: *Cui non rumpantur abdomen & ilia riſu?* helleboro tibi opus eſt mi Lucifer! qui ex capreæ ſaltu tragœdiam adornas. Quis tibi munus impoſuit? quis patrocinium tuum imploravit, ut Czechiæ perſonam tam indigne ſuſtineres? omniumne concivium meorum eadem tecum ſententia, incogitantiaque, ut fatorum omnium victricem, tot fortiſſimorum Heroum matrem, tot doctiſſimorum Virorum altricem, caſuum diſcriminumque proculcatricem tanquam contemptibilem aniculam plorantem ejulantemque in ſcenam inducas, omniumque gentium deridiculo exponas eam unam ſolamque ob cauſam, quia lectori in Prodromo meo pollicitus ſum me prope invictis argumentis oſtenſurum: Czechiam non a Czecho ſed Zechis, Zichis, Zingisve veteribus Aſiæ populis etymon ſuum derivaſſe? Itane ridicula Proſopopeja tua Palladem noſtram Czechiam fabulam & luſum orbi literato facere libuit? Sed ejulatus hujus quæ capita? quia Zechi hi *Tartarica ſcabie* progeniti, quia *hoſpitum hoſtiis deaſtros ſuos placare ſoliti:* Quo vero vel unico idoneo documento in tota lucubratione tua oſtendiſti hos ipſos Zecchos, Zichos aut etiam Ammiano Marcellino *Sinbas* appellatos e Tartarorum gente fuiſſe? Nec illud quod de hoſpitum hoſtiis ex Marcellino refers ad Zechos noſtros pertinet, ut poſterius ex hiſtoricis Marcellino multo antiquioribus probaturus ſum ad eum lo-

locum, quo tibi viſum eſt hanc inſipidam cramben recoquere. Verum ſi tibi concedo Zecchos meos veteres ea barbarie fuiſſe, ut tu ultra modum exaggeras, an id circo ſeu indigni nomine majorum noſtrorum, ſeu quod tu mavis *Tartari*, nec e cœtu & contubernio Slavicæ nationis? Adeone hoſpes es in hiſtoria patria, aut lectorum immemor, ut prima illa Czechorum in Bohemia barbaries ab omnibus ſcriptoribus noſtris ipſoque Hagecio tuo vivo quodam colore adumbrata ſeu tibi ignota ſit, ſeu animo exciderit? e quibus vel unum in memoriam tibi refricare juverit Chriſtannum: *Slavi Boemiæ*, inquit, *velut equus effrenis ſine lege, ſine ullo principe vel rectore, vel urbe, uti bruta animalia ſparſim vagantes terram ſolam incolebant.* (*a*) Quem tu cultum, quas politices civilitatisque prærogativas in populo legum rectorumque neſcio brutisque animalibus ſimillimo requiras? An tam labilis tua memoria hanc primorum Czechorum barbariem uſque ad invecta per Divum Methudium Chriſtiana Sacra, primumque baptiſmo initiatum Bohemorum Ducem Borzivogium perduraſſe? nuſquam legiſti præclarum de Ducibus noſtris Ethnicis Coſmæ teſtimonium? (*b*) *Horum igitur*, inquit, *Principum de vita & morte ſiletur, tum quia ventri & ſomno dediti inculti & indocti aſſimilati ſunt pecori, quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima fuit oneri.* Quos mihi bene moratos cives ſub Principum horum imperio effingas exſculpasque, cum ſententiam meam de Zechis veteribus vel eam ſolam ob cauſam tantoopere ad invidiam detorques, quod barbarum hominum genus fuiſſe, quibusdam Ammiani Marcellini indiciis oſtendas? Ædepol præclaro Procopius Slavos univerſim præconio ornat! L. 3. c. 14. *Vitam æque ut Maſſagetæ*, inquit, *victu arido, incultoque tolerant, toti ſicut illi ſordibus & illuvie ſemper obſiti.* Non alio etiam quam barbarorum nomine ubivis eos impertit. Hiſt. arcanæ c. 11. & 18. Crudelitatis vero plurima exempla. L. 3. c. 38. expromit. At vero id omnium tibi indigniſſimum, id ſempiternæ atque indelebili genti noſtræ maculæ, id ab *illuſtris, felicis, magnificæ, atque invictæ nationis Slavicæ* moribus alieniſſimum, quod Zecchi mei veteres *hoſpitum hoſtiis deaſtros ſuos placare conſueverint.* Quin vel ex hoc ipſo capite *inclitæ Slaviæ tuæ* veros indubitatosque filios hos Aſiæ Zecchos dixeris, a quorum moribus, inſtitutis patriis, ſacrisque ceremoniis haud alienum fuit etiam humanum ſanguinem Deaſtris ſuis litare. Audi

LUCIFER.

Titulus Dedicationis.

(*a*) Chriſtannus in vita & paſſione SS. Ludmillæ & Wenceslai. (*b*) Coſmas in Chron. L. 1.

LUCIFER. di Continuatorem Theophanis pag. 431. *Venerunt itaque Bulgari nullo ipſis occurrente, vel aditum prohibente uſque ad civitatis portam. Et Crummus* (Bulgariæ Princeps) *ſacra pro more faciens ad Chryſen portam homines & animalia plurima mactavit, & ad maris littus tinctis aqua pedibus lotus eſt totus; populoque aqua reſperſo fauſtis acclamationibus ab eo cumulatus medioque pellicum agmine pertranſito ab eis laudem & honorem excepit, ſpectantibus ex muris* (Conſtantinopoleos) *civibus cunctis, nulloque prohibere vel telum in eum mittere auſo.* Imo integrum mihi eſt alios auritos oculatosque teſtes adverſum te producere Ditmarum ac Helmoldum, qui adhuc ævo ſuo Luiticiis & Rugianis (quos Slavicam ſobolem eſſe ipſe in opuſculo tuo non diffiteris) hunc morem utrique genti fuiſſe teſtantur. Prior inquit: (a) *Quod regiones ſunt in his partibus tot templa habentur & ſimulacra dæmonum, ſingula ab infidelibus coluntur . . . . quæ placabilis hoſtia diis offerri a miniſtris debeat per ſortes ac per equum, ſicut præfatus ſum, diligenter inquiritur. Hominum ac ſanguine pecudum ineffabilis horum furor mitigatur.* Alter vero: (b) Rugiani, inquit, *in peculium honoris annuatim hominem Chriſticolam, quem ſors acceptaverit, eidem* (Zuantevito) *litare conſueverunt.* Rurſum de eodem idolo loquens: (c) *Inter varia autem libamenta Sacerdos nonnunquam hominem Chriſtianum litare ſolebat, hujuſcemodi cruore Deos omnino delectari jactitans.* Denique de univerſa Slavia: (d) *Mactant Diis ſuis hoſtias de bobus & ovibus plerique etiam de hominibus Chriſtianis, quorum ſanguine Deos ſuos oblectari jactitant. Poſt cæſam hoſtiam ſacerdos de cruore libat, ut ſit efficacior oraculis capeſſendis. Nam ſanguine dæmonia facilius invitari multorum opinio eſt.* Non modo igitur Slavis in uſu erat humanum litare ſanguinem, ſed quod ipſa barbarie magis barbarum æſtimes, etiam ſacerdotibus de humano cruore libare volupe erat. Iſtud vero ſi adhuc ſæculo XI. & XII. quo per Germanorum aliarumque vicinarum gentium Chriſtianarum commercium ac conſuetudinem jam multum efferi Slavorum mores detumuere; uſuvenit, quid de illorum initiis, antiquiſſimisque temporibus ſentias? Manſuetioribusne moribus depingit Ruſſos ſeu Ruthenos Slavos Photius in Epiſtola ſua ad Patriarchales Sedes apud Baronium ad ann. 863. n. 41. cum ait: *Gens illa quæ crudelitate ac cædibus omnes ſuperat qui Rutheni dicuntur.* Quid dices de Crummo Bulgariæ Principe de quo Theophanes ad An. VIII. Nicephori, Chriſti 809. *Crummus autem amputatum Nicephori* (Imperatoris) *caput adventantibus ad ſe variis nationibus oſtentandum*

(a) Ditmarus reſtitutus L. 6. p. 382. (b) Helmoldus Chron. Slav. L. 1. c. 52. (c) Idem L. 2. c. 12. (d) Idem L. 1. c. 52.

dum per dies multos in Romanorum dedecus & vituperium in ligno ſuſpendit. Poſimodum vero illud ſuſpendio revulſum, carnibus nudatum, & argento tectum compotaturis Sclavinorum Principibus in poculum gloriabundus efformavit. LUCIFER.
Credisne ſi genti noſtræ Ethnicis ſæculis coævi ſcriptores ſupereſſent, quemadmodum Luiticiis, & Rugianis ſunt Ditmarus atque Helmoldus, aut Ruſſis & Bulgaris erat Photius & Theophanes nos non ſimillima de Slavis Boemiæ lecturos in Annalibus noſtris? profecto ejuscemodi hoſtiæ apud nos veſtigia non obſcura reliquit Æneas Silvius, Cuthenus, & Boregk, (a) dum ſcribunt a Neklano Principe noſtro juvenem ſortibus indicatum Diis Boemorum in Sacrificium cæſum fuiſſe. Male itaque imperiteque, inclita Czechia! perſuadere tibi conatus eſt Lucifer mores hos veterum Zecchorum a cultu Majorum tuorum fuiſſe alieniſſimos, imperitius vero argumentatus eſt, eos Tibi filiisque tuis ſempiternæ maculæ eſſe atque dedecori. Omnibus prope gentibus ſimillima fuiſſe initia antequam ad cultum, & literas, inprimis autem ad Chriſti caſtra traducerentur, prodit antiquitas, quam ſi is inſpexiſſet, conſuluiſſetque, minime tam procaciter ſcripta noſtra laceſſiviſſet. Quis vero ſeu Tibi, ſeu genti tuæ ſuperſtitionis Zelo abreptæ, libertatis tutandæ œſtro percitæ vitio det aliquando tam peregrino ſacrificii genere uſam? Chriſtianos ad mare Balticum infenſiſſimos ſibi hoſtes deputavit Slavia ſeptentrionalis, quia Deorum ſuorum cultui adverſiſſimos experta. Romanos Græcosque ad Pontum Euxinum Vatiniano magis odio perſequebantur Slavi Mæotici Ponticique, non ignari indoctique, quantum ab utraque gente ſibi immineret periculum, quos cum navium ſuarum præſidio creberrime terras ſuas infeſtari adverterent, cum dolentes aſpicerent aliam atque aliam inſulam ditionibus ſuis a Romanis ſeu Germanis eripi, immiſſis coloniis occupari, caſtellis, urbibus ac præſidiis muniri, ex his in vicina tua litora deſcendi, prædas agi ex hoſtico, verbo: libertatem, quietem, ſecuritatemque publicam tuam turbari, quid mirum tranquillitatis patriorumque rituum conſervandorum cauſa tanta acerbitate ſævitum a majoribus tuis in hoſpites Romanos Græcosque felicitatis tuæ exitium meditantes, ut tanquam gratiſſimam Diis ſuis hoſtiam lucis idolisque Slavicis immolarent, ut cum his minime vocatis gratisque hoſpitibus tuto ſeptentrionem verſus navigare amplius non liceret, mari & Ponto Euxino nomen indiderint *inhoſpitali*, majores vero tuos *immani diritate terribiles* (b) convi-

(a) Æneas Silvius c. 10. Cuthenus c. 10. Boregk p. 27. (b) Ammianus Marcellinus L. 22.

LUCIFER. viciati ſint. Verum non fuit ea perpetua innataque majoribus tuis immanitas, graſſandique in hoſpites libido, egregium parentibus tuis humanitatis hoſpitalitatisque teſtimonium reddit vel unus e Græcis ſcriptoribus Heraclides vetuſtiſſimus author, & ante Chriſtum natum jam ſcriptis ſuis clarus, qui de Phaſis fluvii accolis (quos Zecchos veteres fuiſſe ex Procopio Cæſarienſi certum eſt) loquens, ita ſcribit: *Hoſpitum ita ſunt amantes, ut naufragium paſſis viaticum præbeant, & abnavigantibus tres minas largiantur.* Quæ relatis Helmoldi conformiſſima ſunt, dum ſupra narrato ſacrificii generi ſubjungit: (a) *Pollebant tamen multis naturalibus bonis. Erat enim apud eos hoſpitalitatis plenitudo.* Quare nihil eſt Czechia, quod te primæ barbariei tuæ (ſi tamen ea non juſto amplius ab hoſtibus tuis Germanis, Græcis, Latiniſque ſcriptoribus exaggerata eſt) pudeat. Fatum id commune fuit gentium omnium, quæ tandem nonniſi temporum curſu, politiorum populorum commercio, literarum, diſciplinarumque perpolitione, & maxime Chriſti præceptis, ad cultum & humanitatem, quibus hodie præpollent, ſunt efformatæ. Ne hæſita Zecchos veteres Aſiæ majores tuos agnoſcere, non dedecori reputa eos aliquando hoſtes ſuos Deaſtris ſuis immolaſſe, quod etiam aliis gentibus in uſu fuiſſe legimus, ſic enim de Gothis & gente ſua ſcribit Jornandes c. 5. *Martem Gothi ſemper aſperrima placavere cultura, Nam victimæ ejus mortes fuere captorum, opinantes bellorum præſulem aptius humani ſanguinis effuſione placandum.* Non minori ferocia olim in Bulgaros fratres tuos deſæviit Dagobertus Francorum Princeps. Nam cum Bulgari anno 630 ab Hunnis victi, terriſque ſuis exacti fuiſſent, numero quindecim millium ad Dagobertum exules, hoſpiteſque confugerunt, ſed verbis Aimonii rem deſcribere malim: *Expetunt Regem Francorum poſcentes vacantem tellurem ſibi concedi ad habitandum. Ille hiematum eos in Bajoariam dirigit, donec cum amicis deliberaret, quid de eis ageret? Quibus per domos Bajoariorum hoſpitantibus rex habito cum familiaribus tractatu (veritus ne quid novi molirentur) evocatis Bajoariis hoc dedit in mandatis, ut unusquisque eum, qui apud ſe hoſpitaretur, cum conjuge ac liberis contrucidaret. Quod factum eſt, & una nocte, quæ tam crudeli operi deſignata erat, omnes neci traditi ſunt.* (b) Visne aliam inauditam Francorum in Slavos crudelitatem? audi Conſtantinum Porphyrogenitum c. 30. de adminiſtrando imperio: *Tanta* (inquit) *autem crudelitate in eos* (Chrobatos) *utebantur Franci, ut lactentes adhuc eorum*

(a) Helmoldus L. 2. c. 12. (b) Aimonius de geſtis Francorum L. 4. c. 24.

eorum pueros occidentes canibus objicerent. An igitur quia hæc ſeu vete- LUCIFER.
rum Bajoariorum ſeu Francorum & Dagoberti immanitas non conſona eſt moribus & manſuetudini hodiernorum Bajoariorum Francorumque, negabis quoque veteres hos Bajoarios & Francos eundem cum hodierno populum, aut Dagobertum e Francorum gente fuiſſe. Vide itaque Lucifer ut tempori ædificio tuo de tibicinibus proſpicias, nam certam ruinam minetur. Sed ad Czechiæ proſopopejam redeamus:

II. Quemadmodum Te inclita Czechia in maximum errorem perduxit Lucifer, cum tibi perſuaſit Zecchos veteres Tartarorum progeniem fuiſſe, ita immerito indignationem tuam exacuit, cum Tartarorum gentem tanquam *Spherma*, *camerinam*, *luem*, *Scabiem*, *cœnum*, *ſcelus*, *dedecus*, oculis, animoque tuo indigniſſime ſubjecit. Omnium gentium poſt univerſalem cataclyſmum unus idemque author & parens Noemus, non altera ortu ſuo altera nobilior, æquale omnibus a Turris Babilonicæ confuſione principium, nec prærogativa alicui præter eam propria eſt, quam quod fatis urgentibus ocyus præ aliis a barbarie ſua ad cultum civilitatemque traducta ſit, quo alacrius nempe literas & diſciplinas apprehendit. Omnes gentes hodie olimque fama & nomine claræ ab infimo ad ſummum eluctatæ ſunt, quemadmodum plures earum temporum iniquitate a ſummo faſtigio ad infima deturbatæ. Imprudentis igitur animi eſt, in gentem aliquam, quæquæ demum earum ſit, præter rationem convicioſe declamare, contemtu & injuriis onerare, exiſtimationemque ac reverentiam, quam altera alteri debet, obtrectationibus & maledictis violare. Huc accedit, quod Lucifer tuus ſe ſe hiſtoriarum ignorantiſſimum probaverit, cum Tartarorum gentem tam atro ubivis carbone depinxit, cum paſſim pro gentium *barbararum proſtibulo* indigne habuit, cum rem omnium infeliciſſimam ſummeque ignominioſam judicavit ab ea gente originem traxiſſe. Non vidit, non legit Lucifer tuus ſcriptores quosque graviſſimos, qui nobiliſſimas quasque gentes Gothos, Longobardos, Hungaros imo ipſos Germanos a Tartaris ortos docuerunt. Non ea gens tam abjecta, non tam regionibus omnibus atrox, non tam inculta, ut eam locis omnibus deprimit, conviciaturque Lucifer. Lege Tartarorum hiſtorias, & miraberis populi potentiam, ſplendorem, divitias, & in ipſis etiam urbibus cultum & diſciplinam. Leges proxime in Marignolæ noſtri Chronico, quod Tomo II. Manuſcriptorum nuſquam antehac editorum publicaturi ſumus, magnificentiam Chami illius potentiſſimi Tartarorum Imperatoris, ad quem Marignola no-

LUCIFER. la noſter cum Legati Pontificii poteſtate ſæculi XIV. principio miſſus eſt, miraberis aulæ iſtius ſumptum, equitatus peditatusque multitudinem omni pene Germana ſupparem, leges urbium amplitudinem, artificum delectum, civium non aſpernandos mores legesque, auri argentique vim, ut nemini infamiæ aut maculæ datura ſis ab ea gente ortum traxiſſe? Non eſt igitur, ut tu intemperanter loqueris, *diſcrimen inter Tartaros & Czechos, quale habet cœlum & cœnum, Zelus & Scelus, decus & dedecus.* Habent & Tartari idem *cœlum* cum gente noſtra, quibus jam ſæculo XIII. aperiri viſum, cum Chriſti jugo colla ſua ſubdere cœperunt, habent *Zelum* gloriæ militarisque fortitudinis, habent *decora* plurima corporis, animi, ac fortunarum, & politioribus profecto etiam hodie Lucifero tuo civibus pollent, qui nulli gentium tam conviciose, atque is, detrahere auſuri ſunt. Quare quis Bohemorum omnium, quotquot numero ſumus, non ægerrime feramus tantam affingi Czechiæ noſtræ incogitantiam ſtultitiamque, ut ſub finem Dedicationis doloris vehementia tanquam ſenſibus alienata querulans Luciferi verbis inducatur: multo levius ferendas ſibi fuiſſe Ziſkianas calamitates, everſionem eccleſiarum & aſceteriorum, urbium everſionem, civium ſuorum cædes ac cruciatus, quam quod hac ætate, ſibi Annalibusque ſuis a me ereptus ſit Czechus, Gensque noſtra a Tartarica ſcabie veterum Zecchorum prodiiſſe aſſeratur? Tanti nempe nimium graphicus hic nugator majeſtatem gloriamque fecit florentiſſimi illius regni a Carolo IV. fundati, illum veterem urbium noſtrarum ſplendorem, illam templorum, monaſteriorumque magnificentiam, illam religionis integritatem, civium tranquillitatem felicitatemque, ut ridiculo Czecho ſuo poſtponeret. Quis vero illi viſus Czechus ſuus? an Deorum aliquis ſummus maximusque, qui tot tantasque regni noſtri jacturas velut uno nutu ſarcire, qui tot ruinas patriæ calamitatesque civium edulcare, atque ad priſtinam felicitatem perducere poſſit? O magnas nugas magno conatu actas! quid illud, niſi ludicram rem & joculares ineptias tragico ore, geſtu, habituque declamare? Quin imo tu felix eſto Czechia! flore pace, potentia, divitiis & bonis civibus, hoc ſummo in pretio reputa ſi diſciplinis, ſi viris eruditis tibi gloriari licuerit, inter quisquilias & crepundia condemna ſive a Czecho aliquo ſive a Zecchis, ſive aliunde originem nomenque trahas, id Tibi gentique tuæ ſatis ad gloriam famamque eſto, ſi poſteriorum temporum hiſtoriam annalesque veros ac germanos indepta fueris; commenta illa ſub ethnicis Ducibus tuis, quibus nec ſcriptor, nec teſtis

Prope finem dedicationis.

ſatis

ſatis idoneus tibi eſt, nugigerulorum diſceptationi permitte. Sed ad præfationem Luciferi tranſeamus. LUCIFER.

AD PRÆFATIONEM.

I.

In Præfatione Vir Cl. præcipuum accuſationis tuæ Caput eſt: quod *inhonoratum in publicum noviſſime ire juſſerim Hagecium.* Id duobus peccatis meis, quorum alterum *omiſſi*, alterum *commiſſi*, cenſura graviſſime notas, probare conniteris. *Primum* hac cenſoria virgula dignum tibi viſum, quod non modo Hagecii dedicationem Ferdinando I. Imperatori inſcriptam, vernaculisque ejus faſtis præmiſſam, ſed & ipſum diploma Ferdinandi I. ibidem adjectum in latina Hagecii verſione omiſerim. *Secundum*, quod Hagecium *quemadmodum ſcribam vulgarem exagitem, fideque publica tanquam nobiliſſimo hiſtoricorum cymelio privem.* Ad primum jam ut reſpondeam: Nihil prorſum opus fuit annalibus meis Hagecianis ſeu Dedicationem Hagecii, ſeu diploma Ferdinandi præmittere, ſeu recudere. Non dedicationem ipſam, quia alioquin latino ſermone ab ipſo Hagecio ſcripta in omnium eſt manibus, nec aliud conſilium fuit P. Victorino noſtro, quam ut ea, quæ vernacule ſcripſit Hagecius, legi poſſent a Viris patriæ linguæ inexpertis, ut taceam morem nec hodie nec olim uſquam fuiſſe, ut in librorum recuſionibus primæ anterioresque dedicationes apponerentur, rurſumque prælo ſubjicerentur inani laborum ſumtuumque jactura, nec enim dedicationes pars quædam ſunt operum, ita ut ſeu abeſſe ſeu adeſſe præter omne vitium poſſint. Multo minus ad rem faciebat diploma Ferdinandi I. recuſum dare, quandoquidem id nihil aliud eſt, quam *Privilegium typographicum*, ut hodie appellamus, etiam hodie quibusvis, modo ab Auguſtis petant, dari ſolitum. Privilegium inquam typographicum eſt, nihilque præterea, quo Ferdinandus Imperator precibus Hagecii exoratus cavet, ut ne Chronicon illius intra decem annorum ſpatium, imperiique Germanici limites in editoris præjudicium reimprimatur. Hoc tu tamen omnium maxime inter graviſſimas meas culpas totis paginis exaggeras, ac me fallaciæ condemnas, qui tam mutilum edere Hagecium, hisque duobus nobiliſſimis inſtrumentis ſpoliare auſus ſim. Quærere jam ex te librorum Helluone mihi liceat: multosne jam videris, legerisque libros ex aliis linguis

In præfatione ad Lectorem.

LUCIFER. guis tranſlatos, in quibus primas dedicationes Typographorumque Privilegia recuſa deprehenderis? Quid hæc ad operis ipſius rationem faciunt, conducuntque? Næ tu, ſi liber quinquies ſexiesque recudatur, totque novas dedicationum epiſtolas, & typographica Privilegia adjeceris, næ tu, inquam, maximam molem libri dedicationum, privilegiorumque cumulatione abſumpſeris. Inſpice vel ipſos Hagecii a Sandelio in Germanicum ſermonem traductos annales: ubi ejus dedicatio? ubi Ferdinandi I. diploma? Quis literatorum hujusce rei cauſa unquam accuſavit Sandelium infidelitatis? quis queſtus inhonoratum ab eo emiſſum Hagecium? quis truncatorem, mutilatoremque criminatus? Prodiit enim vero a nobis Hagecius multo honoratior, quam in vernacula editione unquam excuſus fuerit, prodiit cum honorificentiſſimo vitæ ſuæ compendio, quod nullus antehac ſcriptorum noſtrorum præſtitit, prodiit cum plurimis elogiis exterorum domeſticorumque Virorum eruditorum, prodiit cum ſepulchrali monumento æri inciſo, cum armis, gentilitiisque ſuis inſigniis, quæ omnia fruſtra ſeu in prima Boemica, ſeu in ſecunda, tertia, & quarta germanica Hagecii editione quæſieris. Sed urges & criminaris: fraudulenter a nobis dedicationem hanc, & Ferdinandi diploma omiſſum, quod ex utroque documento ſumma authoritas, fidesque Hagecii aſſertis accedat. Argumentatio enim tua in epitomen contracta hæc fere eſt: " Annales Hagecii potentiſſimo Romanorum Imperatori Ferdinando I. fuere conſecrati, eosdem ille non modo privilegio Cæſareo nobilitavit, ſed & ſummis Triumviris Joanni ſeniori Popelio de Lobkovitz, Joanni Hodiegovio, & Hermanno Sedlecio corrigendos dedit, ergo eis adverſum aliquid ſcribere non licet, nam, inquis, *nullo pacto, ea quæ publica authoritate ſemel ſunt conſtituta, abſque contumelia ſtatuentium privata authoritate tolli queunt.*" Vah peregrinam, neminique erudito hactenus auditam argumentationem! Quid miſerius minusque inglorium quam manum conſerere cum homine imbecillis viribus, ſeu qui militiæ tyrocinium nunquam fecit? Quæ non dico Criticæ præcepta, ſed quod ſanæ prudentiæ rationisque lumen libris hiſtoricis, qui Cæſaribus regibusque conſecrati, aut ab iis privilegio aliquo ornati ſunt, tantam prærogativam, ne dicam infallibilitatem, concedant, ut nemini tanquam Delphico oraculo proditam veritatem impugnare liceat. Næ hiſtoricorum omnium, ut libris narratisque ſuis fidem concilient, una ea ſit cura & ſtudium, ut diploma quoddam typographicum ab Auguſtis emendicent, ut eos precibus ſuis ad dedicatio-

catio-

cationes acceptandas inflectant, incurii ceterum quas merces, ſince- LUCIFER. raſne an adulterinas lectori venum proponant? Ea in re ſi cardo rei verſatur, ſi libris ejusmodi venerationis cujusdam obtentu non licet obſtrepere, næ vos Clariſſimi Continuatores operis Bollandiani jam manum retrahitis a tabula, næ vos univerſi orbis Critici rivulos veſtros clauditis, eam neque aliam poſthac veritatis habituri cynoſuram, quam hiſtorias Imperatoribus Regibusque inſcriptas, eorumque privilegiis munitas. Ego vero quidni mihi gratuler, non me unum ſolumque eſſe, qui in hanc ſeveriſſimam Ariſtarchi noſtri legem peccaverim: Quot enim, non dico Regum, Cæſarum, Pontificumque nominibus inſcriptos hiſtoricos partus, ſed ſacris Auguſtisque eorum manibus exaratos invenias, quos ad Lydium lapidem examinare, obeliſcis notare, corrigere, repurgare, imo errorum convincere non ſunt veriti graviſſimi Viri Baronius, Mabillonius, Bollandus, Bandurius, Dufreſnius, aliique Byzantinorum, Francicorum, Germanicorumque ſcriptorum interpretes & commentatores? Profecto ſi ad veritatem conciliandam hæc tua Vir Cl. argumentatio locum habet in hiſtoriis, an non omnes Ordinis mei minimi libri, ac proinde etiam mei Annales Hageciani eadem publica authoritate ac fide pollent, quandoquidem jam inde a Ferdinando III. omnia opera a Religionis meæ alumnis in publicum emittenda ſimillimo privilegio & prærogativa munita ſunt? An non ob hanc ipſam rationem Thomæ Berghauero omnem fidem de origine gentis noſtræ *a Zecchis Aſiæ* conceſſurus es, cum is ipſus Proto-Martyrem ſuum Pœnitentiæ etiam invictiſſimo Romanorum Imperatori Carolo VI. nuncupaverit? An non opus doctiſſimi Viri Joannis Oppelt Czechum inter fabulas relegantis ſumma obſervantia tibi ſuſpiciendum, quod plane ſub Auſpiciis hujus glorioſiſſimi Imperatoris excuſum eſt? At vero confidenter adverſum obſtrepis, aisque: non modo Hagecii Annales, ſed *ipſum Czechum privilegio a Ferdinando ornatum, ab inclitis regni ſtatibus laudatum probatumque.* Riſu emorior! *Nunquam ullo die riſi adæque, neque hoc, quod reliquum eſt, plus riſurum opinor.* PLAUT. Ubi, ubi amabo is locus eſt? oſtende, cupidus ſum legendi. Quod illud privilegium Czecho tuo datum? ubi laudatus, probatusque ab inclitis Regni noſtri ſtatibus? reſpondebis procul dubio argumentationem tuam eſſe legitimam ex Dialecticæ præceptis, ductamque eſſe a toto ad partem: " Ferdinandum I. nempe & Regni Ordines probaſſe univerſos Annales Hagecii, igitur & Czechum." Hem! hem! tolutim badiza! ita ſane, veſtigia

LUCIFER. tua & mihi premere liceat, rituque tuo a toto ad partem argumentationem capere: Ferdinandus I. & ſummi Proceres Bohemiæ ſuo privilegio & cenſura fidem, atque ut ita dicam infallibilitatem quandam hiſtoricam dedere totis Hagecii Annalibus: ergo hiſtoria eſt, Bavaros a quodam Bavaro nomen traxiſſe ut vult Hagecius tuus? ergo infallibilis veritas boves olim volaſſe per aëra, montes, ſaxaque fauces diduxiſſe ad accipienda reddendaque pecora & homines, equum cum ſuo ſeſſore ex Wiſſehrado in alteram Moldavæ ripam transvolaſſe, & humana voce locutum, dæmones in Smichow riſiſſe, ut Wlaſtæ Amazonumque bella præſtigiasque, larvas, lemures, ac phantaſmata pertranſeam? igitur verum indubitatumque, S. Wolfgangum vix natum aut puerulum jam tempore S. Wenceslai conſecraſſe Eccleſiam S. Viti. S. Emeramum duobus ſæculis præmortuum contemporaneum fuiſſe Boleslai ſævi, Sacrum Prædicatorum Ordinem ne nato quidem adhuc S. Dominico Clatoviæ a Theobaldo fuiſſe fundatum? ut ſexcentas alias fabulas erroresque Hagecii jam per oluſculariarum fora riſu traduci ſolitos conticeſcam. Videsne te coarctari ſtringique omni parte, ut ſi lubricam colubri pellem induas, nusquam elabendi locus tempusque tibi ſuppetat. Quis hominum ſano ſincipite Sapientiſſimo Romanorum Imperatori Ferdinando I.? quis inclitis noſtris Bohemiæ Ordinibus hanc temere affingat incogitantiam, ut veritatis vadimonium in ſe ſuſceperint eorum omnium, quæ Hagecius in ſuis Annalibus ſcripſit, eaque tanquam certa orbi literato perſuaſa voluerint, aut ipſi pro hiſtorica fide cœce, ut ita dicam, apprehenderint, indubitataque exiſtimaverint? Non alio ſpectat Ferdinandi. I, privilegium, non alio trium Procerum cenſura & judicium, & facultas, quam quod Hagecii Annales prelo committi poſſent; neminique intra decennium eos recudere fas eſſet. Nusquam illi fidem ſuam interpoſuere, quam propugnandam merito Hagecio permiſerunt. Nec Lobkovicius, Hodgegovius, Sedleciusque, quorum authoritatem, ſcientiam, prudentiamque immenſum exaggeras, in negotio, quod Hagecianorum Annalium approbationem ſpectat, alio nomine tituloque ſuſpiciendi ſunt, quam Cenſores Regii, quibus e veteri Cancellariæ Regiæ ſtylo commiſſum fuit, ut opus ſub cenſuram recipiant, caveantque, ne quid in eo adverſus Religionem, bonos mores, Regni conſtitutiones, Politicumque ſtatum in publicam lucem prodeat; de veritate & fide rerum narratarum in utramque aurem dormitum eſt, neque enim id ad eos, quibus libri inſcribuntur, neque ad Cenſores ullo modo ſpectat, qui

ſi in

ſi in omnia ſcrupuloſius inquirere velint, eaque ex veritate penſare, næ illi authore ipſo majores, tædioſioresque operas experiantur. Fuere itaque hi Triumviri Cenſores Regii, qualis Illuſtriſſimus ac Excellentiſſimus Comes Wieſſnik Apellationum Præſes; qualis Illuſtriſſimus Baro Kreſſel de Gualtenberg, ſupremi Regii Gubernii Aſſeſſor, meis operibus obtigit, eoque majoris hi duo etiam reputandi, quod non modo Cenſores Regii, ſed Præſides Cenſuræ fuerint. An tamen cenſendum illos ſcriptis meis per Cenſuram ſuam Regiam fidem publicam, hiſtoricamque veritatem tribuiſſe? minime, quin ſi iſtud eſſet, næ ſummo periculo tuo res ſtaret, qui ſcripta mea ab iis probata tanto habere deſpectui non es veritus.

Ad alterum ut veniam, dolentiſſime quereris: *Claſſicum Pragmaticum, publica lege receptum ſcriptorem Hagecum quemadmodum ſcribam vulgarem a me exagitari, fideque publica privari.* Sed nuſquam nobis Vir Cl. eam *legem publicam*, qua Hagecius in Claſſicum Pragmaticumque ſcriptorem receptus eſt, indigitaſti. Legi ego jura noſtra Provincialia, Municipaliaque, legi pleraſque novellas, plurimaque Comitialia decreta, ſed nuſpiam id, quod adſtruis, deprehendi. Si Hagecio aliquando *ſemiplena fides* in probationibus conceſſa, id de cauſis judicialibus, regni conſuetudinibus, conſtitutionibusque hinc atque illinc ab Hagecio Annalibus ſuis inſertis, non quibusque narratis accipiendum eſt, quo in genere nomen hoc titulumque ei non modo libens, ſed etiam cum gaudio utroque pollice ſubſcribo. At quibus in rebus tu præterea Hagecium *claſſicum pragmaticumque* ſcriptorem cupis? in hiſtoria Czechi? in narratis, quæ ſola ſenum fabuloſa relatione nituntur? in rebus ludicris minutisque, quæ modica fide unius alteriusve authoris recentioris fundantur? in rebus, inquam, quæ teſte Coſma a nullo coævo, quin a viciniſſimorum nobis ſæculorum ſcriptoribus ſeu licentioſe, ſeu per leves conjecturas fuere inventa efficłaque? Visne ut propter Hagecii tui fidem manutenendam omnia vetuſta monumenta in angulos & tenebras rejiciamus, a blattis tineisque penitus abſumi patiamur? aut coævos vetuſtiſſimosque hiſtoricos falſos, mentitosque dicamus? Confer, ſi libet, tum in parte mea II. tum III. Annalium Prætermiſſa ſingulorum annorum paſſim ex coævis teſtimoniis deprompta cum Hagecii tui aſſertis, auſurusne affirmare, eum cum iſtis conciliari poſſe, ſeu plane veriora illis ſcripſiſſe? Non eſt hæc mea culpa, non aliquod malevolentiæ genus, quod Hagecii narrata paſſim in Annalibus meis evertantur, monumentis veterioribus, & hiſtoricæ veri-

LUCIFER. tati, quid quid peccatum tibi videri poteſt, adſcribe; ea ſunt, quæ Hagecium exagitant, quæ jugulant, quæ illum non tam de fide ſua deturbant, quam luculenter innuunt, illum nimis credule ſua ex turbidis rivulis, non ex ipſis fontibus hauſiſſe. Ipſe ſi ſupereſſet Hagecius, haud aliud de rebus in annalibus ſuis narratis vadimonium præberet, quam quod Curtius L. 9. c. 1. de ſua dat hiſtoria: *Plura tranſcribo, quam credo, nam nec adfirmare ſuſtineo, de quibus dubito, nec ſubducere, quæ accepi.* Neque vero in Hagecii dedecus vergit, quod narrata ſua vetuſtiorum teſtimoniis non reſpondeant, quod tam in rebus, quam Chronologia emendetur, quemadmodum famæ ac exiſtimationi Baronii nihil detrahit, quod Pagius ſubinde ſeveriorem criſim in ejus Annales Eccleſiaſticos exeruerit, quod ex veteriorum fide ejus narrata Chronologiamque correxerit. Perſtatura eſt ſempiternum Baronio ſua gloria, parentisque Hiſtoriæ eccleſiaſticæ nomen, perſtatura etiam ſua Hagecio exiſtimatio & fama, neque enim ego illum uſpiam ſuperciliose contemno, aut convicior, teſtes mihi ſunt omnes paginæ operum meorum, quantum honori ejus deferam, quantum etiam, quoties licet, purgem excuſemque. Novit abunde hoc eruditum criticumque ſæculum omnia gentium principia fabulis eſſe contaminata, novit olim hiſtorias ſine delectu, ſine probationibus e quibusvis minus authenticis chartis, populi rumuſculis, traditiuncularum reliquiis fuiſſe acervatas, novit eas non raro adulationis vanæque laudis pruritu, ſæpe etiam manifeſtis impoſturis depravatas; quæ cum omnia hodie merito non ſecus atque cribro aliquo perpurgentur, quid mirum plurima poſſeſſione ſua etiam vetuſtiore deturbari. Neque tamen eam ob perpurgationem Hiſtorici illi penitus ſuo mulctantur pretio, aut contemnuntur: An non paſſim vides ejusmodi authorum partus, etſi multis reſperſos fabulis, hiſtoricisque erroribus obnoxios a ſummis rei criticæ peritis viris prelo dari, inque Hiſtoricorum ſuorum collectiones inſeri, imo etiam in iis, quæ proba comperta ſunt, laudari, ac paſſim veritati in teſtimonium adduci, reliqua quæ ad fidem faciendam non proſunt, conſervari tamen propter antiquitatis ſtudium, cognitionemque, ut quæ opinio in rebus hiſtoricis hoc vel illo ſæculo familiam duxerit, poſteritati tectum non maneat. Invidiæ tela ſunt, non rationis, non æquitatis, cum opuſcula mea idcirco imperitioribus exoſa reddis, quod Hagecii Annales expurgem, emendemque; convicium, & malignitas eſt repurgationem illam ſumma modeſtia præſtitam ſummo tamen contemtus criminationisque loco accipi. Mihi ſi ani-

animus malevolus in Hagecium fuit, ſi voluntas eum *pretioſo cymelio*, LUCIFER. ut tu ais, *fidei*, *veritatis*, *exiſtimationiſque* exuendi, quid toties illi tam in compendio vitæ, quam omnibus præfationibus meis, ipſiſque animadverſionibus plurima adſcripſi encomia, ac pene panegyricos dixi? Quid præmiſi Annalibus meis cumulavique illa Virorum quorumque eruditione clarorum elogia? An autumas rem mihi majore ſtaturam fuiſſe opera ac difficultate elogia hæc totidem ſatyris, vituperiisque ſcriptorum tam domeſticorum quam exterorum penſare? Cui enim incognitum Hagecium ab eo ipſo puncto temporis, quo in lucem editus eſt, creberrime allatratum, miſereque laniatum? Lege vel proximum ejus ætati Lupacium, & quid de Hagecii Annalibus ſenſerit, intelliges. Ego vero ipſe omnes Hagecii contemtus & obtrectationes damno, ſimillimaque cenſura notandum cenſeo, quam in Nicephorum Caliſtum tulit eruditiſſimus Vir Franciſcus Mannhart: (a) *Nicephorus frequentia quidem commenta & quisquilias e ſubleſtæ fidei auctoribus conquiſitas adſert, temere tamen a Caſaubono & aliis* non pluris quam folia farfaræ *æſtimatur, quando in vilibus illis pannis non raro pretioſa purpura intertexta reperitur.* Itaque uti Hagecio, ita nemini ſcriptorum noſtrorum quidpiam detractum volo, erraſſe crebro, falſos, hallucinatosque fuiſſe non tam ego, quam certiora vetuſtioraque prolata monumenta, vel me tacente, clamant, inculcantque. Si aliquando, quod rariſſimum deprehendas, *fabulatum* (o verbum invidioſum, periiſſet illud cum calamo!) obiter dixi, an id criminis, ac contumeliæ loco habere atque exaggerare fas ſit? Quid enim iſtud, ac canum ritu quidvis ſine cauſa aut diſcrimine allatrare? An hanc vocem non paſſim a Viris moderatiſſimi, mitiſſimique ingenii uſurpatam repertorus es? Incipit fabula, ubi ceſſat, nomenque ſuum perdit hiſtoria & veritas. Nec eſt in re hiſtorica error contumelia dicenda, quandoquidem nemo etiam ſapientiſſimorum Virorum ſe omni errore immunem vacuumque auſit pronunciare. Recte hanc in rem Lipſius neſcio cujus vetuſtioris Authoris verbis: (b) *Nemo eſt mortalium, quem non aliqua pars ignorantiæ attingat, hanc cogitationem ex ipſa mortalitate traximus. Nam homo cum errat, humanitus errat. Errorem autem in homine calumniari, eſt toti ipſi mortalitati convicium facere.* Imo, verbis Mannharti loquor: (c) authoribus his *gratiæ habendæ ſunt etiam dum peccata illorum indicantur. Nam quod falſi & lapſi fuerint, ignoſcere oportet communi ſorti ac naturæ: lapſus tamen dete-*

(a) Franc. Mannhart Bibl. Dom. Tom. 10. c. 3. p. 79. (b) Juſtus Lipſius in Defenſione Poſthuma. c. 1. (c) Mannhart. c. l. c. 5. p. 156.

LUCIFER. *detegere ad noſtram cautionem facit, dummodo id fiat ſine contemptu, & cum parſimonia.* Proinde eadem, quæ Balbinus, in laudem Hagecii depromo: (a) *Equidem fateor: Vir magnus, & hiſtoriæ noſtræ Livius dici poteſt Hagecius, ſi multitudo rerum, quas attulit, ſpectetur; at eundem minimam Chronologiæ rationem habuiſſe omnes eruditi conſentiunt. In Ducibus noſtris eorumque ætatibus ordinandis quantum Deus bone dormitavit! quantum in Præſulibus & Archi-Epiſcopis noſtris! quantum in monetæ ratione! quantum in ſignandis præliorum temporibus!* Quibus merito ego adjecerim: *Quanta boni ſuperi primis maxime ſæculis ex turbidiſſimis hauſit rivulis!* Nam ſi Vir Cl. pragmaticum claſſicumque ſcriptorem quæris Hagecium, propius tibi ad tempora ejuſce ætatis accedendum eſt, in quibus eum non amplius has putridas lutulentasque aquas, ſed fontes ipſos bibiſſe cogniturus. Videbis his locis temporibusque etiam a nobis Hagecio ſummam fidem authoritatemque tribui, videbis eundem, ubi ubi fas erit, etiam contra æmulos obtrectatoresque ſuos defendi. In hiſtoria Czechi non majorem fidem illi quam Dalemilo, quam Pulkavæ, quam Æneæ Silvio tribuere licet, e quibus illum hanc exſcripſiſſe, & verbis ſuis perpoliiſſe tot veſtigiis expreſſum eſt, ut noctuam deputem, quæ tam claro die rem non videat.

II. Quod præterea ex præfatione tua Vir Cl. animadverſione dignum deputo: multa rerum exaggeratione adducis controverſiam illam ſuperioris ſæculi de gentis noſtræ origine Joannem Mathiam a Sudetis inter & Troilum agitatam, qua multa verborum ambage recitata tandem concludis: Troili de Czecho ſententiam a tota Univerſitate Pragenſi calculo ſuo probatam, alteram de Roxolanis Mathiæ a Sudetis primum totius Univerſitatis ſuffragio rejectam, demum etiam Mathiæ Imperatoris decreto damnatam confixamque. Legi ego ea acta omnia ante complures annos, cum concinnando meo Prodromo inſudarem, deprehendique in Bibliotheca Reverendiſſimi ac Excellentiſſimi D. D. Emmanuelis Erneſti Comitis de Waldſtein Epiſcopi Litomericenſis, interque Miſcellanea illius in Quarto, ut vulgo dicimus, non contemnendam rei hujus ſegetem, vidi etiam ea, evolvique ſuperiore anno in Bibliotheca noſtra Slacoverdenſi manu & cura Franciſci Godefridi de Troilo congeſta, nuſpiam ego ſeu in his collectionibus, ſeu alibi deprehendi ſententiam Troili ſeu ab Univerſitate Pragenſi ſeu Mathia Cæſare fuiſſe approbatam, alteramque Mathiæ a Sudetis rejectam

(a) Balbin. Dec. 1. L. 7. c. 8. in notis.

tam damnatamque. Acerrimam hos inter duos Viros Academicos de LUCIFER. vera origine gentis noſtræ diſceptationem non modo argumentis, ſed obtrectationibus & contumeliis fuiſſe actitatam, multos ex utraque parte fuiſſe ſectarios, patronosque ex hiſtoria horum temporum certum habemus, adeo ut cum incliti Proceres Bohemiæ, Rectorque Univerſitatis agnoſcerent animos quotidie magis magisque hac controverſia effervеſcere, membra Univerſitatis ſcindi, ac pene ad rixas irritari, literarum, ſcientiarumque flori derogari, utrique parti graviſſimo edito decreto indictum ſit ſilentium. Nam ea Rectoris Academiæ Pragenſis intimatio, quæ anno 1616. in quarto, ut vocant, Pragæ typis excuſa eſt, non aliud exaggerat, reprehenditque, quam quod Joh. Math. a Sudetis abſque ſcitu & permiſſione Rectoris ſuas tres quæſtiones publicaverit. Male igitur, indigneque Jordanus, quem hac in re ſecutus es, quique me alicubi in ejusdem erroris communionem traxit, hanc conſilii præcipitationem Univerſitati Pragenæ affinxit, quaſi vero illa in re hiſtorica, ſumme dubia, decemque ſæculis a ſe remota certum aliquid calculo ſuo ſtatuiſſet, definiiſſetque. Vidit anno 1733 Inclita hæc Univerſitas Eruditiſſimi Viri P. Joannis Oppelt ſententiam, qua Czechum Lechumque inter fabulas relegavit, paſſa eſt opus illius in ipſa magna ſua Aula Carolina diſtribui, Theſes adjectas propugnari, prædicarique, non ignara, modeſta diſceptatione, contrariorumque oppoſitione ſumma incrementa rei literariæ accedere, quemadmodum unius opinionis definitione commercia erudita, ſcribendique & ſentiendi libertas tolluntur. Si tamen Vir Cl. Acta Troiliana legiſti, effare, num vel unum firmum, ſolidum, convincensque argumentum ſeu ad aſſeverandam, ſeu negandam Czechi tui opinionem deprehenderis? detexiſtine in alterutro authore monumenta quæpiam vetuſta, quæ tibi fidem faciant hunc conditorem gentis exſtitiſſe, aut non exſtitiſſe? Quid in utroque reperire licet, quam præjudicia, gentis rumuſculos? authorum recentiſſime pene ex ovo excluſorum teſtimonia? verborum pugnas? argumentationum nebulas? captiunculas? ſatyras & contumelias? Troilo in eo ſumma argumenti vis, quemadmodum & tibi: dedecoroſiſſimum eſſe genti noſtræ a *barbara natione* originem trahere, quod ad ravim uſque totis paginis exaggerat. Sed cum Vir Cl. ſedulo priora de Troili ſententia ex Jordano exſcripſiſti, cur non quoque Jordani judicium de hac Troili difficultate ſubjeciſti? *Sane* (inquit Jordanus (a)) *Troilus* . . . . *immerito*

(a) Jordan. orig. Slav. ſect. 51 N. 698.

LUCIFER. *rito Sudetio ſuccenſuit, qui enim apud veteres Græcos & horum more quoque apud Romanos nec barbarus, nec Scytha audire voluiſſet, vel in Græcia vel in Romano Imperio, vel nullibi terrarum exiſtere debuiſſet; Tralatitium eſt apud veteres a Græcis pariter ac a Romanis omnes populos exteros barbarorum, omnes ad ſeptemtrionem vergentes Scytharum nomine inſignitos eſſe.*

III. Non minus ab omni veritate alienum eſt: Schleinicii Proto-Epiſcopi Litomericenſis hiſtoricum opus (quod anhiſtriſiæ nomine condemnas) Procerum Bohemiæ juſſu Balbino ſub cenſuram traditum fuiſſe, atque vel ideo, quod Czechum conditorem gentis negaverit, ſuppreſſum, prelique beneficio mulctatum. Relatæ enim Balbini cenſuræ, qua Schleinicii partum acrius notavit, ſubjungis: *Propterea que Schleinicii ſcriptum ſuppreſſum, & luce publica haud dignum viſum fuit.* Verum unde hæc tibi Vir Cl. ſcribendi confidentia, aut unde hauſiſti hæc documenta Schleinicii Manuſcriptum unquam Procerum Boemiæ juſſu Balbino ſub cenſuram fuiſſe traditum, ſeu plane ſuppreſſum, & luce publica indignum viſum? Jactavitne loco aliquo in libris ſuis Balbinus hanc provinciam ſibi a Regni Proceribus fuiſſe demandatam? quin illum audi eodem libro 2. Miſcellaneorum c. 14. (ad quem provocas) de re altiſſimum ſilentem, planeque conteſtantem fortuito, non juſſu Procerum Schleinicii Manuſcriptum in manus ſuas deveniſſe. Verba illius ſunt: (a) *Incidi nuper in juſtum volumen Manuſcriptum* (nempe Schleinicii) *de rebus Bohemicis in duas diviſum partes, quarum prior generatim ad univerſam Boemiam pertinentia tractat, poſterior illuſtrium Boemiæ familiarum origines complectitur.* Itane quod homini fortuito in manus incidit, idem tibi eſt atque ab ordinibus regni data opera cenſuræ tradi? Næ igitur manuſcripta omnia, quæ hodie in manibus meis ſunt, ab Ordinibus regni cenſuræ meæ commiſſa ſunt. Tantum abeſt, ut ſeu Balbinus, ſeu quis alius ſcriptorum noſtrorum uſpiam meminerit Schleinicii opus ab ordinibus regni ſuppreſſum orbatumque venia, ut in lucem publicam prodiret. Conſpecturus id es aliquando in meis Tomis Manuſcriptorum nuſquam antehac editorum, præſertim poſteriorem illius Partem, cui non inutiles injucundæque de inclitis noſtris familiis memoriæ inſunt, cogniturus tum, an Incliti Status noſtri obicem publicationi hujus operis poſituri ſint, an non potius conſilium meum probaturi? Verum hæc fulcimenta merito tibi effingenda erant, ut Czecho tuo firmioribus hiſtoriæ antiquitatiſque præſidiis orba-

(a) Balbin Dec. 1. L. 2. c. 14.

orbato a Regum, Procerumque Bohemiæ ſententia patrocinium falſo emendicares; quo præcipiti conſilio plurimum de ſapientia, de prudentia Regum Procerumque noſtrorum detraxiſti, quos ſic effingis, tanquam in Czechi ſententiam juraſſent, atque ad ejus aram priſca ſuperſtitione vota nuncupaſſent, quibus tantam incogitantiam impingis, tanquam obfirmata voluntate omnes vulgi fabellas pro veritate hiſtorica, & Sybillinis foliis recepiſſent, eo, inquam, tetro colore exiſtimationem illorum detrudis, tanquam ignoraſſent, quid interſit inter res fidei, hiſtoriamque, tanquam mente aſſecuti non fuiſſent, quantum æmulatio Virorum literatorum, quantum modeſta concertatio ad eruendas in re hiſtorica veritates proſit. Non tu alios a Regibus, a Proceribus noſtris libros unquam ſuppreſſos legeris, quam qui Religioni vulnera infligere viſi, quam qui bonis moribus, tranquillitati puplicæ, civili, politicoque ſtatui bellum inferre auſi. Ceteris literatorum ſcientificis diſceptationibus fræna injicere, ad unius opinionis propugnationem ingenia cogere,, in dubiis ejuſcemodi controverſiisque certum ſtatuere, ſemper a providentia, eruditione, ſapientiaque Regum, Procerumque noſtrorum fuit alieniſſimum. Quid enim id fuiſſet, ac ſcientiarum expolitioni metas ponere, erudiendi cupiditati alas præſcindere, ne dicam pulcherrimam diſciplinarum molem compagemque ſubruere, ac evertere? LUCIFER.

IV. Ab his ad alia duo Præfationis tuæ momenta progrediamur. Primum verbis tuiſmet referre libet: *Gelaſius* (ais) *riſum mihi maximopere movit, cum ipſe Cl. D. Carolum Krzizium riſit, quaſi nonniſi Philoſophicas pro Czecho tuendo attuliſſet argutias, quæ tamen ejuſmodi ſunt, quas dum non potuit ſolido quopiam documento, aut argumento elidere, anniſus eſt falſe eludere; Quodſi ita habet, Gelaſius cum hæc ſcribebat minime gentium inter eruditos, tanto minus Philoſophos fuit, ſane fuliginem hanc, quam nomini ſuo facto iſto aſperſit, haud eluet, quouſque inclita Slavorum natio cum ſuo Czecho gloriabitur.* Sed quis eſt, qui tecum rideat, qui dictis his tuis ridiculis cachinno applaudat? Joculatores, mimoſque per fora pretio emas neceſſe eſt, qui rem tecum faciant, prudentum reperturus neminem. Sed a riſu ad ridenda tua: Receperam in præfatione mea Partis III. Annalium Hagecianorum Lectori Authorem Introductionis in hiſtoriem ſacram Boemiæ (qui tecum eundem Czechum ab inferis revocare conniſus erat, atque eam ob cauſam me ſcriptaque mea nonnihil acerbius impetierat) porro a me intactum per.taturum. Sed tuus Vir Cl. riſus, plauſuſque me rurſum arma reſu-

LUCIFER. mere compellunt, ut ne ex arena cum ludibrio profugiſſe videar. Tu vero videris, quam gratiam is tibi habiturus ſit, qui ejus jam pene ſanata vulnera ungue refricas. Paucula ſuperſunt argumenta hujus Collegæ tui, quæ tu in Lucifero tuo non recoxiſſes, novoque ſolum jure condiviſſes. Cum tua igitur refutata ſubrutaque cognoſces, cognoſces & illa Collegæ tui. Quæ tamen a te prætermiſſa comperero, tanquam in tranſcurſu, breviter uti res feret, & velut a latere petam, removeboque. Non enim amplius cum illo, ſed tecum mihi res eſt & negotium. Atque cum mox ſupra Schleinicii facta ſit mentio, tempus locumque peropportunum arbitror, ut probem Schleinicium re ipſa *Czechum negaſſe*, ſecus quam Collega tuus ex dubio quodam obſcuroque Balbini loco argutatus ſit: *ſolum de illo dubitaſſe.* (a) Schleinicii vero Czechum conditorem gentis prorſum negantis hæc ſunt teſtimonia: Parte II. c. 5. ita ſcribit: (b) *Ex hucusque deductis ſatis putem eliqueſcere, omnia, quæ ſcriptores noſtri Bohemici circa culturam Bohemiæ per Cechum aliquem Croatam ſive Dalmatam Illyricanum ab anno ſalutis primum 644 inceptum nobis tradiderunt, atque a vulgo jam ipſo religioſe, ut ita dicam, creduntur, commenta eſſe mera & fabulas.* Rurſum: *Diffiteri hic non poſſum, præfatum Cechum Croatam illum eo modo fabuloſum occaſionem dediſſe authoribus etiam externis quibusdam aliis plura de ſe ſe alia fabulandi, & ſine fundamento tradendi.* Denuo: *Tum etiam quod annalibus noſtris Bohemicis non conſtet ſæpe dictum Cechum fictitium ullum unquam pedem extuliſſe extra Bohemiam.* Iterum: *Sed vanitatem ejuſce de Cecho aliquo Illyricano fabellæ præter allata capitibus ſuperioribus, ſatis etiam judicio meo confirmatur:* Sed necdum omnia: *Nec & Ducem eum ipſum Cechum*, inquit, *quem conditorem nationis fuiſſe Bohemicæ male nos hucuſque credidimus.* Vis plura? *Attento maxime: quod alterius alicujus Cechi, præter eum, quem cultorem Bohemiæ fuiſſe primum nos nobis fingimus, nullum uſpiam in hiſtoria noſtra exſtet veſtigium.* Necdum Collegæ tuo, tibique ſatis eſt teſtimonii? unum adhuc audite: *Ut mihi idcirco vel ipſi, antequam etiam in hiſtoricis tam Romanis, quam & Germanis adverſa quædam narrationibus noſtrorum deprehendiſſem, ſemper hiſtoria ea de Czecho atque Lecho Bohemiæ, Poloniæque primis cultoribus, gentisque utriusque conditoribus fuerit viſa ſuſpecta, & vel a ſimilitudine ipſamet & veri haud parum abſona.* Infinitus ſim, ſi omnia Schleinicii loca, & cumprimis Præfationem illius exſcribam, quibus Czechum non modo

(a) Introductio ad ſacram hiſtoriam Boemiæ ſect. 3. pag. LXXII. & ſeq. (b) Manuſcriptum Bibliothecæ Waldſteiniæ Duxovienſis, cujus apographum apud me eſt.

modo ſibilis omnibus explodit, ſed & infra omne fabularum meritum deprimit. Satisne vero tandem oſtendi Schleinicium non ſolum dubitaſſe, ſed vere negaſſe Czechum? Ridesne adhuc Vir Cl. affirmabisque porro hoc jam unum primumque Collegæ tui argumentum, *me non potuiſſe ſolido quopiam documento aut argumento elidere, ac propterea aniſum ſalſe eludere*? Reperturus cætera eodem prorſus vigore confutata enervataque in his ipſis confutationibus meis. Nempe *tardi ingenii eſt*, inquit Cicero (a) (*rivulos conſectari, fontes rerum non videre.* Aliud eſt conjecturas ex tranſcriptorum argutationibus, verborum umbris, rerumque nebulis venari; aliud feram inter caſſes certam recluſamque tenere. Ne dicam maximæ incogitantiæ genus eſſe, æmulum tuum ex Manuſcripto, quod nuſquam videris, nuſquam legeris, quodque is non modo in penu ſua habeat, ſed a capite ad calcem uſque meditate etiam evolverit, refellere, aut infirmare. Sed peccatum hoc Collegæ tui, etiam tibi commune eſt, infraque oſtenſuri ſumus hanc ipſam caliginem crebro oculis tuis fuiſſe offuſam. LUCIFER.

V. Ad id quod pene extremum Præfationis tuæ eſt, veniamus: Modeſtiam tuam, ſtylique attemperationem Lectori perſuaſurus ais: *Tametſi autem mihi nec ungues deeſſe, nec dentes, nec telum, ſi liberet, uti libens, lubensque fatear; egi tamen, ut L. B. intelligat tota hac lucubratione gravius non eſſe erratum, quam quod Cl. Gelaſius nimis clementer habeatur.* Et multo poſt ſubjungis: *Quare præmonitum velim, ſi quis forte mea tanti fecerit, ut digna reſponſo exiſtimet, quo intra limites & metas conſiſtat modeſtia, neque cum Cl. Gelaſio extra pomœria vagari amet; Nam ſicubi ex defectu veterum documentorum non potuerit hiſtorici, malit Philoſophi, quam aut obtrectatoris, aut ludificatoris partes, aut prorſus agere nullas, nec enim probi & literati viri eſſe exiſtimo pro argumentis ac hiſtoricis demonſtrationibus verba probroſa reddere.* Næ ego Clementiæ tuæ, Modeſtiæque æternam debeo memoriam, ac officii mei deputem utrique aras, delubra, & coloſſos nuncupare, næ denique in ambas tanquam in ſpeculum inſpiciam, atque ex illis exemplum ſumam, quid laudi, quid vitio detur, qua norma mihi poſthac attemperandus ſit ſtylus. Quid enim hac tua oratione dignius animo omnibus affectibus libero, planeque ad eruendam veritatem accomodato? Non gravior, præſertim ſi poſtrema verba tua ſpectentur, a Catone afferri potuit ſententia. Nec dubitare velim Vir Cl. te hac voluntate ad ſcribendam hanc lucubratiunculam acceſſiſ-

(a) Cicero lib. 2. de Orat, c, 27.

LUCIFER. ſe, quid enim a te Viro moribus perpolitiſſimo, in hoc humanitatis civilitatisque emporio ſcribente, tot urbaniſſimorum concivium conſuetudine ac conſortio utente non humanum non modeſtiſſimum exſpectare potuit orbis literatus? Quare plene perſuaſus ſum te maxime indignari Lucifero tuo; qui omnes modeſtiæ limites a te ſapienter præſtitutos egredi auſus ſit, plane adducor, ut credam ſeveriſſimo ſupercilio tuo male acceptum, qui non ſit veritus tantoopere a propoſito tuo optimaque voluntate deſciſcere, nec dubito jam rubori tibi eſſe hunc ſpurium partum, qui cum ſumma tua humanitate nihil commune habet, tuum videri, æſtimarique; quin vel tacite oculis mihi innuis, ut probe eum verſem, depectam, attondeamque, qui tantæ auſteritatis tuæ præcepta temerare ac infringere ſibi religioni minime duxerit. Quod enim ejus toto opuſculo tuo molimen & opera, quam latrare, frendere, ſpumare, mordere, & laniare? Ego vero cum Ariſtippo: *Ut ille linguæ ſuæ, ſic & ego mearum aurium dominus ſum.* (a) Non æmulabor Luciferi tui maledicentiam, ſed graviſſimam tuam modeſtiam. Qui ſi ait *ſe non gravius erraſſe, quam cum me nimis clementer habuit*, ego malim dicere, me omnium graviſſime peccaſſe, dum nonnunquam vel juſti doloris acerbitate abreptus minimum inclemens in te fui, aut vel umbra offendiculi exiſtimationem tuam vel invitus læſi. Qui ſi ait: *Omnia mecum infra meritum meum expoſtulata fuiſſe*; ego tanquam meritis tuis maxime injurium execrer, damnemque omne illud, quidquid gratiam tuam exulcerare poteſt. Modeſtiæ enim limites, quos ſtatim ſub principium operum meorum hiſtoricorum certos mihi præſtitui, prohibent unquam licentius evagari. Quare contumeliam mihi Lucifer tuus impegit graviſſimam, cum nullo teſte, reoque allato loco criminatus eſt mihi in amoribus eſſe *extra modeſtiæ pomœria vagari.* Hæc ille in iſta luce temporum atque hominum auſus propalam ementiri, quaſi nemo eſſet, qui mea haberet in manibus, qui ea legeret, aut legiſſet. Teſtes inquam moderatiſſimo ſtylo meo, teſtes cultui & reverentiæ erga omnium ordinum mortales ſunt libri mei, quos conſulere, atque excutere unicuique liberum eſto. *Me ſibi habeto, ego me illi mancupio dabo*, cum Comico auſim dicere, qui minimum in illis detexerit, quod modeſtiæ legibus adverſetur. Si quid Lector acerbius Parte II. Annalium meorum in æmulum meum dictum repererit, prudens haud vitio dabit, nonniſi injuriis provocatus, juſtique doloris ſenſu percitus, non tam illum aculeis appetii, quam is erinaceum tangere, abutique volens ſe ipſum ſauciavit. Re-

(a) Joann. Sarisbergenſis L. 3. Policrat. c. 14.

Reſpondere volui, non laceſſere,
Benedictis ſi certaſſet, audiſſet bene,
Quod ab illo allatum eſt, ſibi
Eſſe id relatum putet. (a)

Lucifer.

Pari modo ſi in hac defenſione mea æquus rerum Æſtimator, Lectorque deprehenderit Luciferum ſubinde ſatyrico aceto probe prolui, non id intemperantiæ meæ, ſed æquitati admetiatur. Nec enim aſperiora mea verba aliud ſunt, quam tela, quæ in me vibrata deflecto, atque in ſagittarium retorqueo. Retorſionis ejusmodi primum exemplum vel in hujus Præfationis exitu eſto: Nam cum Lucifer omnia opuſcula mea ſuperciliosè aſpernatur, ludibrioque vindicias meas adverſus Collegam tuum habet, hæc intemperantiſſime adnectit; *Plane a me impetrare non poſſum, ut unius cujusdam Viri Clariſſimi ſuper reſponſo hoc Gelaſiano tecum B. L. non communicem cenſuram, & eſt tanto verior, quo brevior:*

Plus ſalis an piperis redolent reſponſa Gelaſi?
Lis penes eſto cocum, dum parat ille focum.

Hactenus Lucifer tuus, quem locum emutuatus ille eſt ab ipſo Collega tuo, qui ſimillimo fallaci telo Vindicias Eduardi noſtri Corſini appetit. (b) Sed quis ille Vir Clariſſimus, liceat mihi cum Juſto Lipſio plane ſimilibus armis ab adverſario ſuo infeſtato quærere? (c) *Quis igitur ille? quis? quis? files & palles? nam erubeſcere tu quidem non ſoles. Quid ſi amicus aliquis tuus? quid ſi ipſe tu? tu? heu! quam rideamus, ſi te pro te in me teſtem voces? Sed premo, nec ultra divulgo hoc arcanum.* Credisne vero non æque divite vena mihi carmen fluere, aut tam tardo me eſſe ingenio ad excudendum acumen, ut ne illud acerbiori etiam vulnere in Luciferum tuum fas ſit retorquere? Hem habe!

Nil ſalis, at piper, & cepas redolent tua ſcripta,
Non igitur doctis, ſed ſacra ſunto focis.

Sed pudet ejusmodi quisquilias, & nugaces merces mangonum ritu ſeveriora, gravioraque empturienti Lectori venales obtrudere; Ad ipſa capita, quibus Czechus hiſtoriæ patriæ reſtitui quæſitus properandum, detegendumque, quantum Lucifer ſcripta mea ſurſum, deorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſumque detorſerit, videndum inquam, quanta verbis

(a) Terentius in Prologo Phormionis. (b) Introductio in hiſt. ſacram Boemiæ pag. CXII. (c) Juſt. Lipſius adverſus Dialogiſtam.

LUCIFER. bis illius vis & veritas inſit. Nihil autem prætermittendum eſſe merito ratus ſum, ne novis riſibus atque plauſibus locus relinquatur, aut rurſum obtendi poſſit, me rem præteriiſſe, *quod nullo ſolido documento aut argumento eam elidere licuerit.* Quæ rerum multitudo, multiplexque confutatio longiorem faciet hanc Apologiam. Nam ut Balbinus ait: (a) *Defenſio longe plus verborum, quam accuſatio, & criminatio poſtulat.* Te vero amice Lector verbis Luciani præmonitum, præmunitumque velim: *Non alterius judicio fides habenda, aut accuſatoris odio, ſed nobis ipſis inquiſiionem reſervare debemus, quod ſuum eſt veritati, & accuſatori æque dandum. Poſtquam vero res in aperto poſita erit, & partis utriusque argumenta expenſa, odiſſe aut diligere oportet, quem alterutro dignum inquiſitio oſtenderit. Præpoſtero vero ordine vix auditam accuſationem probare, hercule! puerile nimis eſt & miſerum, atque longe injuſtiſſimum.*

(a) Balbin. Dec. 1. l. 2. c. 14.

CONFUTATIO
RADII I. REFLEXIONIS I.

§. I.

Pag. 15. PRimo omnium telo Vir Cl. a te peti videor, cum opinionem meam de veteris Zecchiæ ſeu Zicchiæ populis infirmaturus, contendis: me *ſola conjectura, & grammaticali inflexione* adſtruxiſſe Zecchos illos Ponti Euxini & Paludis Mæotydis accolas majores gentis noſtræ fuiſſe. Multis imo graviſſimis authoritatibus rationibusque tam in Prodromo meo, quam Parte II. Annalium Hagecianorum probavi opinionem eam Slavorum veterum moribus, hiſtoriæ patriæ, temporumque illorum, veterum memoriis indiciisque conformiſſimam eſſe, quam ſi evertere animus tibi fuit, a Marcomannorum, Quadorumqne emigratione, aut expulſione ex his terris auſpicandum fuit, neceſſum præterea erat nullam gentium his regionibus olim ſitarum memoriam præterire, convenerat omnia temporum momen-

menta in conſilium vocare, authoritates veterum glomerare, immigrationis Slavorum veroſimillima indicia proferre, hocque adunato argumentorum robore tanquam baliſtis quibusdam muros opinionis meæ quaſſare, atque ad deditionem faciendam vi quadam cogere. At tu tanquam anguem preſſiſſes tota lucubratione tua Marcomannorum, Quadorumque præteris memorias, omnes gentium hæc regionum confinia olim colentium veteres, certas, indubitatasque hiſtorias copioſe a me productas, tanquam ad te minime ſpectarent, aut ſententiæ tuæ minus obeſſent, tranſilis; temporis aut nullam, aut modicam rationem habes, authoritates antiquas plane nullas adfers, Carolo IV. Imperatore poſterioribus ſcriptoribus parem imo majorem atque vetuſtiſſimis fidem tribuis, non res, non hiſtorias, non tempora, non gentium mores ritusque concilias, in eo totus, ut argumenta mea, quæ minimi generis ſunt, quæ nonnunquam congruentiæ ſolius cauſa a me allata, atque a me ipſo conjecturæ nomine donota, infeſtes, evertasque. Ex his tanquam arce capta plaudis, jubilas, & triumphos agis. Ego quanquam materiem hanc ad ſatietatem uſque primis Tomulis meis exhauſerim, juvat tamen hic rurſum argumentorum meorum compendium dare, eaque ſummatim in quatuor capita diſpeſcere, ut uno velut conſpectu teſtatum fiat me non temeraria aliqua conjectura, aut ſola grammaticali inflexione originem gentis noſtræ a veteribus Zecchis deduxiſſe. *Primo.* Cum e productis in Prodromo noſtro coævorum teſtimoniis clarum ſit ad ipſa uſque pene Attiliana tempora & ſæculi V. exordium Marcomannos Quadosque hodiernæ Bohemiæ Moraviæque regiones obtinuiſſe, ſæculi IV. exitu adhuc Reges ſuos habuiſſe; poſt Attilæ vero obitum, diſſolutumque ejus, diſcordia filiorum, regnum illico in vetuſtiſſimis contemporaneisque ſcriptoribus, non amplius Marcomannorum Quadorumque, ſed novorum incolarum Slavorum fiant memoriæ, quæ certior veriorque criſis formari potuit, quam eam ipſam eſſe epocham, qua expulſis Marcomannis majores noſtri Slavi Boemiam incolere occepere? Porro cum ex ſimilibus monumentis conſtet Attilam ab Iſtri pene oſtiis per aquilonarem Danubii ripam magis magisque imperium ſuum perpetuo in occidentem explicaſſe, ac poſtea in Galliarum excidium immenſum barbararum gentium exercitum per has ipſas regiones earumque fines deduxiſſe, quid veritati magis conſentaneum, quam eum ipſum Attilam hoc ſuo Scythicorum Sarmaticorumque populorum torrente Slavos ſecum rapuiſſe? qui poſtea exactis Bojis, Hermunduris, Marcomannis, Quadis, Lygiis, LUCIFER.

LUCIFER. gis, aliisque confinibus gentibus ſeptentrionalia Pannoniæ Danubiique littora occuparunt. Certe Bojis, ſeu ut Græci ſcriptores vocant *Boiſcis*, (ſcilicet genti noſtræ) jam bellum minatus eſt Rova Hunnorum Rex Attilæ in imperio Præceſſor, cum ferre nollet eos cum Romanis ſocietatem pepigiſſe; quod Priſcus Rhetor contemporaneus in Hiſtoria Gothica his verbis narrat: *Cum Rova Hunnorum Rex ſtatuiſſet cum Amaldſuris, Ithamaris, Tancaſſiis, Boiſcis ceterisque gentibus, quæ Iſtrum accolunt, quod ad armorum ſocietatem cum Romanis jungendam confugiſſent, bello decertare &c.* (a) *Attilæ dein Marcomannos, Suevos, Quados, Erulos & Turingos in ſervitutem pariterque & ſocietatem ſe dedidiſſe* memorat Turoczius c. 14. non contemnendæ antiquitatis ſcriptor Hungarus. Non multo poſt Attilæ mortem vero refert jam Procopius l. 2. c. 14. ſub Odoacro & Sæculo V. Herulos *cunctis Sclavenorum populis per fines ſuos deducentibus vaſta ſolitudine permenſa ad Varnos primum* (quæ hodiernæ Brandeburgiæ pars fuit) veniſſe, & ut Jornandis de Slavis Danubii ripis proximis teſtimonium prætermittam, Porphyrogenitus aliique graves vetuſti ſcriptores prædicant, jam ſæculo exeunte V. atque vix quadraginta poſt mortem Attilæ annis Slavos in hodierna Boemia ejusque limitibus (quas regiones *Magnæ Chrobatiæ* nomine Græci tum impertiebant) tanto auctos numero, ut in Dalmatiam transmitterent colonias, atque ibidem novæ Slavorum Dalmatarum, Chrobatorum, Serborumque reipublicæ fundamenta jacerent. Quamobrem merito gentem noſtram reprehendit, ſugillatque Kranzius, quod, cum id proprium gloriæ gentis noſtræ ſit Dalmatas Slavos, Chrobatos, Serbosque ab ipſa ortos, illa magis hanc prærogativam his gentibus cedere, ſeque ab illis ortam confiteri malit. Verba Kranzii, quæ nusquam antehac protulimus, hæc ſunt: (b) *Erubeſcant Boemi fabulam Æneæ Silvii præferentes de profectione Zechi ex Croatia in Boemiam ad fundandam ibi gentem ſuam. Non enim ex Croatia in Bohemiam, ſed ex Bohemia in Croatiam migravere. Nam ſi quis Duces eorum numeret, & inde tempora computet, inveniet nondum Boemos in Croatiam tranſiiſſe, quando fabulatores volunt jam tunc ex Croatia veniſſe Zechum in Bohemiam. Ita cum Ænea* (Silvio) *hanc quoque partem inter deliramenta reputamus anilia, Bohemosque facimus longius tempus in ſua provincia, quam ipſi rentur, demoratos. Secundo* Probavimus veterrimis monumentis Græcorum Latinorumque Hiſtoricorum & Geographorum antiquiſſimam olim potentiſſimamque gentem *Zecchorum* nomine

nomine

(a) In Excerptis legationum T. I. Byzantin. p. 32. (b) Kranzius Wandaliæ l. 1. c. 5. p. 1.

mine compellatam ad Paludem Mæotydis, Pontumque Euxinum conſediſſe, Hunnos vero & Avares ex montis Caucaſi confiniis in Europam emigrantes iter per Paludem Mæotydis carpſiſſe, ac proinde vaſtam illam veterem *Zecchiam*, amplitudine ſua trecenta milliaria (ut Porphyrogenitus prodit) æquantem ſeu *Zecchorum Aſiaticorum* provinciam tranſiiſſe; oſtendimus ex ejuſmodi vetuſtis hiſtoricorum teſtimoniis Hunnos Avaresque omnium gentium barbararum (quarumquarum terras transmigrarant) integra agmina ſecum rapuiſſe, atque ad Scythicum orbis univerſi imperium excitandum in ſocietatem provocaſſe. Quid rurſum ex his veterum indiciis pronius ad fidem faciendam, quam Zecchorum etiam veterum magnam partem una in Europam abreptam, quæ demum Attiliano everſo imperio ſedes ſuas in Bohemia vicinisque regionibus ſtabilivit? Quod ut *tertio* Lectori perſuaderemus, certiusque redderemus, demonſtravimus ex ejuſmodi vetuſtis documentis jam olim in Aſia veteribus illis Zecchis confines fuiſſe Hunnos, Avares, Serbios, Ucros, Chrovatas, Lazios aliosque populos, quos poſterioribus ſæculis genti noſtræ etiam in Europa viciniſſimos fuiſſe, & hodie adhuc quosdam confines conſtat; ut plane teſtatum fiat, quemadmodum gentes illæ in Aſia olim finitimæ ſibi erant, & quodam vicinitatis vinculo junctæ, ita ſe poſtea prope contigueque his Europæis regionibus collocaſſe. *Quarto* probationes etiam quasdam acervavimus, Zecchos hos veteres ſtirpis fuiſſe Slavicæ, præterquam enim oſtenderimus Paludis Mæotydis orientalem plagam olim Sarmatiæ nomine fuiſſe cenſitam, hosque ipſos populos ex Paphlagonia & veterum Henetorum ſede temporum curſu, Græcorumque infeſtationibus altius verſus ſeptentrionem progreſſos, *Amazonum ſobolem* a Græcis appellatos; produximus ex Porphyrogenito nomina locorum in veteri Zecchia plane Slavica, roboravimus id pluribus ejuſmodi compellationibus Slavicis ex aliis Geographis, probavimus ex authoribus duorum viciniſſimorum nobis ſæculorum, non obſtante regionis hodie per Tartaros occupatione, perſeverare etiamnum in hac veteris Zecchiæ regione Slavorum priſcorumque incolarum reliquias. Quæ igitur veroſimilior argumentatio ex hoc teſtimoniorum robore capi potuit, quam hos Aſiæ Zecchos majores noſtros fuiſſe, atque ab iis merito originem gentis noſtræ eſſe repetendam? Id vero eo majori confidentia a nobis adſtrui potuit, quod facile duodecim antiqua manuſcripta, primosque patrios ſcriptores protulerimus, qui ne verbo quidem commentitii illius *Czechi* conditorisque gentis meminere, poſtquam LUCIFER.

LUCIFER. certiſſima rei temporisque indicia deteximus, opinionem de Czecho non prius atque ſæculo XIV. apud hiſtoricos noſtros enatam, quo loco ad oculum, ut dicimus, exhibuimus, quo errore latinæ interpretationis *Czechus* conditor gentis exortus, qua mala Dalimili intellectione *Lechus* prognatus ſit, quibus viis error hic a gente noſtra ad Polonos ſerpſerit, atque poſtea fato aliquo civitatem in re hiſtorica obtinuerit. Demonſtravimus ex Theophane, Jornande, Procopio Slavis morem non fuiſſe regi a Ducibus Regibusque, probavimus ex ipſo Chriſtanno noſtro ipſi genti noſtræ ante Przemyslum Ducem nullum fuiſſe, poſterioribus vero temporibus uſque ad Caroli Magni & Ludovici Pii ætatem non unum aliquem Ducem Bohemiæ præfuiſſe, ſed in viginti facile pari poteſtate præditos fuiſſe diviſam. Oſtendimus denique principia gentis noſtræ, quæ hactenus familiam in hiſtoria duxere, vel ipſo Coſma teſte, non ex coævorum hiſtoricorum teſtimoniis, ne quidem ex vetere aliqua perpetua & conſtante traditione, ſed ex *ſenum fabuloſa relatione* hauſta eſſe, ea vero tam obſcura, perplexa, ſibique repugnantia, ut nec cum rebus, nec temporibus, nec hiſtoriis, & ne ipſa ratione quidem conciliari poſſint. Quæ ſi omnia jam glomerentur orbisque literati judicio & calculo ſubjiciantur, adſtipulaturusne eſt verbis tuis *nonniſi conjecturam & grammaticalem inflexionem* eſſe? dignamne his aculeis, his ſatyris, contemtibusque ſentiet opinionem meam, quibus eam ubivis laceras exulcerasque? An non magis cum tribus hodie florentiſſimis Academiis, quæ ultro hos hiſtoricos meos conatus ſuffragio ſuo comprobarunt, ſentiet; veroſimillimam eſſe ſententiam ex veterum monumentorum hiſtoriarumque combinatione profectam, cui merito indiciis ſuis tanquam ſorex detecta Czechi fabula cedere debeat; cui in clarorum documentorum defectu merito ante ceteras prærogativa concedenda ſit, dum certiora, verioraque (quod boni ſuperi faxint) coævorum teſtimonia de principiis gentis noſtræ proferantur. Atque hæ turres, hæc moenia, hi muri ſunt opinionis meæ, in quos dum refractaria cervice temere incurrere Lucifero perſuaſit audacia, lectis tandem confutationibus meis intelliget, ſe ante eos prius cerebrum effudiſſe, humique ſparſiſſe, quam perruperit aut everterit. Primum inſultum illius jam ſpectare & excipere libet:

Pag. 16. II. Paradoxon tibi eſt veterum Zecchorum ſeu Zicchorum in Europa nomen, aisque nuſpiam apud veteres vicinos Germaniæ ſcriptores mentionem fieri finitimorum quorundam ſibi *Zichorum*, *Zinchorum*

aut.

aut Zingorum, quod nomen tot tantosque hiſtoricos latere potuiſſe nullo pacto induci potes, ut credas. Atqui nec *Czechorum* tuorum uſpiam apud veteres Germaniæ ſcriptores deprehendas nomen: An uſpiam vel ante ſæculum XIV. hoc nomine compellatam gentem noſtram in quopiam hiſtorico Germano, Geographoque deprehendiſti? & ut confidentius loquar: an vel in ſcriptore patrio ante ſæculum XVI. id tibi unquam lectum eſt? Si igitur argumentationi tuæ mea admetienda ratiocinatio, nec nos hodie Czechi unquam in Europa exſtitimus, aut Bohemiam incoluimus. Quæ cauſæ fuerint, quod tam diu *Czechorum* Slavicum nomen tectum, ac pene unius reipublicæ familiæque Slavicæ Pragenæ terminis circumſcriptum fuerit, fuſe in Prodromo noſtro paginis 161. 162. 163. alibique perſecuti ſumus. Quod Germani, vicinæque gentes nos paſſim *Boemorum* nomine indigitaverint, id alio quoque loco enucleate explicavimus; profluxit id nempe ex vetuſtiſſimæ Bojemiæ Bojemorumque cognitione, quæ etiam Bojis conditoribus expulſis, ſuccedentibusque Marcomannis priſcum ſuum nomen conſervavit. *Manet*, inquit Tacitus: (a) (*adhuc Bojemi nomen, ſignificatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus*. Non reſpondet igitur proprie exacteque, ut tu longa verborum ambage probare admiteris, hoc *Bohemorum* veterum nomen alteri Slavico *Czechorum*, ſed primo conditorum *Bojorum* nomini. Czechis id nonniſi aliqua ex ratione, ne dicam improprie, competit, inquantum illi videlicet veteribus Bojis ſeu Bojemis in hac regione ſucceſſere, quemadmodum & Slavorum *Dalmaturum* hodie in Dalmatia nomen non proprium eorum primigeniumque eſt, ſed ex provinciæ veteris occupatione acquiſitum. Unde ſi quis adhuc, quod dubitare nolim, germanorum ex prima illa Bojorum progenie in hoc Regno noſtro ſuperſtes eſt, eum proprie & omni titulo *Boemum* dixeris, vitioſe autem *Czechum* appellaveris, qui ſeu a *Czecho* tuo, ſeu *Zecchis* meis originem traxiſſe nullo modo dici poteſt, niſi eo fortaſſis titulo, quod regionem poſterius & hodie *Czechiam* appellatam, incolat. Neque fuere in ſtricto ſenſu, hæc duo *Boemus* & *Czechus* ſemper convertibilia, ſecus enim ſequeretur & Bojos, & Marcomannos, qui ante Slavos tenuere Boemiam jam *Czechos* appellari potuiſſe. Quare erraſti graviſſime (verbo ſit venia) Vir Cl. cum confidenter ita ſcribis: *Hæc propoſitio:* " *ego ſum Boemus:* " *ante quatuor-* LUCIFER. Pag. 19.

(a) Tacitus de moribus German. Sect. 28.

LUCIFER. *tuordecim & fortaſſe plura ſæcula non potuit aliter Slavice exponi . . . . quam hac hora exponatur :* " *Slavice* : Gá gſem Czech, *germanice:* Ich bin ein Böhm. Ante quatuordecim ſæcula (taceo anteriora) adhuc Marcomanni pleno jure tenuere Bohemiam , nec enim, ut reliqua hiſtoriæ veteris momenta prætercam , Fritigildem a Paulino coævo in vita S. Ambroſii ad D. Auguſtinum ſcripta commemoratam antiquitati hiſtoricæ, literatorumque virorum ſententiis extorſurus es. Quomodo inquam hæc propoſitio ante quatuordecim, & plura ſæcula jam vera fuit, cum tu ipſe Reflexione II. §. XVII. pag. 160 ex Kutheni aut Hagecii ſententia ſtatuas Czechum ſæculo primum ſeptimo, annoque ſeu 639. ſeu 644. in Boemiam advenïſſe ? Itane jam duobus aut tribus plane ſæculis, antequam Czechus tuus in Boemiam immigravit, Boemi aliter Czechi appellati ſunt ? Unde vero hoc Czechorum nomen invenerunt ? an a Czecho ? minime gentium: quia is calculo tuo ne quidem adhuc natus eſſe potuit. Videsne quantum duo oculi, unaque mens tam parum viderit, unusque calamus tam pugnantia ſcripſerit ? ſentisne quantum te in retia implicueris, ut ea permordere, aut perrumpere minime liceat ? Næ tu vel invitus incogitansque in caſſes noſtros incidiſti , & Czechorum nomen etymonque aliunde, quam a Czecho tuo deflectendum eſſe innuiſti. Quid dicam niſi illud Mamertini : (a) *Glorioſum victoriæ genus eſt, ab eo, cum quo decertem, arma capere, quæſitumque adverſario teſtem illinc ſtare, & iſthinc dicere.* Ante quatuordecim ſæcula , & ſupra vera illa convertibilisque fuit propoſitio: *Ego ſum Marcomannus, ego ſum Boemus.* Germanice : Ich bin ein Markmann, ich bin ein Böhm. Czechi eo tempore ne quidem per ſomnium incolis Boemiæ noti fuere. Melius diſpexit, diſpeſcuitque hæc duo nomina Hagecius tuus, in quo omnia reponis, ille enim in Proœmio ſuo ita commentatur : (b) Boemus, Czech to geſt weliký Rozdjl. Boemia Czeſká Země, to ſe welmi netreffuge. Seu ut latine reddit noſter P. Victorinus : *Boemum inter & Czechum maxima eſt diſcrepantia, nec Boemia & Czechia congruunt.*

Pag. 19. III. Ut Czecho tuo authoritatem vetuſtatemque vendices, contendis Vir Cl. illum a Coſma in Chronico ſuo libro primo relatum, proque primo conditore gentis venditatum *Boemum* haud alium eſſe a *Czecho* tuo ita pro diverſitate linguarum appellato. Objectionem hanc difficultatemque pridem in Parte mea I. tum II. Annalium Hageciano-rum

(a) Claud. Mamert. l. 2. c. 10. (b) Hagecius in Proœmio Annalium ſuorum.

rum ipſe mihi movi, dilui, diſſolvi, profligavique. Sed nec tu, nec LUCIFER. Collega tuus argumenta mea dubium hoc penitus, & a radice exſcindentia uſpiam attuliſtis, & quod officii veſtri erat, enervaſtis, imò rurſum cramben hanc recoquere minime veriti, quin ejus ingratum fatuumque ſaporem condimento aliquo temperaſſetis aut penitus ſuſtuliſſetis. Cute nimirum, atque percallide quoddam genus hominum res tanquam non viſas, lectas auditasve prætermittere, & ficto ſupercilio deſpicere ſolet, cui ſe enodandæ parem non agnoſcit. Verum ut ne novo riſui, plauſuique ſilentium noſtrum cauſam argumentumque præbeat, ad incudem dubium hoc revocare neceſſe eſt, id unum te obſecrantes, ut veritati aurem accommodes, atque æquitati duriorem animum ne opponas. Coſmas in epiſtola ad Gervaſium Magiſtrum Chronico ſuo præmiſſa inquit: *Igitur hujus narrationis ſumpſi exordium a primis incolis terræ Boemorum.* Quæro jam ex te Vir Cl. num Slavi, qui cum Czecho tuo venere in Boemiam *primi incolæ fuerint terræ Boemorum*? An non vel tu ipſe Bojos & Marcomannos ante Slavos Czechumque tuum in Boemia conſediſſe, atque a prioribus etymon Boemiæ enatum admittis? Quid ſi autem Slavi cum Czecho tuo primi fuerunt incolæ Boemorum, quem locum Bojis, Marcomannisque concedas? ego alium non video niſi poſteriorem, nempe ut Slavis Czechoque tuo primatus vindicetur. Sapisne Coſmam per *Boemum* ſuum minime Czechum intellexiſſe, cum ille Chronicon ſuum a primo, primisque incolis terræ Boemorum ordiatur. Sed ut jam ex ipſis Coſmæ verbis magis dilucidem, eum principium hiſtoriæ ſuæ minime a Czechis, ſed multo altius duxiſſe, hæc argumenta præterea habe: Orditur Coſmas Chronicon ſuum ab univerſali terrarum orbisque inundatione, & linguarum confuſione ad turrim Babel. Narrat omne humanum genus tum ſeptuaginta virorum numero fuiſſe comprehenſum, qui in tot linguarum genera diviſi, *vagi & profugi longe lateque diſperſi per diverſa ſpatia terrarum errabant, ac de die in diem corpore decreſcentes in generationes & generationes creſcebant.* Eveniſſe dein *ut humanum genus, Dei nutu omnia diſponente, poſt multa ſecula tandem has etiam in partes veniret Germaniæ, ſilvamque Hercyniam.* Narrato poſtea ſitu ac fertilitate Boemiæ quam pro veteri illa Hercyniæ ſilva habet, ſubjungit ex ſenum fabuloſa relatione Boemi ſui in patriam noſtram ingreſſum. Lita Vir Cl. veritati, Deo tantoopere hominibusque acceptæ, explica citra contumaciam ſenſa animi tui, an ſeu tu, ſeu quiscunque alius prudens rerum æſtimator hanc Coſmæ narrationem, illasque modicæ de Boemo ſuo traditionis ſcin-

LUCIFER. ſcintillas a primo omnium incola & conditore Boemiæ ad Czechum Czechosque Slavos poſſitis traducere? Czechusne primus fuit omnium, qui in Germaniam & Hercyniam ſilvam poſt diluvium penetravit? nullus ante eum in hiſtoriis proditus Hercyniæ incola? Verum necdum omnia, plura reliquit Coſmas luculentiſſima indicia, ſe ſe quaſi per quasdam nebulas de primis incolis Bojis, Gallis nempe ſeu Germanis locutum: ſub adventum Boemi ſui in hanc patriam regionem ita rurſum commentatur Coſmas: *Hæc regio tempore in illo intentata jacebat aratro, & homo qui tentaret, adhuc eam non intrarat.* Itane ante Czechi tui adventum Bohemia fuit aratro intentata? nemone ante illum, qui tentaret, eam intrarat? ubi ergo Boji? ubi Marcomanni, qui iſthic florentiſſima tenuere regna, qui tot fortes glorioſosque Reges etiam Romanis annalibus commendatos Romæque formidandos numeravere? ubi agricultura Marcomannorum, quæ toties a Tacito prædicatur? quas veteres patriæ noſtræ memorias pridem in Prodromo noſtro dedimus, nec tu Vir Cl. impugnare, aut negare auſis. Vis etiamnum aliud teſtimonium, Coſmam per Boemum ſuum non Czechum, ſed primum omnium hominum poſt diluvium incolam intellexiſſe? Audi Boemum illum terram quæſitam ſub ingreſſum ſalutantem deoſculantemque cum hac verborum emphaſi: *Salve terra fatalis mille votis quæſita nobis, olim diluvii tempore viduata homine, nunc quaſi monimenta hominum nos conſerva incolumes, & multiplices noſtram ſobolem a progenie in progenies.* Sane tu hiſtoricorum omnium primus ſis, oportet, qui a diluvii tempore hominibus viduatam hanc regionem a Czecho inventam, excultam, eique primum nomen inditam ſtatuas. Huc præterea ſpectat, quod jam Parte II. Annalium noſtrorum pag. 32. Lectorem monuimus: primos incolarum Boemiæ mores fuſe a Coſma deſcriptos optime congruere moribus veterum Germanorum, nam ſimillimis eos depingunt Strabo, Tacitus, Herodotus, Caſſius, Julianus, Juſtinus aliique vetuſtiſſimi Hiſtorici, in quo argumento ne longior ſim, te Vir Cl. ad Germaniam antiquam Pauli Chriſt. Hœpfneri remitto, in quo eleganti opuſculo ex iisdem antiquiſſimis ſcriptoribus eadem de priſcorum Germanorum victus parſimonia, laborum patientia, veſtimentorum neglectu, agriculturæ ſtudio, armorum genere, domiciliorum exilitate, vagoque amore excerpta reperturus es, quanta Coſmas de primis Boemiæ incolis prodidit. Nemini igitur, non ajo hiſtoriæ, ſed vel latinæ linguæ perito perſuaſurus es, Coſmam per Boemum ſuum ejusque comites intineris Czechum Czechosque tuos intelle-

tellexiſſe, quin certum, firmum, indubitatumque manet, quod pridem in Annalibus noſtris ſtabilivimus, erraſſe Dalimilum Mezerizky, qui primus hiſtoriam patriam vernaculis verſibus conſcripſit, Coſmamque, adjectis quibusque Poeticis fictionibus, Boemice loqui docuit, erraſſe inquam Dalimilum cum illud *proprium Boëmi* in Coſma proditum *nomen per gentile* vernaculum Čzech explicavit, unde poſteriores latinum quoque vocabulum proprium *Czechus* architectati ſunt. Retinendum erat Dalimilio primigenium proprium vocabulum *Boemus*, quemadmodum caute id fecit Hagecius, dicendo: negaký Boemus; aut certe poſtrema ſyllaba hujus proprii nominis accomodanda inflectendaque erat ad genium linguæ Slavicæ, non penitus tollendum erat, & per gentile explicandum. De quo errore alibi enucleatius copioſiusque, cum rem hanc rurſum moves, agemus. Aerem idcirco verberas, cum ais: *Boemus omnibus Slavicis nationibus latinæ linguæ ignaris, & ante Coſmæ tempora & in præſens eſt ignotus, ac nonniſi latinorum commentum reputatur.* Non fuit *Boemus* is linguæ noſtræ apprime gnaro Hagecio ignotus, qui in Prooemio ſuo dicit: Boemus Čzech, to geſt weliký Rozdjl, qui ab illo Coſmæ *Boemo* non derivavit Czechos, ſed *Boemuſos* quosdam ipſi vernacule Boemusuowé appellatos. Præbe aurem *pragmatico & publica lege recepto* Præceptori tuo de primoprima opinione inter hiſtoricos gentisque noſtræ origine ita commentanti: (a) Ti pak kteřjž Čzeſké Kronyky ſpiſowali .... pogjti toho Národu Čzeſkého, od negakých Boemuſuow býti prawili y pſali, chtjce tim Narod ten, y Wlaſt zwelebiti. Seu ut verbo verbum latine reddam: *Illi autem, qui Czechiam hiſtoriam ſcripſerunt, ... originem bujus gentis Czechicæ a quibusdam Boemuſis eſſe dixerunt, & ſcripſerunt, volentes in hoc gentem & patriam magnificare, ſeu glorificare.* Credisne jam (ſi minor fides mea) Hagecio tuo: alium ipſi viſum Czechum, alium Coſmæ Boemum, alios Czechos alios Boemos ſuos?

LUCIFER.

Pag. 19.

Verum ne duriuſcule tecum egiſſe videar Vir Cl. cupio me tibi præbere clementem, quandoquidem & tu prædicaſti te tota lucubratione tua mihi ſummam impendiſſe clementiam. Quid ſi ego tibi ultro concedo permittoque Coſmam per *Boemum* ſuum intellexiſſe *Czechum*? Quod tu ex ejus narratis hiſtoricæ veritati certitudinique fulcrum efabricaturus es? Auſurusne affirmare te in Coſma verum ſolidumque fundamentum hiſtoriæ de Boemo aut Czecho reperiſſe? Nunquam

(a) Hagecius in Prooemio Annalium ſuorum.

LUCIFER. quam legiſti in illo, quid in epiſtola ad Gervaſium præfetur? *Igitur*, inquit, *hujus narrationis ſumpſi exordium a primis incolis terræ Boemorum, & perpauca, quæ didici ſenum fabuloſa relatione, non humanæ laudis ambitione, ſed ne omnino tradantur relata oblivioni, pro poſſe & noſſe pando omnium bonorum dilectioni.* Audis candorem veri hiſtorici, quem alias crebro in Coſma prædicavi? Is cum ſe ſe certis hiſtoricis monumentis deſtitutum advertit, ne lectorem narratis ſuis in errorem inducat, præmonet, ultroque fatetur, ſe initia gentis nonniſi *ex ſenum fabuloſa relatione* hauſiſſe, atque ut ne vel hæ qualesquales ſenum fabuloſæ relationes oblivioni tradantur, poſteritati tranſcripſiſſe. Quid igitur ubivis tumultuaris, tanquam blaſphemiam nullo ſatis ſupplicio expiandam edixiſſem, quid univerſis concivibus meis nomen ſcriptaque mea exoſa reddis, quid ipſum prope cœlum, terram, & tartara in vindictam provocas, quod Czechum tuum *fabulam* appellaverim, quem hac ipſa cenſura primus prolator Coſmas pridem notavit? Niſi fortaſſis, neſcio, qua nova rurſum ſophiſtica argumentatione ludere libet, & obſtrepere: aliud eſſe *ſenum fabuloſam relationem*, aliud *ſenum fabulam*? aut niſi fortaſſis ſapientiſſimo judicio tuo *ſenum fabuloſa relatio* idem eſt, quod *conſtans & perpetua traditio*? Sed pergamus ulterius, inquiramusque, quantam vel ipſe Coſmas huic ſenum fabuloſæ relationi fidem tribuerit, & qua certitudine ea acceperit, quæ ſibi ſenes hi fabuloſi narrarunt: *Has ſolitudines*, inquit, *quisquis fuit hominum ille; incertum eſt, quot in animabus, poſtquam intravit, quærens loca humanis habitationibus oportuna, montes, valles, teſqua, tempe viſu ſagaci perluſtravit, &, ut reor, circa montem Rip inter duos fluvios, ſcilicet Ocram & Wultavam primas poſuit ſedes, primas fundavit & ædes.* Quomodo Coſmas ſi Boemum ſuum, ſeu Czechum tuum certum antiquitatis hiſtoricæ, aut veræ ſinceræque traditionis monumentum credidit, hoc loco ſuam illico dubitationem ſubdit: *quisquis*, inquiens, *fuit hominum ille*? Quid a nomine certo proprio *Boemi* aut *Czechi* provocavit ad genus ipſum hominum, atque ex ejus infinito numero ad aliquem incertum? cur illo commemorato rurſum relinquit in medio, quis ille primus incola fuerit? Intelligisne præterea ex allato loco vel ipſam primam ſedem montis *Rip* ne quidem traditionem aliquam, aut horum ſenum relationem, ſed puram putamque Coſmæ conjecturam fuiſſe, quam verbis, *ut reor*, ipſe prodit? Si necdum his convici intellectum tuum cedere neſcium, habe plura ex Coſma dubitationis loca, qui non modo de Boemo hoc ſeu Czecho Duce, ſed & ceteris Ethnicis Principibus Czechicis uſque ad Borzivogium certum

docu-

documentum, remque ſcripto exaratam ſe reperiſſe negat. Sic vero catalogum Principum Ethnicorum a ſe recenſitum claudit: *Horum igitur Principum de vita & morte ſiletur, tum quia ventri, & ſomno dediti inculti & indocti aſſimilati ſunt pecori . . . . tum quia non erat illo in tempore, qui ſtylo eorum acta commendaret memoriæ. Sed ſileamus, de quibus ſiletur.* An non alibi dicit: *Et quoniam hæc antiquis referuntur eveniſſe temporibus, utrum ſint facta an ficta, lectoris judicio relinquimus.* An non paſſim ad populi rumuſculos & incertam famam provocat: *referente*, inquiens, *fama audivimus*? Age jam Vir Cl. & Coſmæ manes e ſuperum ſede, quam eum incolere non dubitamus, in orbem revoca, inque hujus temporis literatorum Virorum concilio adeſſe jube: Quære ex illo, num plenam fidem adhibuerit iis, quæ ex ſenum fabuloſa relatione ordiendo a Boemo ſuo uſque ad Borzivogium in Chronico ſuo ſcripſit? explora num ejus mens fuerit hæc poſteritati tanquam certas hiſtorias venditare? Num uſquam intenderit his narratis eam fidem haberi, quam poſterioribus hiſtoriis ſuis, librisque? Objice contra ejus oculis auribusque vetuſtiſſimas Slavorum patriæque memorias noſtras ex Græcis, Latinis, Francicisque ſcriptoribus excerptas, olimque Coſmæ & ſæculo ſuo incognitas, percontare, ſuisne, an his majorem fidem tribuendam eſſe cenſeat? Quid Coſmam reſponſurum autumas? An non ille, ut ſemper mentis candidiſſimæ in ſuis ſcriptis viſus eſt, præter cunctationem in ſimillima verba abiturus eſt? Officio functus ſum veracis hiſtorici, non celavi ſæculum meum poſteritatemque, me illa de incunabulis Boemiæ nullo certo monumento, idoneoque teſte hauſiſſe, id unum erat conſilium, ut, ne plane nihil protuliſſe viderer, ſaltem illas fabuloſas ſenilium relationum memorias poſteritati commendarem; ipſe ubivis in Chronico meo fluctuationem, hæſitationemque luculenter innui, ultro confeſſus ſum me nullum ſcriptorem hæc initia pertractantem reperiſſe, rogavi in epiſtola Chronico meo præmiſſa Severum Præpoſitum Melnicenſem, *Sive illi hæ ſeniles nugæ placeant, ſive diſplic eant, ne tertius eas oculus videret.* Rogavi in altera epiſtola Gervaſium, ſumeret *in manum raſorium, calem, & calamum, ut quod ſupereſt, radat, & quod eſt deſuper, addat.* Incogniti mihi erant vetuſti illi hiſtorici, Græci, Latini, Francicique, quos nunc preli beneficio in manibus veſtris habetis, quibus utique nec ego repugnare auſim, nec enim tam imprudens ſum, ut illis ſenum fabuloſis relationibus, quas nec cum temporibus, nec cum hiſtoriis coævis, nec cum criſi & ratione conciliari poſſe hodie demonſtratis, majorem fidem, at- LUCIFER.

LUCIFER. Pag. 94. que contemporaneis virorum quorumque gravium teſtimoniis adhibeam. Quid hæres Vir Cl. verbis tuis urgere te juvat: *Progredere, progredere, ſi pedem movere potes*, an fortaſſe tot argumentis oneratus fatigatusque lecticam, aut vehiculum mavis? Etiamnum obſirmatus tibi eſt animus, Czechum tuum certis veritatis monumentis niti? etiamnum illum tabulis & poſteriorum temporum diplomatibus ſat tutum roboratumque audebis pronunciare? Sed longius in altum excurrit oratio, vela contrahenda ſunt, ut dubiis aliis locus relinquatur.

Pag. 19. in notis lit. (b. IV. Ad alia tranſis, arguisque nos erroris, quod literam H. veteribus Slavis negaverimus. At qua attentione Vir Cl. opuſcula noſtra legiſti? An dubium iſtud non pridem P. II. Annalium noſtrorum pag. 305. dilucidatum habes? Quo loco confitemur, dicimusque, typographi oſcitantia vocem *pura* in Prodromo noſtro eſſe omiſſam, ita ut ejusce paginæ ſenſus ſit: Slavos majoresque noſtros pura litera H. caruiſſe. Quod aſſertum noſtrum nemo veteris linguæ Slavicæ gnarus in dubium vocare auſit. Conſule, ſi ita tibi videtur, omnia emendata Alphabeta Slavica vetuſtiora, ſeu illa octo a Bandurio excuſa, ſeu alia a Bohoriſio, Valvaſore, & Stredovskio noſtro edita, & pignore certare auſim, ſi vel Diogenis lucernam accendas, nusquam in illis te puram literam H. reperturum. Hoc idem Prodromi mei vitium merito A. R. P. Athanaſium in opinionem eam perduxit, ut ſuſpicaretur me Slavis veteribus literam H. negaſſe, ac propterea teſtimonium hoc erroris mei tibi dederit. Sed ſciſcitare jam ex illo, quid inſpecto lectoque Partis II. loco ſentiat, an non prorſus ejusdem mecum ſit ſententiæ? Nihil vero veterum monumentis adverſum docui, cum veteres Zecchos ſe per gamma *Zegos*, *Zigos* ſeu Zegowé ſcripſiſſe, hacque ortographiæ ratione ſcriptos deprehendi in codicibus quibusque innui. Nam certum eſt ex vetuſtorum Manuſcriptorum obſervationibus etiam majores noſtros in vocibus, in quibus hodie literam H. legere licet, olim literam G. adhibuiſſe. Sic apud Coſmam legeris *Wiſſegrad*, *Zpitignev*, *Praga*, quod hodie Wiſſehrad, Spitihnew, Praha ſcribitur. Sic in diplomate Litomericenſi Spitignæi Ducis pro hodierno Bohu deprehendes Bogu, ſic in aliis *gor* non *bor*, gori non hořj, Gſawa non Hſawa, Gnyzdo non Hnjzdo, Gozpodar non Hoſpodar ſcriptum enunciatumque invenies. Et cum majores noſtri ſublatis literis Slavicis characteres latinos aſſumpſerunt, puram literam H. ſemper cum ſibilo atque inſtar *ch* enunciarunt. Sic in eodem diplomate Spitignæi legere licet vocem *Wlah*, quæ enunciabatur *Wlach*, ſic ſcribebatur

Har-

Harvat, *Hitro*, *Huude* pro hodierno, Charwat, chytro, chude, ut plurima alia vocabula prætercam, quæ hodiedum Dalmatis uſitata invenias in Loderekeri Dictionario ſeptilingui ſub litera H. Nec ab illa ſcriptione abluſere veteres latini græcique ſcriptores, qui priſcos Zecchos, Zichosve, jam *Zegos*, jam *Zigos*, jam *Zingos* aut plane *Singos* cum Ammiano Marcellino appellarunt. Sic iidem populi, qui a Byzantinis ſcriptoribus Zecchi & Zicchi nuncupantur, Plinio ſunt *Zingi* (a) Priſciano Poetæ *Zygi*. (b) In voce *Maraba* a Marcellino prodita nihil tibi præſidii eſt, ea enim ab homine latino Slavicæ linguæ ignaro ſcipta eſt, nec dubitare velis mediam literam *b*. inſtar *g*. ſeu *ch*. cum Sibilo in hac ipſa voce olim enunciatam fuiſſe, teſtes adhuc ſunt Annales Fuldenſes, aliique veteres libri, qui Moravos ſeu Marahenſes etiam *Margenſes*, *Marganenſes*, & *Marchenſes* ſcribunt, appellantque. Vel obiter loca aliqua ex iisdem Annalibus habe: Anno 855. *Hludovicus in Sclavos Margenſes contra Raſticem Ducem eorum &c.* Anno 858. *in Sclavos Margenſes &c.* Anno 899. *Iſanricus Marchenſes uſque fugit &c.* Ut taceam nec certum eſſe, num vox *Marba* Slavica ſit, ut poſtea enucleatius rem tractatam reperturus es. LUCIFER.

V. Relegendum aliquantisper veſtigium, ne aliquid eorum præteriiſſe, aut, tuo loquendi more, *claudicaſſe per viam* videamur. Superiore pagina criminaris, vehementiſſimeque exaggeras Dalimilum Canonici nomine & dignitate venerandum a nobis Poetæ ac *fabulatoris* contumelia adfectum: Proh Deum, hominumque fidem! eandemne cantilenam pridem a Collega tuo ad tædium uſque auriumque dolorem cantatam recinere tibi viſum? An non ſtreperæ hujus liræ chordas Parte III. Annalium noſtrorum pag. 382. jam præſcidimus, citharædoque ſilentium impoſuimus, cum plures manifeſtiſſimasque Dalimili hujus fabulas deteximus, cum oſtendimus vocem fabulatoris longe abeſſe a contumelia, cum argumentis plurimis teſtimoniisque opuſculorum noſtrorum probavimus cultum, venerationem, & obſervantiam, quam univerſo inclito Ordini tuo debemus, ultroque deferimus. Sed qui moles creviſſet opuſculi tui, niſi rerum pridem a nobis refutatarum invidioſa repetitione, & tædioſiſſima plus decies quandoque earundem criminationum exaggeratione? Pergis vero, & Chronicon Boleslavien- Pag. 18.

(a) Plinius l. 6. c. 6. Hiſt. Nat. *A Cimmerio accolunt Mæotici, Vali, Serbi, Arichi, Singi.* (b) Priſcianus in Periegeſi:
Poſt hos Eniochi, genuit quos Græcia tellus,
Et Zygii juxta vivunt regione ſub una.

LUCIFER. vienſe vernaculum rythmis vetuſtis concinnatum Dalimilo Mezericzky diſputas, neſcio quam ſummam antiquitatem, vetuſtioresque authores illi vindicaturus, nempe ut hoc annisu Czecho tuo primorum Bohemiæ ſæculorum authoritatem concilies. Ad fidem faciendam his argumentis uteris: *Primo* ais: Dalemili ita exiſtimati librum (qui in manibus meis hodie eſt) a te viſum tritumque, eum primo folio truncatum eſſe, atque idcirco de authore libri hujus certum judicium ferri minime poſſe. *Secundo* allegas Balbini locum, quo is hanc ipſam Hiſtoriam Boleslavienſem verſibus Boemicis & antiquo ſcribendi genere ante trecentos prope annos compilatam non uni Dalimilo, ſed pluribus Canonicis hujus Eccleſiæ adſcribit. Ad primum ut reſpondeam: Non diffiteor codicem Dalimili, qui hodie beneficio & gratia Reverendiſſimi ac Excellentiſſimi D. D. Emmanuelis Comitis de Waldſtein, Epiſcopi Litomericenſis in manibus meis eſt a te viſum, tritumque, ſed manibus ſolum, non lectione, nam ſi eum legiſſes, nuſquam auſurus fuiſſes, mihi hac in re bellum movere. Non is quidem primo, unoque, ſed pluribus foliis truncatus eſt, præter titulum enim abeſt dedicatio, quæ inſcripta eſt Wenceslao Gulielmo de Raupowa Domino in Trnovan & Zitenicz Friderici Palatini Interregis Bohemiæ Cancellario ſupremo, & Conſiliario Intimo, alteri denique Wenceslao de Budowa ejusdem Interregis Conſiliario, & Appellationum Præſidi. Lacunas has incredibili ſua induſtria pridem explevit idem Reverendiſſimus, ac Excellentiſſimus D. D. Epiſcopus cum poſteriore indice, qui etiam deerat, ex alio integro impreſſo exemplari, ut jam teſtatum habeamus hoc Boleslavienſe Ghronicon a Paulo Geſſin anno MDCXX. die 25. Menſis Junii Neo-Pragæ apud Danielem Carolum de Karlsberg typis excuſum fuiſſe. Et quanquam ultra confitear (nihil enim veritatis amantem celare oportet) a titulo hujus impreſſi voluminis abeſſe nomen *Dalimili Mezericzky*, tamen neminem ego hactenus legi, ſi errorem Balbini, de quo mox infra, excipias, qui Dalimilo Chronicon hoc diſputaſſet. Habentur impreſſo codice exemplaria MSS. vetuſtiora, quæ nomen Dalimili præferunt. Et vel in Bibliotheca AA. RR. PP. Auguſtinianorum Diſcalceatorum Neo-Pragæ ad S. Wenceslaum exemplar Chronici hujus manu ipſius Mathiæ Boleluzky Curati ad S. Adalbertum Neo-Pragæ, atque a ſua Roſa Boemica apprime in hoc Regno cogniti deprehendes, in quo hunc titulum leges: Hyſtorje Boleſlawſká Dalimila Mezřického. Id eſt: *Hiſtoria Boleſlavienſis Dalimili Mezerizky*. Eadem verba reperturus es in exemplari MS.

MS. in folio in Bibliotheca præfati Reverendiſſimi ac Excellentiſſimi D.D. Lucifer. Epiſcopi Litomericenſis. Et quanquam Nomen hoc ab impreſſo exemplari abſit, tamen minime dubitavit Peſſina in Phoſphoro ſuo ſepticorni Rad. I. pag. 26. in notis Chronicon hoc Dalimilo adſcribere. Verba illius ſunt: *Dalimil Mezeric. Canon. Boleſl. in MS. Chron. Boh. rhytmis compoſito apud me cap. 60. In impreſſo exempl. c. 59.* & Rad. 3. p. 128. *Dalimil Mezericius, Canonicus Boleſlavienſis, qui tempore Joannis Regis Boleſlavienſe Chronicon conſcripſerat.* Rurſum in Marte Moraviæ l. 3. c. 3. p. 277. *Chronicon Boleſlavienſe quod conſcripſerat Dalimil Moravus Mezrzicenſis Canonicus Vetero Boleſlavienſis . . . refert fuiſſe quoque Brzetislaum inter & Suatoplucum Olomucenſem per id tempus diſſidium grave & bellum.* In margine citat *Chron. Boleſlav. c.* 53. quæ omnino in hoc impreſſo Boleſlavienſi Chronico reperiuntur. Rurſum eodem libro & loco p. 286. dicit: *Idem memorat Dalimil Canon. Boleſl. in Chronico rhytmis Bohemicis compoſito c. 59.* Similia pag. 325. & 366. alibique. Et quale illud Chronicon Dalimili quod citat Hagecius in Catalogo authorum ſuorum Annalibus præmiſſo? Satisne tibi feci ad truncati hujus codicis dubietatem removendam? Jam de altero, Balbini nempe errore, reſponſum habe. Multum dubito Balbino hoc vernaculum rythmis veteribus exaratum Chronicon Boleſlavienſe in manibus interque librorum ſuorum ſupellectilem unquam fuiſſe, quin potius autumo, Balbinum illius notitiam nonniſi ex fama aliorumque relatione hauſiſſe, & procul dubio id nonniſi obiter apud contemporaneos ſuos, eorundemque ſtudiorum ſodales Peſſinam & Boleluzkium vidiſſe, ac inſpexiſſe. Unde non ignoravit id verſibus eſſe conſcriptum Dec. I. l. 7. c. 8. in notis enim ait: *His* (Franciſco & Pulcava) *antiquior Dalimil Mezerzicky in ſua hiſtoria Bohemiæ, quam carmine ſcripſit.* Sed nuſpiam, quod memini, Balbinus verſus aliquos in tot, vaſtiſſimisque ſuis operibus ex hoc Chronico protulit, quod ſi non hiſtoriæ confirmandæ cauſa, at certe Boemicæ linguæ, veteriſque dialecti in gratiam facere minime intermiſiſſet. Nam Chronicon iſtud, quanquam prelo Pragenſi excuſum, ut hodie, ita jam Balbini ætate rariſſimum fuit, procul dubio confixum, interdictumque a Ferdinando II. Imperatore, tum quod duobus maxime rebellibus Capitibus Gulielmo de Raupowa, & Wenceslao de Budowa Friderici Palatini Interregis primariis Proceribus dein proſcriptis, exilio, & vita mulctatis illo ipſo fatali anno 1620. dedicatum fuerit, tum quod editor in præfatione quæpiam adverſus cultum Sanctorum pene blaſpheme effutierit. Quare etiam hodie manuſcripta

LUCIFER. hujus Chronici exemplaria frequentiora ſunt impreſſis, neque ſi duo illa ſuperius nominata excipias, tertium hactenus in univerſis Regni noſtri Bibliothecis, quod ſcio, comparuit. Habe porro non inerme argumentum, Dalimili Chronicon Boleslavienſe non fuiſſe lectum Balbino: Nam in Epitome ſua l. 3. c. 9. p. 216. cum ex Bilejowsky recentiore authore grande illud miraculum de Borivoji per interceſſionem S. Apollinaris e carcere deliberatione narraſſet, ſubjungit: *Quam narrationem in nullo hiſtoricorum memini me unquam legiſſe.* Cum ea tamen in Dalimilo habeatur c. 59. ex illaque Bilejowsky eam exſcripſerit. Niſi fortaſſis dicere malimus præfationis verbis Balbinum in levem errorem pertractum; in ea enim memorat editor ſe ſuum exemplar ex ſeptem facile codicibus vetuſtis hujus Chronici compilaſſe, quorum quæque, ut fit, interpolata, abbreviata, variæque lectionis fuere, ut ita Balbinus maluerit editionem hanc potius pluribus Canonicis Boleslavienſibus (a quibus nempe hæc interpolatio, abbreviatio, variaque lectio veroſimillime profecta eſt) quam uni Dalimilo adſcribere. Ceterum autem rectiſſime ſcripſit Balbinus: hoc Chronicon *ante trecentos annos* fuiſſe concinnatum, quo calculo viciniſſimum tempus attigit, nonniſi trecentis enim & quadraginta plus minus annis ante eum ſub Joanne Lucenburgico Rege Bohemiæ fuit exaratum, perdisque operam Vir Cl. dum in hoc Balbini numero errorem cubare eo argumento conaris convincere, quod idiotiſmus ille Bohemicus ſtylusque vetuſtior ſit ſæculi XIV. initiis. Viſurus es aliquando in Tomis meis MSS. ineditorum Jus feudale Bohemiæ eodem plane tempore conſcriptum, & ovum ovo ſimilius non deprehendes, quam dialectum Juris hujus feudalis dialecto Chronici iſtius. Et quid hæſitas dictis his fidem habere? An non in Prodromo meo (quem nonniſi tumultuarie, neque, ut Confutatorem decet, meditate legiſti) pagina 179. innui: authorem hujus Chronici profiteri in ſuis verſibus ſe ſe anno 1309. rei cuidam geſtæ interfuiſſe. Sed minus credulo tibi locus ipſe proferendus, verbaque exſcribenda ſunt. Deſcribit vero author capite 104. obſidionem urbis Pragenæ per Miſnenſes, ac commiſſum inter eos cum quibusdam Proceribus Bohemiæ prælium, ſubjungitque:

Na ten Boy gá ſem z Mieſta hledieł.

Id eſt:

Hanc pugnam ego ex civitate vidi.

Et

Et ne porro dubites, illum ſub Joanne Lucenburgico ſcripſiſſe, habe Lucius luculentiſſimum teſtimonium pluribus verſibus conceptum, c. 106.

Potom kdyz Czechowé vzrzechu,
  Ze w Kouncanſkem Sratka negmiechu,
Kráłownu Elſſku za Jana Czirſarzowicze dachu,
  A toho Hraby z Lyczemburka na Kráłowſtwie pozwachu,
Pro Mieſſnany Korntáuſkeho wypudichu,
  A Jana z Liczemburka Králem Czeſkym koronowachu.
Toho BOze dłuho vzdrawiti,
  Y racz geho Tworcze navczjti,
Aby miłował Zemany,
  A ſwé Radie gmieł czeſké Pány;
Neb ſtiemi moze Czti dogjti,
  A bez nych nemoze Zemie vpokogiti etc.

Denique ſub finem Chronici:

Mnohoby było gineho mluwiti,
  Ale w tom chczy doſti vczjniti.
Ta Kronika mluwy ot Narozenie Syna Bozicho,
  Léta po Tiſiczczy po trzech Stech po deſieti cztwrtého.

Id eſt:

Deinde cum viderent Bohemi,
Quod ſpes ſuas fruſtra in Carinthio collocent,
Reginam Eliſabetham Joanni Imperatoris filio junxerunt matrimonio,
Et Comitem iſtum Lucemburgenſem ad ſolium evocarunt.
Propter Miſnenſes expulerunt Carinthium,
Et Joannem Lucemburgenſem Regem coronarunt.
Hunc Deus diu conſerva,
Digneriſque Creator edocere illum,
Populares ſuos ut diligat,
Suoque in conſilio Bohemos habeat Optimates.
Horum opera poterit ſibi parare gloriam,
Et ſine illis nequit pacatam habere regionem.

Sub finem.

Multa alia forent commemoranda,
Sed his rebus volo facere finem:

Anna-

LUCIFER. *Annales iſti pertingunt uſque ad annum Nativitatis Filii Dei Milleſimum tercenteſimum decimum quartum.*

Credisne jam dialectum hanc ex ſæculo XIV. eſſe? Majoremne ætatem Czecho tuo, quam idem ſæculum exſculpſiſti? Quid ſi Chronici hujus etiam Dalimilus author non eſt, quid tibi in illo roboris armorumque adverſus opinionem meam, qui hujusce ſæculi initiis fabulam Czechi ortam, ſub Carolo IV. propagatam, poſterius a plerisque hiſtoricis receptam ultro ubivis profiteor. Nempe quod antea præmonui, huc valeat: communem tibi cum Collega tuo errorem eſſe, ut ex libris, quos ſeu non inſpexiſtis, ſeu ne vidiſtis quidem, ſententiam feratis adverſus eum, qui eos non modo in penu ſua habet, ſed etiam legit, & unumquemque prope eorum apicem novit, excuſſitque.

VI. A Dalimilo tranſis ad Boguphalum, in cujus ætate deſignata etiam hallucinationem quampiam mihi obrepſiſſe contendis, imo poſterius ſuſpectam fidem meam reddis, correctius Chronicon illius in Pag. 17. manibus meis eſſe. Ita vero adverſum me commentaris: *Dalimilus non fuit coætaneus Boguphalo Poſnanienſi in Polonia Epiſcopo, qui aſſeritur a Gelaſio Prodr. Hagek fol.* 51. *mortuus anno* 1253. *ſiquidem teſte accuratiſſimo Peſſina tempore Joannis Lucenburgici Regis Bohemiæ ſcripſerat Dalimilus.* Sed ubi in univerſis meis operibus unquam aſſerui *Dalimilum Boguphalo* fuiſſe coætaneum? Verba Prodromi mei pagina 51., ad quam provocas, ſunt: *Dalimilus vixit eodem cum Boguphalo ſæculo, verum longius vitam ſuam uſque ad ſæculum XIV. perduxit.* Ita nempe ubivis vitia erroresque cerebro tuo exſculpis, meisque affingis ſcriptis, quæ ne per ſomnium quidem in mentem mihi venerant. Aliud eſt vivere eodem ſæculo, aliud proprie eſſe coætaneum. Potuit enim quis ſuperioris ſæculi anno primo mori, alter ultimo naſci, qui proinde eodem ſæculo vixiſſe, minime coætanei, aut contemporanei, niſi indulgentiſſime, dici poterunt. Recte autem ſcripſi Dalimilum eodem ſæculo XIII, quo mortuus Boguphalus, vixiſſe: cum enim Dalimilus ſub Joanne Lucenburgico, atque circa annum 1314. ſcripſerit Chronicon ſuum, nemo dubitaverit, eum jam ſuperiore ſæculo eoque decimo tertio, quo vixit Boguphalus, natum, niſi fortaſſis decenni puero jam Chronici ſcriptionem, confectionemque adjudices. Ad ejus emendatius Chronicon quod attinet, cujusque copiam apud me eſſe dubitas, dedi ex eo jam plura ſpecimina, dedi præfationem in Parte II. meorum Annalium,

dedi

dedi in Parte III. p. 11. ex eodem codice F. Hacynthi ad M. F. Martinum epiſtolam, dedi pag. 9. marginalem textum judiciumque, de Joanna Papiſſa, videbis poſterioribus Tomis etiam plura. Imo vel tui in gratiam conſpecturus es aliquando inter Tomos meos ineditos ex hoc ipſo MS. emendationes & variantes lectiones cum Codice Sommersbergiano collatas. Egone, qui veritatem hiſtoricam unicum laboribus meis ſcopum præfixi, mendaciis pugnem? documenta, aut Manuſcripta efabricem? quid mihi in Boguphali Chronico præſidii, ſive ille Czechum commemoraverit, ſeu ejus commemoratione abſtinuerit? An non alia ſolidioraque mihi adverſus eum arma? ſpectat Boguphali ſilentium ſolummodo ad hiſtoriam opinionis de Czecho ſæculo XIV. exortæ, non ad convincendam veritatem. Ne quæſo me tuo pede metire, qui tot ſublæſta effictaque Manuſcripta, ut poſterius oſtenſurus ſum, pro veris, genuinis, antiquisque huic erudito ſæculo obtruſiſti. Mihi ab eo momento temporis, quo primum calamo atramentum ad ordiendum opus meum hauſi, eadem mens fuit ac voluntas, quæ doctiſſimo juxta ac piiſſimo Mabillonio, qui nullum piaculum majus execratur, quam publicis iſtiusmodi mendaciis orbem literatum fallere, auſimque cum illo dicere: (a) *Quanquam eruditione & ſcientia inferior, nulli tamen ſinceritate, verique ſtudio cedere unquam ſuſtinebo.* LUCIFER.

Iſta jactare non aſſuevi, ſed tu adigis, ne Comico inferior videar ita ſe jactante:

Si quisquam eſt, qui probari ſe cupiat probis,
Oratione, vita, ſcriptis denique,
In his audacter nomen profiteor meum,
A puero eductus, doctus liberaliter,
Mores majorum, ſimul doctrinam inſtiti,
Nec ego iſtos mores novi ſæculi novi.

VII. Næ tu Vir Cl. in ducendo calculo Arithmetico longius aberraſti, cum ſcribis omnes Hiſtoricos Bohemiæ a quinque & ſex ſæculis *Czechum* atque *Lechum* plenis loqui paginis, mox vero demonſtrationes tuas Arithmeticas a Caroli IV. Imperio, ipſo nempe Pulkava & Marignola ſubjungis. Ego ab eo tempore non quinque aut ſex, ſed quatuor ſolum decurriſſe ſæcula ex ſubtractionis Arithmeticæ legibus Pag. 20.

(a) Mabillon in Actis SS. Bened. ſæc. II. in præfat.

LUCIFER. diſco, a quo tempore quin Czechus tuus inclaruerit, ac demum in omnium prope hiſtoricorum calamos tranſierit, non dubitavi unquam, quin hanc ipſam epocham, productis pluribus MSS. authoritatibusque, ei tam in Prodromo meo, quam Parte II. Annalium Hagecianorum ultro conceſſi. De Marignola tamen noveris egregie nobis ab Hagecio in Procemio ſuo impoſitum, hactenusque perſuaſum: primum fuiſſe Czechi prolatorem. Nam proximis typis Tomo II. Manuſcriptorum nuſquam antehac editorum integrum Marignolæ Chronicon prolaturi ſumus, in quod ſi linceos oculos intenderis, nuſquam Czechum tuum deprehenſurus es, lecturus in eo adhuc Coſmæ *Boemum* familiam in origine gentis noſtræ ducentem. Tantum abeſt, ut Czecho tuo authoritas, & quoddam fidei hiſtoricæ firmamentum ex eo acceſſerit, quod ab illa Caroli IV. ætate hiſtorici quique patrii Regum noſtrorum juſſu Chronica ſua ſcripſerint, eaque Regum inſcriptionibus cohoneſtata ſint. Supra jam hos cornicum oculos confiximus, oſtendimusque, nihil hæc ad fidem faciendam conducere, nulloque alio ſpectare, quam ad conciliandum plauſum & exiſtimationem, ad aucupandam Principum gratiam. Nec enim id conſilium voluntasque unquam eſſe potuit Regibus noſtris, ut vel eo Chronica Delphicorum oraculorum inſtar recipienda cogitarent, quod eorum juſſu ſcripta, ſeu eorum nominibus inſcripta ſint. Quale quantumque enim illi de rebus ante ſe mille & ultra annis geſtis veritati vadimonium præbere potuerunt? Illine veriti non ſint ſummam exiſtimationem ſuam periculis manifeſtis obtrectationum exponere, omnesque Chronographorum ejusmodi titubationes, atque errores in ſe ſuſcipere, adeo ut jam vitium non tam ſit authorum, quam Regum noſtrorum, cum plura ſubleſta, falſaque detecta ſunt in hiſtoria patria? Nulla pars Regibus noſtris in rebus narratis, in rerum narratarum fide; omnem eam ſuſtinet author, & Chronographus, is quemadmodum ſolus unusque omnem exhaurit laudem & gloriam, ſi erudite, veraciterque ſcripſit, ita unius ſoliusque, non Regis, non principis vitium eſt ac vituperium, ſi fabulas & mendacia pro veritatibus hiſtoricis lectoribus propinavit. Et profecto ea ſemper fuit ſapientia Regum noſtrorum, ſummaque providentia, ut cum cognoſcerent fidem hiſtoriæ patriæ dubiis incertisque incedere paſſibus, multa monumentorum veterum defectu primis præcipue ſæculis obſcura eſſe, nec ſatis definita, liberum civibus ſuis non modo reliquerint de eorum veritate diſceptare, ſed etiam laudibus & præmiis exſtimulaverint ad eam exquirendam; minime autem, ut tu in tempe-

perantiſſime argutaris, *deluſæ majeſtatis crimine* reos æſtimarent. Conſtat tam ex Pulkavæ, quam Marignolæ præfatione Chronicis ſuis præmiſſa, utrique provinciam a Carolo IV. Imperatore demandatam ad conſcribendos Annales patrios, teſtatum eſt eundem Auguſtiſſimum Principem in oculis tuliſſe Czechiam ſuam, atque ad eam ornandam omne vitæ tempus contuliſſe, nec tectum eſt eum hiſtoriarum non modo amantem ſed & apprime gnarum fuiſſe: qui nempe pugno ſuo vitam S. Wenceslai, alteram etiam geſtorum ſuorum exaravit. Sed num ille his duobus hiſtoricis præcepta quædam opinionum, aut præjudiciorum ſuorum dedit? an non juſſit, quod alterutri magis veritati videretur conſonum, plena libertate exprimeret? Duriusne ille accepit Marignolam, cum Czechum tuum conditorem Patriæ penitus prætermiſit? cum contra Pulkavam etiam Coſmæ *Boemum* tuitus eſt? Leges proxime in Marignola Tomo II. ineditorum publicando magnificentiſſimum etiam Caroli IV. diploma, quo Chronicon iſtud maximoopere laudat, probatque, quo confitetur illud juſſu ſuo excultum, & ſublatis quibusdam verborum ambagibus contractum emendatumque, nec tamen *Boemum* illum expunctum, aut Czechum ſubſtitutum cogiturus es. Non eſt igitur, ut Lucifer tuus invidioſiſſime conviciatur, idem: Czechum expunxiſſe ex Annalibus patriis, aut Chronicis Regum noſtrorum calculo probatis fidem derogaſſe, ac *Regni Optimates ignorantiæ damnare, ipſamque ſummorum noſtrorum Principum pavendam Majeſtatem ludere & ridere.* Quin id omnium noſtrorum inclitorum Optimatum, id ſapientiſſimorum Principum noſtrorum, ac cumprimis Augustæ noſtræ Palladis, glorioſiſſimæ inquam hodie regnantis, Scientiarum Statricis Altricisque non modo votum & conſilium, ſed mandatum eſt: ut diſciplinarum omnium ſtudia magis magisque perpoliantur (perpoliuntur autem maxime contrariarum opinionum oppoſitione, modeſtisque literariis concertationibus) ut hiſtoria patria ad normam aliarum gentium excolatur, expurgetur a fabulis, mendisque, ad primos fontes vetuſtaque monumenta omni ſeveritate exigatur. Non eſt mens, non eſt voluntas ſcientiſſimorum Procerum noſtrorum Augustæque, ut cœci cœcos duces ſequamur, ut quid quid ſplendicat, aurum gemmamque æſtimemus, ut in verba anthorum, authorum inquam rebus narratis facile decem ſæculis poſteriorum, juremus; non illi veritati inquirendæ præcluſere oſtium, aut eruditorum Virorum æmulationi fræna unquam injecere; advertant imo illi pro ſumma ſua ſapientia, nihil hactenus magis dedecoroſum fuiſſe genti noſtræ, quam

Lucifer.

Pag. 21.

LUCIFER. quod tot tantique ſcriptores noſtri quasvis aniles fabulas, rudisque plebis deliramenta pro veritatibus hiſtoricis venditaverint, propugnaverintque, hacque ſua incogitantia offam exteris ſcriptoribus projecerint, quam ſcriptis ſuis allatrarent, vellicarent, roderent, ac laniarent. Semper & omni tempore inventi inter patrios Viri tam ex Nobilium quam civium ordine (& auſim dicere maxima eorum pars) qui has ineptias damnarunt, & peſte ipſa magis execrati ſunt. Ne arbitrare nos omnes e vervecum patria prodiiſſe, aut invita Minerva natos. Etiam ingenia noſtra benigno lumine reſpexit Titan, etiam barbito ſuo montes Bohemiæ rapit delectatque Cynthius Apollo. Scimus quid fabulam, & hiſtoriam interſit, ſcimus quo libri Regibus inſcripti, aut ab eis probati valeant. Non quidquid mangones nobis venale obtrudunt, ut verbis Senecæ loquar, (a) & lenocinio aliquo abſcondunt, probum putamus: ſolvi jubemus ſtrata iſtiusmodi equos empturi, & faſciam tollimus barbaris Regibus veſtimentorum luxu turgidis, curioſi ne qua mala larva ſubtus lateat. Hanc prudentiam, hanc circumſpectionem nos frequens librorum excellentium lectio, uſusque rerum docuit.

Pag. 21. VIII. Nihil magis admiratione defigit animum Vir Cl. quam cum talem tantumque antiquitatis & hiſtoriæ patriæ magiſtrum omnibus pene paginis te jactabunde prædicas, tamen non modo hoc loco, ſed paſſim per opuſculum tuum memorias Czechi a Tabulis regni repetere minime dubites, imo illud ſub Ferdinando I. Tabularum Regiarum igneum excidium vel eo funeſtiſſimum deplores cauſerisque, quod illo Czecho tuo veteriora certaque teſtimonia perierint. Verum ne vitio curioſitatique meæ dederis, quod ex te ſciſcitari audeam: num verum exordium, aut ſcopum Tabularum Regiarum in Bohemia conſtitutarum noveris? Jam pridem oſtendi, locupletiſſimeque in operibus meis prorſum invictis rationibus ac teſtimoniis probavi, genti noſtræ ante ſæculum exiens IX. & tempora SS. Cyrilli ac Methudii uſum characterum non fuiſſe, ut proinde hoc telo conficiatur ante hæc tempora documentum ſcriptum de Czecho tuo haberi, aut, ut nonnulli noſtri fabulantur, in commentitias quasdam tabulas quercinas reponi potuiſſe. Nec aliud eſt ſæculo illi ſcribas ſcripturasque in gente noſtra, atque chalybeas æneasve fiſtulas ad evomendum ignem pulveremque pyrium, aut typographiæ uſum affingere. Ab hoc tempore uſque ad annum 1125, quo ſcripſit, finemque vitæ impoſuit Coſmas hiſtoricorum noſtrorum

Al-

(a) Seneca Epiſt. 80.

Alpha, teſtatur is germane ſe documentum nullum de origine gentis reperiſſe, quin ſcriptorem exſtitiſſe nullum, qui Ethnicorum Boemiæ Ducum geſta memoriæ commendaſſet. Sed novi, quid opponere mediteris: Coſmæ ſcriptorum nomine veniſſe hiſtoricos, non Tabularum ſcribas, notarioſque: Probe, pancratice! At vero tune auſurus es Coſmam tam immemoris animi, tantæque incogitentiæ condemnare? ut ſi quod documentum ævo ſuo in Tabulis Regni de Czecho, aut origine gentis latuit, illud neglexerit contemſeritque? illine nunquam hic fons, hic latex in mentem venerit, ut proinde monito tuo ei opus fuiſſet? Nullusne tum inventus, qui Coſmam monuiſſet, ut has Tabulas accederet, unde certiora ei haurire liceret. Incognitæne, ſi quæ ævo illius exſtitere, potuerunt eſſe Coſmæ Regiæ tabulæ? Decano Metropolitano? Viro ſumma inter Proceres gratia & authoritate? hiſtorico monumenta patria undique exquirenti? Cur, ſi ea in re tam luculenter peccavit Coſmas, nemo alius per ſpatium quadringentorum annorum, nempe ad exuſtionem uſque regiarum tabularum, inventus, qui hanc Coſmæ lacunam expleviſſet, prodidiſſetque in Tabulis Regni exſtare certas Czechi memorias, fabuloſum eſſe illum Coſmæ Boemum, ceteraque illius ibidem ex ſenum fabuloſa relatione narrata? Cur poſteriores omnes ſcriptores in narrandis gentis noſtræ initiis hæc eadem nonniſi retulerunt, ac pene ad verbum Coſmam exſcripſerunt? omneſne Davi fuere, ut tam ſolidum hiſtoriæ fundamentum, quale videri debent Tabulæ Regiæ, eis nunquam in mentem veniret? quarum adjumento ſi non innovandam, certe ſolidandam hiſtoriam patriam minime dubitare potuerunt. Verum edoceri te cupio: Imperitorum error & vitium eſt, qui veterum uſum ritusque ne quidem per teleſcopium videre, quique hodiernis moribus atque legibus omnem ſine diſcrimine antiquitatem metiuntur. Non exſtitere Coſmæ tempore & ævo ſuo adhuc Regiæ tabulæ, quarum nec ille, nec alius ante ſæculum XIII. mentionem facit; chirographis membraneis mutuo datis, Ducum, Regumque conſenſu, privilegio, aut confirmatione omnis fides ſtabat. Prodit ipſa vox *Regiæ* Tabulas Regias poſteriorum temporum Regumque inventum eſſe, nec enim *Ducales Tabulas* appellatas uſquam deprehenderis. Nusquam legiſti inclitum Ordinis tui Virum Thomam Berghauer, quid de exordio Regiarum Tabularum ſentiat? audi jam vero illum: (a) *Magnum prudentiæ virum fuiſſe neceſſum eſt, quis-*

(a) Berghauer in Proto-Martyre Poenitentiæ c. 4. p. 83.

LUCIFER.

LUCIFER. *quis tabulis conſignari omnia, & quandam æternitatem rebus adjici primus invenit, & in uſum deduxit. Jam ſub Regibus Przemysleis, non tamen gentilibus, in corticibus arborum, ut quidam fabulantur, ſed nominatim ſub Wenceslao ſecundo Rege ſcribebantur, ac Primus Zdislai (ita codex appellatur) ſub eo & Joanne Rege ſcriptus eſt.* Quo loco a Wenceslai hujus II. imperio Codicum tabularium ſeriem repertusus es, in Annalibus vero noſtris Hagecianis aliquando verum tempus annumque hujus immortalis conſilii lecturus. Minus gnare igitur huic infantiæ gentis noſtræ Herculis cothurnos aptaſti, longe poſteriorum ſæculorum inventum ſunt Regiæ Tabulæ. Sed vis me tibi rurſum pro clementiæ tuæ exemplo præberi clementem? habe tibi, concedo: prius, ſæculisque priſcis Ducum noſtrorum exſtitiſſe tabulas, quid in his tibi præſidii, aut armorum? Quod fatum effinges, quam rationem attexes notatæ in illius Codicibus Czechi hiſtoriæ? fuerene tabulæ hæ annales faſtive? An non propalam eſt eum primum ſcopum fuiſſe Regiarum tabularum, ut ſecuritatis cauſa, litiumque temperandarum ergo uniuscujusque incolæ regni poſſeſſiones, terræ, fortunæque conſignarentur, ut emergentibus dubiis aut amiſſis Chirographis certum cuique, quo cauſam ſuam tueretur, eſſet præſidium; hinc vero poſtea profluxit, quod etiam hereditates, teſtamenta, emptionum, transactionum, venditionumque contractus, denique regum noſtrorum immunitàtes, compactata cum ordinibus aliaque ſerius promiſcue inſcriberentur. Quid igitur eſt hiſtoriam Czechi in Tabulis regni illa antiquitate, ac Regum Africanorum geſta in illis quærere? Si quæ tamen Czecho tuo hiſtoricæ quærendæ erant memoriæ, eæ minime ex Tabulis regni, ſed Archivo Ducum Regumque noſtrorum erant repetendæ. At vero Ducale Regiumque Archivum minime vim illam flammarum ſub Ferdinando I. ſubiit, ſemper omnique tempore illud a Regiis tabulis ſecretum fuit, nam multo poſterius id in arce Carlſteinenſi conſervatum fuiſſe certo ſcimus ex hiſtoriis noſtris, quin etiam hodie maximam illius partem tam Viennæ quam Pragæ aſſervari nemini eſt incognitum. Habeo in manibus meis duplicem veterem elenchum omnium ciſtarum, ſcriniorum, quin argumenta documentorum ſingulorum, quæ olim in arce Carlſteinenſi aſſervata fuere, communicabo ea, ſi libet, exquire in his vel Argi oculis Czechum tuum, & operam tempusque fefelliſſe te comperies.

Pag. 21. IX. Unum reſtat paragrapho hoc enodandum: minime hæſitas Vir Cl. Czechi memorias *ſæculorum lapſu nunquam interruptam, verum perpetuo Slavicæ gentis conſenſu receptam traditionem* appellare. Paucis

cis multa te hac laconica oratione dicere viſus, quæ quidem apud ſæcula adhuc ſuperiora pondus aliquod habuiſſet, hodie plane infeliciter in multo delicatiorem ætatis genium incidit, qui difficulter credulus eſt, nec facile fidem narratis adhibet, niſi probationibus roborentur. Nam *ſi quis modo* (verbis Mabillonii loquor (a)) *ſcribere aggrediatur hiſtorias, neceſſe eſt, ſi modo ſibi haberi fidem velit, ut acta vetera & chartas authenticas . . . . . repræſentet, quæ monumenta merito probationum titulo decorantur, quod absque iis eorum, quæ narrantur, fides videatur vacillare.* Officii itaque tui fuiſſet legitimis documentis oſtendere a primis ſæculis, quibus apud gentem noſtram uſus characterum & ſcribendarum hiſtoriarum cœpit, Czechi tui memorias a majoribus noſtris pro vera traditione fuiſſe agnitas & receptas; conveniſſet deinde per omnia ſæcula idonea teſtimonia producere, quæ hanc traditionem confirmaſſent, ut eam ad tempora noſtra incorrupte transmiſſam credi poſſet. At vero quæ tibi veteres probationes ſunt? quæ chartæ? quæ hiſtoriæ? quæ teſtimonia? ſæculumne decimum quartum & Dalimilus vadimonium orbi erudito præbere poteſt de rebus ante ſe ſeptem & octo ſæculis geſtis? illene teſtibus veteribus deſtitutus novit, quæ ante tot ſæcula inter majores noſtros de origine gentis fuerit traditio? Illiusne primæ Czechi memoriæ unquam in veræ, nunquam interruptæ, incorruptæque traditionis vim convaleſcere potuere? Non videris Vir Cl. veræ conſtantisque traditionis noſſe capita, quæ jam hic explicare rei præſentis argumentum expoſcit: Et quidem 1mo cum traditio nihil aliud ſit, quam de ore ad os, de aure ad aurem, aut, ſi etiam mavis, de manu ad manum datio (adeo ut eam tritavus atavo, atavus abavo, abavus proavo, proavus avo, avus patri, pater filio, filius nepoti, nepos pronepoti atque ſic ordine poſteritati reliquæ tradidiſſe cenſendus ſit) neceſſe eſt ut traditio non multo poſterius re geſta enata ſit, ſi enim oſtendi poſſit eam multo poſterius originem ſumſiſſe, jam non traditionis, ſed fabulæ nomen meretur. 2. Neceſſe eſt, ut qui primus traditionem in ſcripta retulit, eam ſine dubitatione aut hæſitatione proferat, confiteaturque eam ſic incorruptam a majoribus ſuis accepiſſe. 3. Traditioni iſtiusmodi non debent repugnare coæva virorum fide dignorum teſtimonia, debet conciliari poſſe cum ejusce ætatis hiſtoriis, rebus ac moribus, quorum unum ſi deſit, ceſſat eſſe traditio, & illa Criticæ regula locum obtinet: *Traditio cedit hiſtoriæ & veritati.* Sed jam hæc tria capita in commentitia tua Czechi traditione expendamus: Oſtendi-

LUCIFER.

(a) Mabillonius in præf. operis diplomatici.

LUCIFER. dimus 1mo in Prodromo noſtro & Parte II. Annalium Hagecianorum, ne unum quidem hiſtoricorum noſtrorum uſque ad Dalimilum ſæculumque ordiens XIV. vel de Czecho ſomniaſſe. Oſtendimus fabulam hanc non prius quam memorato ſæculo prognatam, deteximus errorem, quo in hiſtoriam ſubrepſerit, prodidimus authorem, qui eam effabricavit, non celavimus media, viasque, quibus ad hæc uſque tempora noſtra propagata ſit. Qui ergo conſtans & perpetua traditio ſit? 2do Si etiam tibi concedendum ſit Coſmam per *Bohemum* ſuum intellexiſſe Czechum, tamen ille primus, dum eum in ſcripta retulit, nuſquam Bohemum ſuum pro vera conſtantique traditione venditavit, ultro faſſus, ſe ſe ea nonniſi *ex ſenum fabuloſa relatione habere*, ſe neſcire *facta an ficta ſint*? nullum ante ſe ſcriptorem in his patriis incunabulis nactum. Fluctuatio autem dubitatioque, quam omni loco prodit, veræ traditionis fidei & exiſtimationi tantum detrahit, quantum ipſi veritati. Nec enim credibile authorem quemquam, quæ certa & indubitata comperit, novitque, poſteritati cum dubitatione tranſcripturum. 3tio Oſtenſum fuit pugnare cum vetuſtiſſimis patriis exterisque documentis, minime hiſtoriis eorum temporum, rebus, moribusque ea congruere, quæ de adventu Czechi ejusque Principatu a noſtris narrantur, quæ hic cum tædio lectoris repetere non vacat, ne Apologia hæc in immenſum veluti excreſcat. Scilicet popularis de Czecho traditionis idem fatum fuit, quod plurium ejusmodi popularium traditiuncularum, de quibus ſcitiſſime Eruditiſſimus Joannes Bollandus S. J. *Sunt nonnulli, qui hanc populi diditam ex antiquo famam tanti faciunt, ut prope Apoſtolicis traditionibus eam æquiparent, ita inveteratam vulgi perſuaſionem Traditionem appellantes, cum ſit earum diverſiſſima ratio. Nam Apoſtolicæ traditiones non vulgi fama conſtant, ſed ſolidis probationibus, licet verbo traditæ ab iis, non ſcripto, ut alia ſunt. At populares illæ traditiones ſæpe nec pueris ſatis credibiles, ſæpe levi aut etiam fallaci ortæ principio, magnis deinde incrementis dilatatæ, parum tamen ipſo auctu roboris acceperunt.* (a) Sed ut tandem Vir Cl. noſcas, quo pacto Czechus ad traditionis cujusdam veteris opinionem apud hodiernos ſuperiorisque ſæculi populares noſtros invaluerit, has potiſſimum cauſas habe: Poſteaquam Dalimilus ſiniſtræ interpretationis errore ſæculi XIV. principio Czechum ex Coſmæ Boemo effinxiſſet, eumque in vernaculis ſuis verſibus protuliſſet, viſus omnino pluribus placere Czechus iſte præ Boemo, quod nomine Boemi gentem Boicam germanamque nihil ad Czechorum Slavorum glo-

(a) Bollandus in Præfat. generali in Vitas Sanctorum c. 3. §. 2.

gloriam facientem connotari non neſcirent, Czechorum autem hiſto- Lucifer. riam cum conditore ſuo excuſam flagitarent; itaque quæque demum ex Coſmæ Chronico mutuare potuere de Boemo illo, novo invento Czecho aſſuerunt; quod ut magis tegerent, circumſtantias temporis a Coſma commemoratas, nempe de primis ſæculis poſt diluvium, prætermiſerunt, & eam dubitationem fluctuationemque Coſmæ, quam locis omnibus de Boemo ſuo prodidit, reſecuerunt. Omiſere proinde edocere lectorem, quod Princeps & Alpha hiſtoriæ noſtræ loquatur de primo omnium incola Hercyniæ ſilvæ poſt diluvium, intermiſere poſteritati notum facere, quod is ipſus de rei ſuæ narratæ fide dubitaverit, quod faſſus ſit ſe ipſum ignorare, facta, an ficta ſint, nullumque ſe ſuperiorem ſcriptorem horum patriorum incunabulorum reperit. Quin illi ſumma confidentia, ſublatis iſtiusmodi temporum dubiorumque indiciis, hæc gentis initia tanquam hiſtoriam remque certiſſimam adnotavere; inde profluxit, ut cum Coſmæ exemplaria rariora eſſent, nec unicuique eorum eſſet copia, aliis veteres codices characteresque legendi non eſſet ſcientia, aliis hos rivulos cum fonte conferendi deeſſet induſtria, inde, inquam, profluxit, ut bona fide alter alterum ſibi viciniorem exſcriberet, a Dalimilo ad Pulkavam, a Pulkava ad Æneam Silvium, ab his ad Dubravium Hageciumque, a poſteriore error iſte ad ceteros omnes etiam exteros ſerperet. Neque mirum ſæculorum quatuor decurſu narrationem hanc tantoopere confirmatam, ut hodie apud antiquitatum iſtiusmodi ignaros non modo antiquiſſimæ traditionis, ſed hiſtoriæ vim obtinuerit. Nam quemadmodum ait Baronius: (a) *Res non raro confictæ fabularum abolito nomine tranſeunt in hiſtoriam, ut opus ſit magno cribrario, qui magno labore a veris falſa, & fabulas ſegreget ab hiſtoriis.* Conſervaſſent & exſcripſiſſent poſteriores noſtri hiſtorici vel ſolam dubitationem fluctuationemque Coſmæ, ſemper *Boemus* ille ſeu *Czechus* dubius in geſtis patriis perſtitiſſet, neque unquam in hiſtoriæ veræ exiſtimationem tranſiiſſet, aut tot hodie animo obfirmatos defenſores numeraret.

Ad §. II. & III.

Poſteaquam novarum ſententiarum & opinionum architectos ſectatoresque ſugillaſti, aggrederis Novaliſtam (ſic enim barbare illum appellas) Pragenſibus typis excuſum, quod me ſententiamque meam

(a) Baronius in Annal. Eccleaſt. ad an. 853.

LUCIFER. de veteribus Zecchis *publicis novalibus Pragenſibus præconiſaverit*; ais tamen eum dubium literatis reliquiſſe: *Quo animo, aut conſilio? jocone* Pag. 22. 23. *an ſerio me præconio hoc ſuo ornare voluerit?* Invidiæ & obtrectationis, hæc tela ſunt arcu Luciferi tui evibrata, minime a tua ingenii moderatione ac humanitate profecta. Nempe non tu Vir Cl. ſed Lucifer tuus *rumpitur invidia .... quod me* Praga *colit* etiam nihil merentem. Invidioſe itaque mi Lucifer *Novalium* & *Novaliſta* mantello Acta Eruditorum Lipſienſia & Viennenſia involviſti ac texiſti, ea enim fuerunt, quæ Typographus Pragenſis ad verbum excudit, quæque Pragenſibus rerum novarum ephemerydibus inſerenda eſſe Cenſor Regius decrevit. At vero auſisne incogitans Lucifer omnium operum, Virorumque doctiſſimorum fidem ſuſpectam orbi reddere, qui unquam his Actis Eruditorum probati & laudibus celebrati ſunt? ideone in orbem emittuntur, ut literatis dubium relinquant, jocone an ſerio librorum quorumque noviſſimorum authores commendentur? Tune ſolus ignoras, non unius hominis judicio, ſed paſſim univerſæ Academiæ, Collegiique conſilio ac decreto recenſiones iſtiusmodi adornari? Igitur tam Acta Eruditorum Viennenſia, quam Lipſienſia, quam Ratisbonenſia, quæ præter omne meritum honorificentiſſimas operum meorum recenſiones typis edidere, in ſuſpicionem adulationis, illuſionis & ſubleſtæ fidei adducis? Nihil eſt Lucifer, quod jumento tuo metuas, ut ne a Viris iſtis authoritatem fidemque recenſionum ſuarum propugnaturis probe vapulet? An vero etiam joco ſententiam meam laudavit, contraque Collegam tuum tuitus eſt Illuſtriſſimus ac Excellentiſſimus D. Comes Leopoldus Clary de Aldringen ſuæ Sacræ Cæſareæ, Regiæ, Apoſtolicæque Majeſtatis Intimus Actualis Conſiliarius in ſuo non pridem recuſo Plutarcho redivivo? Heu quam vereor ne laudum mearum inſtitor orbi literato videar! mercimoniorum meorum contemtus me adigit ad expromendas oſtentandasque merces, quas modeſtia tectas obſcurasque delitescere maluiſſet. Nec vero magis criſtas ſuas aves erigere, decoremque pennarum ſuarum jactare ſolent, quam cum ab hoſtibus irritantur ac laceſſuntur. Quidni palpum etiam mihi operibusque meis obtruſit Admodum R. ac Eximius P. Georgius Pray S. J. nominatiſſimus hodie Annalium Hungaricorum ſcriptor? Quid clariſſimus Boehmius publicus in Academia Lipſienſi Profeſſor & Saxoniæ Hiſtoriographus in groſſis ſuis Miſnenſibus, in Pace Olivienſi, in Protectoribus Germaniæ? Quid a ſuis editis operibus celeberrimus, & latini ſermonis elegantia ac cognitione notiſſimus Vir Joannes

nes Auguſtus Erneſti in ſua nova Bibliotheca Theologica? Quid eruditiſſimus Vir Joannes Daniel Ritter in Academia Wittebergenſi publicus Hiſtoriæ Profeſſor? Quid Acta Eruditorum Gœttingenſia & Jenenſia? Quid doctiſſimus Vir Arletius? Omnesne Viri iſti graviſſimi, auctoritate, & doctrinæ fama ſumme conſpicui *joco præconiſarunt* opuſcula mea? Cato, cato inquam hæc Lucifer ſcripſiſti conſilio, ut cum Viri mox memorati pro dicacitate tua aliquando ſarcaſmos tuos probe pro merito contuderint, mulctaverintque, purgatio tibi in promtu ſit: eos hæc adverſum te *joco non ſerio* ſcripſiſſe. Sed vere Seneca: (a) *Nec quidquam minus convenit, quam ſubdola iſta calliditas animis conantibus magna.* LUCIFER.

Ad §. IV. & V.

I. Haud aliter Vir Cl. atque ſi ſcripta mea nunquam legiſſes, aut lecta ſubito, tibi memoria excidiſſent, commentaris, mihique affingis, veluti a me dictum eſſet: *Slavos abſque anthore & duce velut inter tenebras abſque luce pecorum more commigraſſe in has ſolitudines.* An non ego in Prodromo meo pluribus docui, Slavis ipſiſque veteribus Aſiæ Zecchis duces fuiſſe Hunnos, qui illos ex Ponti Euxini Paludisque Mæotydis plagis ſecum in Europam rapuerunt? An non idoneis argumentis probavi Attilam ſuo immenſo exercitu eos eduxiſſe in Germaniam; reducemque e campis Catalaunicis campum ampliſſimum Slavicis populis aperuiſſe, ut deſertas, expulſis veteribus incolis, Marcomannorum, Quadorum, Hermundurorumque terras præter omne negotium occupare poſſent, ſub ejusque dominatu usque ad ejus mortem perſtitiſſe? *Attila vero* (inquit Proſper Aquitanus (b) author coævus) *in ſedibus ſuis mortuo, magna inter filios ipſius certamina de obtinendo regno exorta ſunt: deinde aliquot gentium, quæ Chunis parebant, defectus ſecuti.* Hoc nos punctum temporis defiximus, quo Slavicæ gentes, omnium maxime ſerviliter teſte Fredegario (c) ab Hunnis habitæ, Hunnorum jugum excuſſerunt, patriumque inſtitutum ſecutæ, ſe ſe in minores quasque reſpublicas jam olim a Zupanis ſenioribusque populi regi ſolitas diſpeſcuerunt, imitatæ in hoc noviſſima Gepidarum, Gothorum, aliarumque gentium exempla, qui excuſſo quo- Pag. 22. & 23.

(a) Seneca epiſt. 1. (b) Proſper Aquitanus Opilione V. C. (c) Fredegar. c. 48. ad annum XL. Chlotarii.

LUCIFER, que filiorum Attilæ imperio nova regna, monarchias, reſpublicasque nusquam antea in Europa auditas excitarunt, adeo ut facile decem novas gentes regnaque in Prodromo meo enumeraverim, quæ hoc filiorum Attilæ diſſidio ſua principia debent. Sed quid cramben recoquo? meditate legentibus, memoribusque opuſcula mea ſcripſi, non tumultuarie deproperantibus, dormitantibus, aut lectorum memoriam extemplo amittentibus. Ego itaque verborum hujusmodi ſententiæque parens non ſum, ab alio, neſcio quo, Jove venit hic Vulcanus, cui nempe, ut Lipſii verbis loquar, *cerebrum pituita ſic obruit, ut ſomnia ſua umbrasque* mihi meisque annalibus temere affingere audeat.

Pag. 23. II. Rurſum Lucifer tuus tragulam nobis injicere parat. Favebis vero Vir Cl. ut tantisper a te ſermonem ad illum deflectamus, cumque eo fraudem ex merito expoſtulemus. Impingit Lucifer infidelitatis mihi vitium: criminaturque, quod Titi Livii Dec. 1. l. 1. textum mutilaverim, hancque illius de Henetorum Duce parentheſin (*qui ſeditione ex Paphlagonia pulſi & ſedes & Ducem Rege Pylæmene ad Trojam amiſſo, quærebant*) fraudulenter truncaverim; his enim aſperioribus dictis in me aculeum exerit: *En fidelem ſcriptorem! nempe terruerunt eum umbræ Ducis & Regis, quos jam tum Henetæ habebant, igitur textus, quaſi integer eſſet, erat efabricandus.* Qua fronte Lucifer fidelitatem meam apud literatum orbem in ſuſpicionem vocare audes? egone ideo Livii textum mutilavi, quod me umbræ Ducis aut Regis terruerint? An non eadem pagina 125. Prodromi mei, ad quam provocas, moxque ante recitandum Livii textum eundem *Pylimenem*, quem a me truncatum quereris, Henetis Ducem concedo, commemoroque? Vis verba hujus loci, repetam: *Strabo* (ajo eadem pagina) *Homerum explicans eorundem* (Henetorum) *Ducem bello Trojano inclytum Pylimenem laudat.* Quid accuſas? quid tumultuaris? quid maculam infidelitatis nomini meo operibusque meis aſpergis? *Hoc* nempe *perpetuo facis* (verba ſunt Juſti Lipſii: (a) (*vinum, ut ſic dicam, meæ ſcriptionis corrumpis, & diluis affuſa incogitantiæ tuæ aqua, quid ſi etiam malitiæ?* An vero tu, cum verba mea de mutilatione accuſaſti parentheſin eam & lacunam Livii a me brevitatis cauſa prætermiſſam, fideliter, integreque ſuppleviſti? Quin imo oſtendiſti te Livium ne quidem oculis uſurpaſſe, nec fontes ipſos curaſſe, ſed per rivulos anhelum cucurriſſe, & ex poſteriorum authorum fragmentis tua nonniſi venatum. Jam vero omni fidelitate & tota

(a) Juſtus Lipſius adverſus Dialogiſtam.

ea ſua latitudine Livii textum exſcriptum habe: (a) *Jam primum omnium ſatis conſtat Troja capta in ceteros ſævitum eſſe Trojanos, duobus Ænea Antenoreque, & vetuſti jure hoſpitii, & quia pacis reddendæque Helenæ ſemper authores fuerant, omne jus belli Achivos abſtinuiſſe. Caſibus deinde variis Antenorem cum multitudine Henetum, qui ſeditione ex Paphlagonia pulſi & ſedes & Ducem Rege Pylimene ad Trojam amiſſo quærebant, veniſſe in intimum maris Adriatici ſinum: Euganeisque, qui inter mare alpesque incolebant, pulſis, Henetos Trojanosque eas tenuiſſe terras, & in quem primum egreſſi ſunt locum, Troja vocatur, pagoque inde Troja nomen eſt, gens univerſa Veneti appellati.* Hem jam præ mutilo tuo allato Livii loco ſincerum integrumque! Itane hoc vitium hæc infidelitas fuit longiſſimas illas parentheſes, quæ ad argumentum meum nihil facere videbantur, exſcribere? non ſatis fuit prævie vel tribus verbis hunc Pylimenem indigitaſſe? Visne ut textuum longitudine lectorem tædio enecem? An non id omnibus ſcriptoribus uſitatiſſimum, ut prolixitatis vitandæ ergo paſſim reſciſſis inutilibus, ea nonniſi ex authoribus excerpant, quæ ad argumentum, quod tractant, ſpectare videntur. Iſtud ſi vitium, ſi infidelitas eſt, næ mecum eadem culpa vapulat univerſus orbis literatus, atque tu ipſe Vir Cl. qui plus triginta ejusmodi mutilos textus in tenui tua lucubratione produxiſti. Non penſaſti æqua lance ſapiens illud vetus dictum: *Bis ad limam quam ſemel ad linguam.* Ter, inquam, quaterque ad limam, quam ſemel ad chartam, ex qua verba non evolant, non evaneſcunt. Si me infidelitatis arguere te libido invaſit, fontes conſulere, & anteriora diligenter explorare oportuit, utne præ macula, quam mihi appingere laboraſti, te ipſum quantum-quantum denigrares. Quid vero me ſeu Regis ſeu Ducis *Pylimenis* umbræ terruiſſent? quem potiſſima Hiſtoricorum pars nonniſi ſatrapam ſeu belliducem Paphlagoniæ atque Henetorum facit, ut alio loco copioſe de Paphlagoniæ ſatrapis ex vetuſtiſſimis Græcis Romanisque ſcriptoribus probaturus ſum; nec enim aliæ de eo ſuperſunt memoriæ, quam quod Priamo, laborantique Trojæ Henetos in auxilium adduxerit, quod munus belliducum eſſe nemo inficiabitur. Ut taceam ea, quæ de origine gentis Slavicæ ab Henetis deſcendentis in Prodromo meo ſcripſi; nuſquam a me tanquam certa, indubitata, fideique hiſtoricæ loco fuiſſe lectori propinata: conjecturarum & veroſimilitudinis nomine ubivis uſus ſum, non ignarus in his cymeriis antiquitatis tenebris, gentiumque originibus, migrationibus

LUCIFER.

(a) Liv. l. c.

LUCIFER. nibus, nominumque etymologiis nulli hactenus hiſtoricorum licuiſſe clarum videre.

Ad §. VI.

Pag. 24. I. Haud abſimili ratione, atque ſuperiore paragrapho ſeu te fingis, ſeu immemorem te prodis Vir Cl. eorum, quæ de occupatis per Slavos ad Danubium terris poſt Attilæ mortem locupletiſſime in Prodromo noſtro Parteque II. Annalium Hagecianorum diſſeruimus & veteribus prolatis documentis probavimus, ubivis enim difficultates ſeminas, ne dicam ſpargis in auras, & nos ad tædioſam pridem narratarum evictarumque rerum repetitionem vi quadam compellis. Quod coæva teſtimonia non produxerim de ingreſſu Slavorum in ipſam Boemiam circa hæc Attiliana tempora, ipſe ultro pluribus locis confeſſus ſum, nec prudens quisquam ea a me exquiret, quæ temporum illorum ſcriptores non prodidere; oſtendi tamen ex antiquiſſimis Franciæ Galliarumque ſcriptoribus poſt illam filiorum Attilæ diſſenſionem, potiſſimorumque Hunnorum in patrias ſuas ſedes reditum, Slavos vicinas Danubianas regiones cœpiſſe colere (a) nempe ſæculis pene duobus prius, quam tu cum Hagecio aut Kutheno adventum Czechi tui in Boemiam ſtatuas. Oſtendi jam ſæculo exeunte VI. cæſos a Taſſillone Duce Bajoariorum (b) jam eodem tempore ab Aimonio vocari *provinciam Slavorum*, (c) imo tantum multitudine auctos, ut in Dalmatiam tranſirent, eamque Avaribus eriperent: (d) poſtea ſæculo ordiente ſeptimo toties a Dagoberto victos, (e) eidemque conciliatos. Quorum cum

(a) *De converſione Bojor. & Carentan.* Poſt annos nativitatis Domini CCCLXXVII. & amplius Hunni ex ſedibus ſuis in Aquilonis parte Danubii & in deſertis locis habitantes transfretantes expulerunt Romanos & Gothos atque Gepidos. Tunc vero Slavi poſt Hunnos inde expulſos venientes cœperunt iſtis partibus Danubium diverſas regiones habitare. (b) *Hermann. Contract. ad an.* 595. His diebus Taſſilo Rex Bajoariorum a Hildeberto conſtituitur, qui mox Slavis ſuperatis magnam exinde prædam deportavit. (c) *Aimonius l. 3. c. 8.* (d) *Conſtant. Porphyr. de admin. imp. c.* 30. & 31. Chrobati qui Dalmatiæ partes incolunt a Chrobatis albis baptiſmi expertibus originem ducunt, qui ultra Turciam prope Franciam habitant, & Slavis Serblis (*Sorabis*) contermini ſunt . . . . Atque hi ipſi Chrobati ad Rom. Imp. Heraclium confugerant ante Serblos, quo tempore armis Abares inde ejecerunt. (e) *Fredegarius c.* 68. Dagobertus ſuperbiter jubet de univerſo regno Auſtraſiorum contra Winidos movere exercitum, ubi tribus turbis phalangæ ſuper Winidos exercitus ingreditur, etiam & Longobardi ſolatione Dagoberti itidem hoſtiliter in Sclavos perrexerunt . . . . victoriam obtinuit.

cum plurima multo ante annum 639. ſeu 644. alia eodem tempore accíderint, quo tu cum Hagecio aut Kutheno Czechum in Bohemiam immigraſſe ſtatuis, quis ſano ſincipite tuis, Hagecii, aut Kutheni verbis majorem fidem adhibeat, quam illis graviſſimis antiquitatis teſtibus? Admiratio autem tua: *Quomodo tantum factum* (ſcilicet immigratio Slavorum in Bohemiam) *non ſolum obſcurum, ſed plane etiam ignotum in præſens manſerit*: apud eos locum habeat, qui obvia quæque uſitatiſſimaque, tanquam album corvum, admirari ſolent; antiquitatum cognitoribus, eruditisque nulli prorſus id eſt admirationi. Non enim illis incognitum pauciſſimas gentium præſertim barbararum immigrationes a coævis fuiſſe literis conſignatas. Non illis tectum non modo gentem noſtram ſed & vicinos Saxones, Hunnos, Bojoarios, Suevosque literis adhuc, ac proinde etiam hiſtoricis caruiſſe. Noverunt illi Attilianis temporibus Pannoniam vicinasque regiones imo pene totam Europam perpetuis bellorum motibus fuiſſe quaſſatas. *Silent leges*, inquit Cicero, *inter arma*. Silebant inquam tum literæ & diſciplinæ, quæ otium & tranquillitatem amant; tela, ſcuta, gladiusque ad ſua tutanda tum exquirebantur. Admirationem vero tuam multis paraſangis vincit, cum Vir Cl. a nobis coæva teſtimonia immigrationis Slavorum in Boemiam ſcrupuloſe exigis, qui pro Czechi tui immigratione ne unum quidem attuliſti, imo ne umbram quidem illius in veteribus monumentis oſtendiſti; niſi fortaſſis Scriptores ſæculis octo & novem poſteriores coævorum tibi nomine veniunt, parique cum illis authoritate ac fide cenſentur, præſertim cum veterum hiſtoriarum narratis modis omnibus, omnique loco eos adverſari alibi oſtenderim? Recte autem Catullus: *Turpe eſt doctori, dum culpa redarguit ipſum.* Lucifer.

II. Simillimum pridem profligatum dubium moves, cum quæris: *An Slavi Attilæ ſocii univerſam Slavorum nationem complexi fuerint, num duntaxat quandam tribum?* ego vero ubivis ſine involucris, obſcuritatibusque locutus ſum, eas Slavorum gentes cum Attila fuiſſe, quæ olim in Aſia Hunnis finitimæ erant, quæque jam Mæoticarum, jam Boſphorianarum, jam Alanarum nomine cenſitæ ab iis in Europam emigrantibus tanquam torrente una abreptæ ſunt, clarum hujusce rei teſtimonium præter Jornandem (a) habemus in Ammiano Marcellino ita commentante: (b) *Igitur Hunni pervaſis Alanorum regionibus*

(a) Jornandes de rebus Geticis c. 33. (b) Marcellinus l. 31. p. 549.

LUCIFER. *nibus, quos Geun hungis confines Tanaitas conſuetudo nominavit, interfectiſque multis & ſpoliatis, reliquos ſibi concordandi fide pacta junxerunt, eiſque adjunctis confidentius Ermenrichi late patentes & uberes pagos* (in Europa trans Pontum ſitos) *repentino impetu perruperunt bellicoſiſſimi Regis, & per multa variaque fortiter acta vicinis nationibus formidati.* Ne tamen in dubium trahas Alanorum genericum plurium gentium fuiſſe nomen, audi Marcellinum de iis eodem libro loquentem: *Parte alia prope Amazonum ſedes Alani ſunt orienti acclives, diffuſi per populos ac gentes amplas Aſiaticos vergentes in tractus.* Et dein: *Alani* (*quorum gentes varias nunc recenſere non refert*) *licet dirempti ſpatiis longis per pagos ut Nomades aguntur immenſos.* Denique: *nando & venando adusque Maeotica ſtagna, & Cimmerium Boſphoron, itidemque Armenias diſcurrentes & Mediam.* Imo ſi victus rationem, mores, habitum corporis, conſuetudines, ariolandi, præſagiendique rationem cum iis conferas, quæ Procopius, Jornandes aliique veteres de Slavis prodidere, plane intelliges, Marcellinum ſub hoc Alanorum nomine Slavos (quod nomen tum adhuc enatum non erat) comprehendiſſe. Hoc itaque Alanorum generico nomine tecti Zecchi, Abasgi, Serbi ſeu Serbli, Chrovatæ, Ucri, Caſaci, Chazari aliæque Slavicæ reſpublicæ veluti cujuſdam procellæ impetu ab Hunnis in Europam raptæ ſunt, atque ut olim in Aſia finitimas Avarum & Hunnorum regiones tenuere, ita poſtea, Hunnis Pannoniam transdanubianasque Gepidarum Quadorumque terras occupantibus, ſe ſe prorſus finitimis locis ſtabilivere, & vetuſta ſua nomina Europæis regionibus inferentes ea iſthic inviolata conſervarunt, ut copioſe in Prodromo noſtro de ſingulis animadvertimus.

III. Pertexis telam adverſus Attilæ in Slavos dominationem, & ais: *Ammiano Marcellino coævo ſcriptore & Jornande teſtibus ab omni exceptione immunibus liquidum eſt, Attilam devictis, aut in ſocietatem belli pellectis gentibus ita dominatum fuiſſe, ut iis tamen proprii regiminis formam intactam relinqueret.* Ubi id Ammiani Marcellini? ubi Jornandis teſtimonium? quæ Lucifer tuus tanquam Luciani gallus ſomnia nobis narrat? qui Ammianus Marcellinus Attilæ meminiſſe potuit, qui ſub Gratiano & Valentiniano florens præmortuus circa annum 390. (*a*) antequam fortaſſis Attila natus fuiſſet, aut certe ex ephebis exceſſiſſet? Marcellinus Comes, cujus locum in notis profers, toto cœlo diverſus eſt ab Ammiano Marcellino, is enim Illyricanus fuit, & cancellos egit

(*a*) Voſſius in hiſt. latin. l. 2. c. 9. Ladvocat Dictionnaire Hiſtorique vocabulo *Ammien.*

egit Juſtiniani etiamnum Patricii, ut ait Voſſius, (a) adeo ut ſæculo integro poſterior fuerit Ammiano Marcellino, qui miles, genteque Græcus erat. LUCIFER. Quid vero ait Marcellinus Comes? *Bleda & Attila fratres, & multarum gentium Reges Illyricum Thraciamque depopulati ſunt.* (b) Pene ſimilia profers ex Jornande. Quid vero non intelligis authores loqui de temporibus, antequam Attila adhuc fratrem Bledam conſortem regni vita exuiſſet, (c) illiusque populos ſub poteſtatem ſuam redegiſſet? de temporibus, inquam, antequam Attila monarchiam univerſalem fuiſſet auſpicatus; quæ vero poſtea Attilæ dominatio fuerit, audi Jornandem adverſus te teſtificantem: *Attila Hunnorum omnium dominus, & pene totius Scythiæ gentium ſolus in mundo regnator, qui erat famoſa inter omnes gentes claritate mirabilis.* (d) Quin autem Jornandes (e) Scythiæ nomine præter Hunnos hanc incolentes Slavicas gentes intellexerit, nemo eruditorum dubitavit hactenus, & ex ipſo Jornande teſtatum eſt, qui Scythiæ limites a Viſtulæ fluminis fontibus, in hodierno Teſchinenſi Sileſiæ Ducatu ſe ſe provolventibus, usque ad ejus oſtia deſcribit, ut taceam poſterius a te ipſo prolatum Cinnami locum, qui Lechos Slavos *Scytharum* nomine impertit. Nec enim cogitatione aſſequi licet, unde tandem hæc infinita Vinidorum ſeu Slavorum multitudo proruperit, aut quæ loca ante coluerit, ſi ſub Attilæ dominatu comprehenſa non fuit. Non negarim tamen Gepidarum, Gothorum, Rugianorum, Longobardorumque Reges nonnunquam ſocios Attilæ nominari, qui tamen ipſi vectigalibus clientelaque obnoxii fuere, qua ſe ſubinde morte illius & cumprimis filiorum diſſidio deliberarunt. At non eſt quæſtio de aliarum gentium Regibus aut Ducibus, Slavorum Reges & Duces adduxiſſe convenerat, ut oſtenderes ſub Attilæ temporibus penes Slavos regimen Monarchicum fuiſſe. Non legiſti autem unquam in Fredegario quam duro ſervitutis jugo ab Hunnis Attilaque preſſi fuerint Slavi? aurem præbe huic pervetuſto hiſtorico: (f) *Winidi biſulci Chunis fuerant jam ab antiquitus, ut cum Chuni in exercitu contra gentem quamlibet adgrediebant, Chuni pro caſtris adunato exercitu ſtabant, Winidi vero pugnabant: ſi vero ad vincendum prævalebant, tunc Chuni prædas capiendum adgrediebant, ſin autem Winidi ſuperabantur, Chunorum auxilio fulti vires reſumebant, ideo bi-*

(a) Voſſius ibid. c. 19. (b) Marcellinus Comes ad an. 442. (c) Aurelius Caſſiodorus ſub Theodoſio XVIII. & Albino. (d) Jornandes de rebus Geticis c. 4. (e) Jornandes de reb. Get. c. 3. de Viſtula fluvio: *Germaniam Scythiamque diſterminans.* (f) Fredegarius c. 48.

LUCIFER. *fulci vocabantur a Chunis, eo quod duplici in congreſſione certaminis veſti a prælia facientes ante Chunos præcederent. Chuni ad hiemandum annis ſinguli in Sclavos veniebant, uxores Sclavorum & filias eorum ſtratu ſumebant, tributa ſuper alias oppreſſiones Sclavi Hunnis ſolvebant.* Ejusmodi ſervitutis jugum tyrannidemque excuſſuri Slavi, ſe ſe poſt Attilæ mortem ab Hunnico ſciderunt imperio, eo nempe tempore, de quo Jornandes: (a) *Dividuntur regna cum populis, fiuntque ex uno corpore membra diverſa;* & poſtea: *Ceſſere itaque Hunni, quibus cedere putabatur univerſitas.* Hoc inquam tempore Slavi pro veteri patrio ſuo inſtituto varias auſpicati ſunt in Europa respublicas, quæ pro familiarum, pagorum, fontium, fluviorum, montiumque appellationibus diverſiſſima ſortitæ nomina. Iſtud tamen advertendum: Hunnis poſtea in Pannonia rurſum caput erigentibus, Slavos quosque etiam poſterius hoc jugum ferre coactos, ut teſtatur Fredegarius.

Pag. 25. IV. Novum dubium moves, aisque: *Sanum animum refugere vel cogitare, quod Slavi uxores ſuas cum prolibus ſecum in tam longinquam Gallicam irruptionem aſſumpſerint, nec ſciri unde deinceps uxores legerint, cum illæ domi pro aris & focis ſuis depugnaverint.* Ædepol Herculeum argumentum ex intima cognitione veterum hiſtoriarum, migrationumque profectum! ſi Hunni ex remotiſſimis terris ultra Zecchos monteſque Caucaſeos ſiti, ſecum eduxere in Europam proles atque uxores, cur non Slavi propiores? An Franci, Saxones, aliique populi e longiſſime diſſitis regionibus emigrantes ſine uxoribus & prolibus in has, quas hodie occupant, terras immigrarunt? Legeſis Gothorum, Wandalorum, Longobardorum aliarumque nationum barbararum hiſtorias, an non ubivis mulierum, liberorumque greges deprehenſurus, qui patres maritoſque alias terras meditantes ſecuti ſunt? Quid ſi Lucifer tuus meditetur terram longinquam, eamque poſthac colere cum animo ſuo ſtatuat, an non in peram ſuam conjecturus eſt, quæque domi ſuæ chara olimque deſervitura proſpicit? Slavosne patriam ſuam deſerentes meliorumque ac feliciorum terrarum fortunam exquirentes tam immemores, ingenio hebetes, aut animo vecordes effingas, ut chariſſima ſua pignora uxoresque nusquam amplius viſuri domi ſuæ deſeruerint, deſpexerintque? An non apud coævos res teſtatiſſima, Vandalos in ipſam Hiſpaniam Africamque ſecum eduxiſſe liberos atque uxores? ſed ut ex infinitis exemplis unum de Longobardis adferam

(a) Jornandes de rebus Geticis c. 50.

feram, habe Gregorii Turonenſis verba: (a) *Longobardorum gens priusquam hoc nomen adſumeret, exientes de Schatanavia cum uxoribus & liberis Danubium transmeant.* Idem Procopius (b) refert de Britannis. Czechumne tuum & Slavos ſine uxoribus & liberis contra Hagecii mentem in Bohemiam veniſſe contendes? Quin mulieres liberosque olim in ipſa prælia aſſumptos fuiſſe, audi Taciti de Germanis Suevis teſtimonium: (c) *Quodque præcipuum fortitudinis incitamentum eſt; non caſus, nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum facit, ſed familiæ & propinquitates, & in proximo pignora, unde fœminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium. Hi cuique ſanctiſſimi teſtes, hi maximi laudatores. Ad mares, ad conjuges vulnera ferunt, nec illæ numerare, aut exſugere plagas pavent, cibosque & hortamina pugnantibus geſtant. Memoriæ proditur quasdam acies inclinatas jam & labantes a feminis reſtitutas conſtantia precum & objectu pectorum, & monſtrata cominus captivitate, quam longe impatientius feminarum ſuarum nomine timent.* Taceo armata mulierum Slavicarum corpora in longiſſime a patria ſepoſitis terris belliſque non ſemel inter reliqua cæſorum funera inventa eſſe, quorum plura exempla in Annalibus meis in medium attuli. Sanus igitur mihi, aliisque veterum hiſtoriarum gnaris animus, ſana mens, ſanum judicium, non refugimus cogitare, ſed perſuaſiſſimum habemus, defendimusque, Slavos e priſcis ſuis ſedibus emigrantes ſecum traxiſſe uxorum, liberorumque greges etiam in longinquas quasque règiones, hoc enim ratio, hoc neceſſitas quædam urgebat, hic omnium gentium, aliarum terrarum poſſeſſionem meditantium, ritus erat. Imo quid ſi Slavi etiam in hanc Gallicam Attilæ irruptionem ſecum non traxere mulierum proliumque turmas, an reduces Boemiamque occupantes non e proximo advocare potuere? Non enim Hunni & Attila eo primum tempore ex Aſia advenere, jam multo ante illi in Gepidarum Quadorumque terris conſedere, jam ultra Tibiſcum verſus Boemiam Attila regiam ſuam habuit, ut teſtatur Priſcus in excerptis legationum; inde igitur non magno negotio advocari adducique potuere. Ceterum cum Slavos, interque eos Zecchos ex Ponti Euxini Paludisque Mæotydis finibus ab Hunnis ſimul raptos dicimus, non omnino univerſos in Europam transductos contendimus, ſed quemadmodum Hunnorum magna pars in ſedibus ſuis priſcis perſtitit, in quos adhuc vivente Attila — LUCIFER.

(a) Gregor. Turonenſis in hiſt. Francorum epitomata c. 65. (b) Procopius de bello Gothico l. 4. (c) Tacitus de moribus German. ſect. 7.

LUCIFER. la ſenior filiorum dominationem, conſecutus eſt, (a) ita Zecchorum aliarumque Slavicarum nationum magnam partem in Aſia perſtitiſſe, aut certe poſt illam filiorum Attilæ cladem, Hunnorumque in patrias ſedes reditum, cum iisdem rediiſſe aſſeveramus.

Pag. 25. V. Perſequeris: *Me oleum & operam in negando Czecho amiſiſſe*, quod duobus argumentis evincere contendis. *Primo* ais: multo ante Attilæ Gallicam expeditionem jam Slavos Bohemiam inſediſſe, *ſecundo* dicis conſtare, quod poſt pugnam Catalaunicam Attila in Pannoniam redierit, nec rationi conſentaneum eſſe: Zecchos illos Zichosve Attilam deſeruiſſe. Sed quibus argumentis aut monumentis probas, Slavos ante Attilæ Catalaunicam expeditionem jam inſediſſe Bohemiam? *Non tantum*, inquis, *authoritate M. Petri Codicilli, M. Danielis Weleslavina, M. Pauli Stransky, ſed & diligentiſſimi D. Joannis Chriſtophori de Jordan.* Quin cur tuammet ipſius authoritatem non etiam allegaſti? non enim mox memoratorum authorum teſtimonia majoris mihi aut alteri critice hiſtoriam expendenti videri pòſſunt ponderis, quam tuummet. Nunquam ego te mi Lùcifer tam Corœbum putavi, ut ad eruendam veterum hiſtoriarum veritatem, meque convincendum, Scriptores recentiſſimos ſine omnibus tabulis loquentes proferres. Unde ſuas conjecturas hauſere, aut quibus veteribus documentis fulcivere Codicillus, Weleslavinus, Stranskiusque? Irrigaſti tua ubivis profuſiſſime ex Jordani libro de originibus Slavicis, legiſti in eo millia aliquot veterum hiſtoricorum fragmenta, ſed cur ex tanto numero vel unum teſtimonium non produxiſti, quo perſuaderes, ante Attilæ imperium jam Slavos ſediſſe in Bohemia? Visne ut tædioſo labore tibi rurſum Marcomannorum, Quadorum, Longobardorumque Sæculo exeunte IV. & ineunte V. res geſtas in his regionum confiniis ex coævis ſcriptoribus refricem in memoriam? Redi vero ad Prodromum meum, ego patientia lectoris abuti nolo. Quod alterum eſt; ais, Pag. 26. conſtare Attilam poſt pugnam Catalaunicam rediiſſe ad Pannoniam: quis hoc negat? Sed incredibile tibi Zecchos Zichosve deſeruiſſe Attilam: ubi id vero dixi? Sententia mea eſt, Slavos ſub dominatu Attillæ etiam in regionibus Bohemiæ uſque ad ejus interitum perſtitiſſe, ſed poſt ejus mortem, ſubque filiorum ſuorum diſſidium, tandem cum aliis gentibus jugum Hunnicum excuſſiſſe. Et quam tu tibi Pannoniam effin-

(a) Priſcus in Excerptis legat. *Senior filius* (Attilæ) *jam tum Acatzirorum, & reliquarum gentium, quæ Scythia ad Pontum paſci, regno potiebatur.*

effingis animo, ad quam Attila rediit? an cisdanubianam illam, quæ Arabone, Dravo & Savo irrigatur? minime, hanc enim Proſpero Aquitano teſte conceſſit Longobardis, & pace cum Romanis facta, Romanis intactam inviolatamque voluit, ut narrat Priſcus in Excerptis Legationum. Trans Danubium tum erant ſedes Hunnorum Regiaque Attilæ genti noſtræ Marcomannisque prope finitimæ, quas nonmodo ex campis Catalaunicis, ſed poſtea etiam ex Italia redux repetivit, ut ex Proſpero Aquitano & Jornande clarum eſt legere. (a) In quem tu vero ſaccum infinitam prope Slavorum multitudinem, quæ poſtea Attila demortuo in apricum prodiit, concludas, ſi illis nonniſi transdanubianam Pannoniam, quæ vix capiendis Hunnis ſuffecerat, concedas? Quingentorumne millium exercitum, ut prodit Jornandes, in ea temporibus illis terrarum ſolitudine ac vaſtitate, cum uxoribus liberisque cepit ſola transdanubiana Pannonia, præſertim cum is jam animo conſtituiſſet terras has excolere, & familias, tribus, gentesque per pagos diſpeſcere, Slavorum autem ritus fuerit ſparſim & longius a ſe poſitis tuguriis habitare, ut innuit Procopius? (b) Non igitur *oleum* (quo ad ſcribendum nunquam utor) *perdidi*, cum irruptione Gallica Marcomannos Quadosque penitus ſedibus ſuis exturbatos, ac Slavos ſubingreſſos docui; eouſque pene pertingunt in veteribus hiſtoriis Marcomannorum Quadorumque memoriæ, ab eo inquam tempore tanquam in puteum incidiſſent, nuſquam amplius comparent. LUCIFER. Pag. 20.

VI. Eo vergunt tandem conſilia tua Vir Cl. ut Slavos ſub imperio Attilæ ſtetiſſe, aut ei in campis Catalaunicis armorum ſocios fuiſſe neges. Ad confirmandam opinionem tuam producis Sidonii Apollinaris locum pridem a nobis præoccupatum dilucidatumque, aisque ab hoc vetuſto Poeta nec Slavos nec Sarmatas inter ſocios Attilæ commemoratos, quin imo ex Jornandis teſtimonio convinci, Slavos ſub Sarmatarum nomine ab auxiliis Aetio Romanisque fuiſſe: Fruſtra a Sidonio Apollinari nomen Slavorum repetis, quod ejus ætate, nempe ſæculi V. medio, necdum eruperat, necdum ſcriptoribus innotuerat. Pag. 27. & 28.

(a) *Proſper Aquitanus Herculano & Sporatio Conſulibus:* Tota legatione dignanter accepta, ita ſummi Sacerdotis (*Leonis Papæ*) præſentia Rex (*Attilla*) gaviſus eſt, ut & bello abſtineri præciperet, & ultra Danubium promiſſa pace diſcederet. *Jornandes de rebus Geticis c.* 42. Qui mox depoſito exercitus furore, & rediens, qua venerat, id eſt, ultra Danubium promiſſa pace receſſit. (b) In tuguriis habitant vilibus & rare ſparſis. *Procop. de bello Gotthico l. 3. c.* 14.

LUCIFER. Slavos ſub Sarmatarum nomine a primo egreſſu ex Aſia junctos perpetuo fuiſſe Hunnis nemo eruditorum dubitavit hactenus propter luculentiſſima coævorum teſtimonia. Sic Auſonius jam ſæculi IV. Poeta non inimi nominis in Precatione Conſulari canit:

Qua vaga Sauromates ſibi junxerat agmina Chuni,
Quaque Getes ſociis Hiſtrum aſſultabat Alanis.

Et Epigrammate I.

Arma inter Chunosque truces, furtoque nocentes
Sauromates . . . . .

Denique Sidonius Narbonen. a Reinhardo rerum Palatinarum l. 2. c. 10. p. 299. laudatus:

Pacem te medio darent feroces,
Chunnus, Sauromates, Getes, Gelonus.

Pariter dubitavit hactenus nemo Slavos ſub imperio ſteтiſſe Attilæ: Priſcus enim in Excerptis Legationum plures rerum appellationes Slavicas profert, quas ille *barbaras* atque in Attilæ aula quotidianas fuiſſe tradit (uti jam eas in Annalibus noſtris adduximus) quas vel ipſi Hungariæ ſcriptores Slavicas eſſe, easque Hunnos ex quotidiana Slavorum conſuetudine in uſum linguæ ſuæ recepiſſe ultro confitentur. Sidonius Apollinaris (quod dubium jam in Prodromo noſtro eliſimus) quanquam Sarmatas inter Attilæ ſocios non numeret, canit tamen:

. . . . Subito cum rupta tumultu,
Barbaries totas in te transfuderat Arctos
Gallia . . . .

Sub qua Arctoa barbarie quin Slavos inter ceteras Scythicas Sarmaticasque gentes compendio innuerit Sidonius, nemo hactenus eruditorum dubitavit. Nam quam orbis plagam a Slavis tuis eo ſæculo habitatam deſignes, quam Arctoam? ſi igitur Attila *totas Arctos* ſeu omnes Arctoos populos ſibi in Catalaunica expeditione auxiliares habuit, quidni & Slavos ſub Sarmatarum aut Scytharum nomine tum paſſim latentes. Imo quanquam his ipſis verſiculis Sidonius Sarmatarum nomen non expreſſerit, fecit id tamen paulo ante, ubi eosdem Sarmatas

tas Romanorum & Aetii hoſtes declarat, ſic enim ille de Aetii victoria: (a) LUCIFER.

. . . . *Vincitur illis*
Curſu Herulus, Chunus jaculis, Francusque natatu,
Sauromata clypeo, ſalius pede, falce Gelonus.

Jam alias ex Plinio aliisque oſtendimus Scytharum, & Sarmatarum nomen promiſcue a veteribus fuiſſe uſurpatum, Scythas vero & Maſſagetas ſocios Attilæ tribuit Procopius de Bello Vandalico l. 1. c. 4. dum *Aetium Attilæ & ingentis exercitus Maſſagetarum, Scytharumque aliorum, qui in Rom. Imperium proruperant, recenti clade inclitum prædicat.* Et certe Ekhardus non poſtremæ authoritatis ſcriptor, ut alios recentiores jam in Prodromo commemoratos prætermittam, Slavos ab auxiliis Attilæ fuiſſe his verbis tradit: *Venedi Slavi, aliter etiam Sorabi dicti, uti olim Attilæ adhærentes, ſic & nunc cum Hunnis in Turingiam irruerunt.* (b) Jornandes vero per Sarmatas ſuos non intellexit Slavos, ſed proprie dictos Alanos, qui jam tum in confiniis Galliarum commorabantur. Audi erudititiſſimum virum Martinum Bouquetium in hunc Jornandis locum commentantem: (c) *Sarmatæ erant Alani, quibus præerat Sangibanus.* Lege etiam Jornandis caput 37. & 38. & deprehendes ſe ipſum explicantem, quod per Sarmatas hos non alios quam hos Alanos intellexerit, qui cum nempe Aetio & Theodorico Veſegothorum Regi ſuſpecti eſſent de fide erga Romanos, medii inter Veſegothorum Romanorumque aciem concluſi fuere, coactique ut vel inviti adverſus Attilam pugnarent. Recte autem Jornandes Alanos hos Sarmatas nuncupavit, nam & illi ex Sarmatia Aſiatica erant Zecchisque noſtris finitimi, ut memorat Procopius. (d) *Ibi cum aliæ gentes multæ ſedes habent, tum Alani, atque Abasgi veteres Chriſtianorum ac Romanorum amici, Zecchi præterea, poſtque hos Hunni cognomento Sabiri.* An vero ab his Alanis omnes circa Pontum Euxinum & Mæotydem in orientem protenſæ gentes generico vocabulo Alani appellati, ut ſupra relatus vult Marcellinus, teſtatum in veteribus nihil reperio, Alanos hos ſtirpe & lingua Gothos Germanosve facit Procopius de bello Vandalico l. 1.

Ad

(a) Sidonius Apollinaris in Panegyrico Aviti Auguſti v. 236. (b) Ekhard. de rebus Franc. l. 8. c. 2. (c) Bouquet ſcript. Franc. & Gall. T. II. ad Jornandis c. 36. p. 23. (d) Procopius Cæſar. de bello Perſico l. 2. c. 29.

LUCIFER.

Ad §. VII.

Pag. 30. I. Quinque regulas criticas hoc paragrapho Vir Cl. ex Auguſtini Calmet diſſertatione de itinere Romano S. Petri profers, quas cum ex arbitrio tuo aliis atque aliis verbis ſenſuque tranſcripſeris, mutilaveris, interpolaveriſque, jam eas ex eodem Authore Auguſtæ Vindelicorum & Græcii anno 1735. excuſo fidelius integriusque reddere par eſt, easque animadverſionibus noſtris illuſtrare. Et quidem pag. 638. primam his verbis exponit:

Rem quandam hiſtoricam, quam vel coævus vel ferme coævus clari nominis & integræ fidei author refert, niſi a vetuſtiori altero vel peritiori improbetur, Critici omnes certam tenent. Ego quanquam Critici nomen non merear, regulæ tamen huic plenum aſſenſum tribuo, hac moderatione nihilominus temperandam cenſeo, ut in coævorum contradictionibus Critico præprimis conciliatio quærenda ſit, nec tam facile coævus, niſi poſtremi nominis & famæ, erroris condemnandus ſit. Sæpe enim nonniſi verbales & apparentes Antilogiæ ſunt, quales plures vel in ipſis ſacris paginis ex Tyrino leges, quæque paſſim ex defectu veræ cognitionis veterum hiſtoriarum & antiquitatis enaſci ſolent. Cui & illud adjicias: ejusmodi coævo teſtimonio eam fidem competere: ut ſexcenta poſteriorum ſine tabulis ſcribentium teſtimonia illi cedant. Quid vero hæc regula Czecho tuo præſidii eſt? protuliſtine vel unum coævum aut quaſi coævum ſcriptorem, qui illius meminiſſet? Dalimilus certe ſæculis octo & novem poſterior tibi coævi aut quaſi coævi nomine venit: quis non rideat?

Altera eſt: *Factum publicum, cui fideles omnes, imo & hæretici & Schiſmatici per ſæcula quindecim, fidem adhibuerint, procertum habendum eſt, etiamſi præter hanc traditionem & conſenſum nihil ei opituletur, tum præſertim, cum libros periiſſe conſtat, & monumenta plurima, in quibus forte id expreſſe doceretur.* Hæc verba præſertim priora Calmeti, ſi jam quis cum tuis conferat, & inter *bubonem & aquilam*, ut verbis tuis loquar, diſcrimen agnoſcet. Quæ enim doctiſſimus Calmet de conſenſu omnium fidelium, hæreticorum, Schiſmaticorumque loquitur, tu ad *provinciæ alteriusque nationis conſenſum* traduxiſti. Sed & hæc tua ipſa ſic affabre efformata Criticæ regula omne robur habeat, niſi vetuſta ſcripto exarata monumenta publico facto aut traditioni contradicant, quemadmodum Czechum tuum nonniſi poſterioribus ſæculis enatum omnia vetuſta patria exteráque documenta fabulæ convincunt. Ut taceam, nuſquam a

te

te probari poſſe Czechi opinioni nationem noſtram *per quindecim ſæcula*, ut vult Clariſſimus Amort, fidem adhibuiſſe; quatuor non amplius ſæcula ſunt, quo ea invaluit poſt nongentorum annorum ſilentium. LUCIFER.

Tertia eſt: *In materia facti non modo libris & ſcriptis ſed publicis etiam monumentis, ſepulchris erectis, templis conſtructis, diplomatibus, Bonis & privilegiis in quædam loca, quosdam populos, quasdam communitates collatis, fides eſt adhibenda. Hæc enim omnia certam rei authoritatem adjungunt.* Neque huic regulæ quidpiam detractum cupio: ſed credisne doctiſſimum Calmet id de omnibus ſcriptis & libris, de quibuscunque monumentis, ſepulchris, diplomatibus, privilegiisque intellexiſſe? Næ tu, ſi iſtuc ei impingis, Virum hunc a doctrinæ ſuæ exiſtimatione deturbas, qui conformiter primæ regulæ id de coævis aut quaſi coævis ſincerisque nonniſi intellexit. Quot enim Deus bone! hodie libros apocriphos & antiquitatis colore illitos, quanta privilegia, diplomataque poſterius efformata, quanta non mauſolæa, coloſſos, picturas aliaque publica monumenta poſterioribus temporibus ex incerto rumore & fama, plebisque traditiunculis condita in plerisque regionibus ſpectare licet? quæ pridem eruditi communi conſenſu damnavere, erroris fabulæque convicere. Tale eſſe Czechi tui cœnotaphium, quod poſterius excuſum profers, ſuo loco oſtendemus, talia privilegia tua ſunt, quæ poſt memorias conditæ gentis noſtræ undecim ſæculis poſterius data. Pag. 129.

Quarta eſt: *Jus gentium, ut ita dicam, publicam fidem* (non ut tu ſcribis: & publica fides) *expoſcit, ut cuilibet urbi de iis, quæ ad ejus hiſtorias, & jura pertinent, deferatur. Quis enim perfectius rem calleat, cujus rem tutius ſervare interſit?* Sapienter ut cetera Calmet. Eſt enim quoddam æquitatis officium, quod gens genti debet, ut juribus ſuis mutuo deferat, ut hiſtoriis, expurgatis nempe certisque, fidem habeat. Nam ſi promiſcue omnibus hiſtoricorum narratis, certis incertisve deferendum ſit, næ tibi jus gentium ſit: omnibus vulgi rumuſculis, otioſorum hominum ſomniis, fabellisque fidem adhibere. Czecho tuo malæ interpretationis errore prognato, nec gens noſtra, nec alia quævis hanc æquitatem & officium debet, qui ſi etiam ille Coſmæ Boemus eſt, ab eo nonniſi *ſenilis fabuloſæ relationis* titulo ad poſteritatem tranſcriptus eſt, ut taceam rite expenſis Chriſtanni verbis, tam parum Czechum ſuſtineri poſſe in hiſtoria patria, quam illam

LUCIFER. Alexandri Magni ad Slavos datam epiſtolam, quam Hagecius ad annum 1348. pag. CCCXLX. excudi fecit.

Quinta eſt: *Demum, ut factum hiſtoriis coævis ſeu ferme coævis probatum, conſenſui unanimi & vetuſtiſſimæ tot ſæculorum traditioni, innumeris publicis monumentis, ſepulchris, ædificiis, privilegiis, & omnium denique fidei innixum evertatur, infirma corruunt qualibet argumenta, niſi hiſtoricæ, pene dixerim, demonſtrationes afferantur.* Quæ omnia eruditiſſimus Calmet ad convincendam Romanam Petri Cathedram, iterque illius Romanum ad 1. Petri 5. 13. diligenter ſimul atque docte congeſſit. Quos Herculis cothurnos infantiæ Czechi induere conatus noſter Lucifer. At vero effare mi Lucifer, ubi in hac lucubratione tua de Czecho coæva, ſeu ferme coæva documenta? ubi unanimis conſenſus? ubi vetuſtiſſimorum ſæculorum traditio? ubi ſincera ſepulchra, ædificia & privilegia, quanta Calmet pro itinere Romano Petri probando attulit? ſi Cœnotaphium tuum Czechi pag. 129. excuſum in firmamentum allegas, habe aliam Critices Regulam: (a) *Monumenta* (nempe coloſſos, templa, aras, ſepulchra, marmora) *ortum duxiſſe oſtendi debet vel eo tempore, vel non procul ab illo, quo res ipſa ſeu factum contigit.* Non ego tantam probationum farraginem, quantam Calmet requirit, a te expoſco, unum, unum, inquam, coævum, ſeu ferme coævum documentum ſatis mihi ſit ad porrigendam tibi herbam. Sed priſcus Græcus verſus hic merito locum habet: *ſunt Hermodori verba mercimonium.*

Ad §. VIII.

Pag. 31. Subtraxiſti aliquantiſper Vir Cl. catum vultum tuum hoc paragrapho, & Luciferum Momi perſonam ſuſtinere feciſti, Momi inquam illius humani generis propudii, hoſtisque infenſiſſimi, qui omnia carpit, omnia lacerat, cui nihil ſatis æquum, ſatis decorum, dignumque, qui & in ipſa divinæ manus opera cenſuras, & ſarcaſmos evomere minime veritus, adeo ut vel tauro viſo reprehendiſſe feratur, quemadmodum omnia ſolitus, *quod cornua ſupra oculos haberet, infra oculos ponenda fuiſſe, ut videret, quid feriret.* Prodit is itaque juſſu tuo cavillabundus in ſcenam, ridetque Prodromi & Annalium meorum titulum, quod Lectori pollicear: Chronicon Hagecii plurimis animadverſionibus hiſtorico-chronologico-criticis; nec non diplomatibus, re genea-

(a) Mannhart Bibl. Domeſt. Tom. X. c. 4. p. 144.

nealogica, numaria, variique generis æri inciſis monumentis illuſtratum, ſubditque: *Aſt corvum deluſit biantem! quippe qui neque unicum authorem coævum, vel quaſi coævum illud* (nempe immigrationem Zecchorum ex Aſia in Bohemiam) *referentem adduxit, nullum monumentum, aut diploma, literasve publicas, nec recentes quidem exhibuit &c.* Aſſequor mentem inſulſiſſimi cavillatoris tui, qui authores coævos, vel quaſi coævos, monumenta, diplomata, literasque publicas non in univerſum, ſed ad probandum quodvis peculiare geſtum narratumque, tum maxime ad ſtabiliendum veterum Aſiæ Zecchorum in Boemiam ingreſſum a me imprudenter efflagitat. Titulusne operis mei ſola ſpectat incunabula patriæ? hacne una narratione omnis operis mei moles abſolvitur? An Lucifer tuus tanta laborat mentis caligine, ut ignoret titulum Prodromo meo præfixum, non ad unum duosve Tomos, ſed omnes in futurum edendos, univerſosque Hagecii Annales pertinere, atque ubivis iisdem verbis præfigendum? An in his ab ætate noſtra remotiſſimis temporibus, in quibus alii penitus conticuere, aut quæ meris ſomniis ſarcivere, necdum tibi ſat viſus ſum locuples? Quanta non vel in ipſo Prodromo meo Græcorum, Latinorumque vetuſtiſſimorum, imo etiam coævorum teſtimoniorum ſeges? Quanta de Bojis, Marcomannis, Quadis, Slavis, ipſisque Zecchis omni pene pagina monumenta? ſed nullum inquis, quod Zecchorum veterum in Boemiam immigrationem teſtatum faceret: atqui neque iſtud unquam lectori recepi, nec ut reciperem in mentem venit; quid enim omni loco ultro teſtatus fuiſſem ejusmodi certa documenta deeſſe, fruſtraque ſperari, cum omnium gentium origines ſimillimis tenebris involutæ ſint, coævorumque teſtimoniorum inopia laborent. An non vero ſatis in aliis geſtis patriis apud Lectorem deliberavi fidem meam Parte II. & III. Annalium Hagecianorum, cum quasque memorias critice exegi, ad Chronologiæ rationem legesque reduxi, cum rem genealogicam numariamque, quantum temporum iſtorum paſſa longinquitas barbariesque, non indiligenter tractavi? An non denique monetas, ærique inciſa quæque patria monumenta ſingulis adjecta Tomis ſpectas, manuque teris? Verum hiantis corvi tui roſtrum mi Lucifer (ſi boni ſuperi me porro incolumem ſervaverint) poſterioribus Tomis meis tantum farcietur, ut poſthac a ludibrioſa ſua crocitatione ceſſaturum ſit. Nolim ampullatum, & pulvere ſcholaſtico ſordidum titulum tuum in invidiam ludibriumque trahere, at æquus lector æquo judicio ſuo litem definiet, tune an ego magis datam ſub LUCIFER.

LUCIFER. ingreſſu operis fidem deliberaverim, & uterne magis corvum hiantem deluſerit? Pol! tantæ tuæ ſub principium gloriationes, promiſſaque ſunt, ut cum Plauto dicere auſim: (a)

. . . . ſi quidem
Connixus eſſes, per corium, per viſcera
Perque os elephanto brachium transmitteres.

Ad §. IX.

Pag. 32. Momi perſonam, quam ſuperiore paragrapho Lucifer tuus induit, non modo iſthic tuetur, ſed & glorioſum ſibi reputat cavillationes ſuas tantum exacuere, ut a blaſphemiæ inſolentia haud procul abſint. Et primum quidem poſtquam ſenſum, verbaque Prodromi mei pag. 52. retuliſſet, quibus ajo: " tam Boguphalum, quam Dalimilum meris figmentis memorias Czechi & Lechi aſperſiſſe, adeo ut hiſtoria, chronologia, criſis, ratioque mira eos ſomnia & fabulas retuliſſe altum clamitent: „ Lucifer tuus interpolatim per inciſa cavillabunde quærit? *Quæ amabo hiſtoria? qualis criſis? aut ratio? cur non allata?* Quid vero Momus tuus commemoratam a me *Chronologiam*, quæ oculus hiſtoriæ eſt, & a qua criſis, hiſtoria, ratioque paſſim robur ſuum pondusque nanciſcitur, prætermiſit? Quid ille orationem meam præcipuo membro, quo cardo rei vertitur, truncare auſus? Quis hiſtoriarum, criſis, chronologiæque gnarus, quis ſanæ rationis compos Boguphali eadem pagina 52. a me relatam Czechi, Lechi, Ruſſique memoriam non inter deliramenta reponat? ſed Prodromi mei verba repetere fas eſto: *Boguphalus*, ajo, *Czechum*, *Lechum*, *Ruſſumque Pani Pannonii Principis Japheti abnepotis filios, ipſumque Nemrodum jam Slavum facit. Lechos jam ſub Rege Aſſuero ſibi Cracum Regem conſtituiſſe memorat, mox ſui immemor Ruſſos a Slavico vocabulo* Ruczi, *quod equitantium multitudinem ſignificare ait, derivat.* Age jam mi Mome concilia Polonorum hiſtoriam & Chronologiam cum Nemrodo, cum Aſſuero, non nega Czechum Lechi fratrem, effinge Pani Pannonii Principis (heu monſtrum hiſtoriæ omnibus ſæculis inviſum!) Japhetique abnepotis filios, dic Ruſſos ab illo mox memorato Ruſſo nomen ſuum & originem ducere, ſimulque etymon ſortitos a Slavico vocabulo *Ruczi* quod equitantium multitudinem, connotat: Euoca totius orbis prudentia conſpicuos viros, aut vel eos, quibus modo pituita pro cerebro

(a) Plautus in milite glorioſo.

bro non eſt, percontare, an hæc ſomnia vel unius rationi credibilia videbuntur? jube adeſſe critices legibus imbutos Viros, an ullus hæc in hiſtoria tolerari poſſe aſſeveraturus eſt? Coge concilium omnium hiſtoricorum, an non unanimi calculo hæc inter fabulas rejecturi? Provoca regionum omnium chronologos, an vel unus eorum hæc monſtra temporibus conciliari poſſe affirmabit? Quid hæres? garrisne adhucdum, & obſtrepis: *Quæ amabo hiſtoria? qualis criſis? aut ratio? cur non allata?* at neque rationem afferri opus erat, ipſa narrata tantum ſanæ rationi adverſa ſunt, ut Capadocem hodie de grege venalium abreptum ſentiam, qui illis aſſentiatur. Si tamen ſingulis quæſitis tuis reſponſum cupis: *Hiſtoria* quæ Czechum tuum fabulam clamitat, eſt hiſtoria temporum, quæ a coævis paulumque poſterioribus Latinis, Græcis, Francicisque ſcriptoribus prodita eſt, quæ Czechi tui in Bohemiam adventum, terrarum patriarum ſub Slavorum ingreſſum ſolitudinem nuſquam habitatam, illius Ducale regimen ſpurios cerebri partus eſſe oſtendit. *Criſis* illa eſt, quam pridem ex Baronio attuli, quamque tu ipſe §. VIII. profers: *Quod a recentiore authore de rebus antiquis ſine alicujus vetuſtioris teſtimonio profertur, merito contemnitur.* (a) *Ratio* illa eſt, quæ accedente Chronologia ex priorum conglobatione meditataque penſitatione concludit: fabulam redolere quidquid veterum relatis non reſpondet; quæ dictat pro veritate hiſtorica recipiendum non eſſe, quod a recentioribus poſt plura ſæcula inventum fuiſſe certo conſtat; quæ docet ſuſpectum eſſe de fide, quod hiſtoriis, rebus, temporibusque conciliari non poteſt. Lucifer.

Verum ferulam ſuam mimatam Lucifer tuus necdum retrahit, quin ferociter eam cum ſibilo in me ſtringit: *Digna ſane* (exclamat) *ipſo Calliphane ratiocinatio! Non conſonant authores in recenſendis loci, temporis, aliisque adjunctis circumſtantiis, igitur hiſtoria* (nempe de Czecho) *quam referunt, eſt fabula!* quos ſuos clamores ut probet ac tueatur, infra plura adducit exempla, nempe a Romulo conditore urbis Romæ, de cujus origine quanquam differentes hodie inter hiſtoricos ſint ſententiæ, neminem tamen hactenus negaſſe conditorem urbis fuiſſe; quin ruptis prudentiæ verecundiæque vinculis, hanc Chriſtianis auribus indigniſſimam mihi intentat blaſphemiam: *Metuo ſane ne Cl. Author, qui multum ſcrupuloſus eſt in colligendis circumſtantiis, plane controvertat ipſum Chriſtum Dominum olim fuiſſe mortuum, cum graviſſimi Authores diſconveniant in re-* Pag. 32.

(a) Baronius in Prælocutione ſeu Præfat. ad T. I. §. 12.

LUCIFER. *recenſendis circumſtantiis temporis circa obitum mortem ejus.* Quo ſatis digno nomine hanc compellem audaciam? hæreo. Quid tu Lucifer

Pag. 33. metuis, ut controvertam Chriſtum mortuum? tu Chriſtianam pietatem meam, quam Deo religionique debeo, vellices, ac in ſuſpicionem metumque perjurii adducas? in qua dialectices ſchola ad tanta ſophismata efformatus es, ut graviſſimis momentis cauſisque prætermiſſis argumentum unum ſolumque, quod minimi generis ac ponderis eſt, in argumentationem trahas, ex eoque concludas? Ideone ſolum Czechum fabulam dixi, quia authores in adjunctis loci, temporis, aliisque narrationis circumſtantiis non conveniunt? Hoc ne uno ex capite e patriis annalibus expungendum aſſerui, probavique? An non plus decem patria vetuſta monumenta protuli, quæ ejus memoriam ne quidem per umbram referunt? An non oſtendi uſque ad ſæculum XIV. omnibus ſcriptoribus patriis exterisque & incognitum fuiſſe, & alium conditorem gentis nomine *Boëmum* ab iis prolatum? Probavi deinde luculentiſſimis argumentis, quo errore malaque Dalimili interpretatione hæc fabula eodem ſæculo ortum ſuum habuerit, per quos propagata, quam ſimillima dein hallucinatione, & linguæ veteris Slavicæ ignoratione a poſterioribus Lechus effictus ſit. Oſtendi has Czechi memorias pugnare cum Coſma, pugnare cum ipſo vetuſtiſſimo ſcriptore noſtro Chriſtanno, qui ante Przemislum Principem aut Rectorem genti noſtræ negat, confirmavi illius dicta Procopio, Jornande, Theophane, Porphyrogenito, Dirmaro, Helmoldo rerum Slavicarum vetuſtis ſcriptoribus, qui unanimi conſenſu veteres Slavos non ab uno aliquo homine, ſed ſenioribus populi ſeu Zupanis regi ſolitos prodiderunt. Et ne in Boemo illo Coſmæ adverſariis quodpiam fulcrum eſſet, oſtendi eum loqui de primo habitatore poſt diluvium, antequam aratrum terram ſubegiſſet, docui hanc ipſam narrationem a Coſma ſumma dubitatione ac fluctuatione proferri, eum confiteri, ſe illam nonniſi *ex ſenum fabuloſa relatione* accepiſſe, nec vadimonium præbere *facta, an ficta ſint?* Quibus graviſſimis momentis cauſisque ſi tandem complementi inſtar adjeci etiam primos Czechi prolatores meris figmentis memorias horum duorum fratrum inſperſiſſe, eos non convenire in circumſtantiis loci, itineris, temporis, perſonarumque, an prætermiſſis primis illis cauſæ munimentis omnium poſtremum membrum (quod ego ipſe noniſi longe a caſtro & arce ſepoſitorum vallorum aggerumque loco deputavi) tantum exaggerare decuit, ac ſi mihi unus ſolusque murus aheneus eſſet? Sed neque hos leves aggeres atque valla

la expugnavit Lucifer tuus, defenduntur illa caſtri ſui, cauſæ inquam univerſæ robore ac firmitate, tutantur illa contra caſtrum cauſamque adverſus temerarios inſultus, cum ex tanta loci, temporis, perſonarum, ceterorumque adjunctorum diverſitate indubie fabulam in re cubare innuunt. Romulum conditorem urbis Romæ noli tanta confidentia & certitudine orbi literato jactare, aut imperite eruditis perſuadere Romulum, a nemine conditorem urbis negatum fuiſſe; nunquam legiſti Iſidori graviſſimi juxta ac pervetuſti ſcriptoris libros etymologiarum? quid ille libro 15. de origine & conditore urbis hujus ſcribit? *De auctoribus*, inquit, *conditarum urbium plerumque diſſenſio invenitur, adeo ut nec urbis Romæ origo poſſit diligenter agnoſci.* Quid Attejus ſeu Artejus non contemnendæ vetuſtatis ſcriptor? quid Solinus? qui ajunt: ante Euandri adventum *Romam* multo prius *Valentiam*, poſtea græco nomine Ρωμην appellatam fuiſſe. Hinc Marinus ſive Marianus Lupercaliorum Poëta non ignobilis: Lucifer.

Roma ante Romulum fuit,
Et ab ea nomen Romulus
Adquiſivit . . . .

Quid vetuſtiſſimus denique author C. Criſpus Salluſtius libro de Conjuratione L. Sergii Catilinæ? *Urbem Romam, ſicut ego accepi condidere, atque habuere initio Trojani, qui Ænea Duce profugi incertis ſedibus vagabantur; cumque his Aborigenes genus hominum agreſte ſine legibus ſine imperio liberum atque ſolutum. Hi poſtquam in una mœnia convenere diſpari genere diſſimili lingua alii alio more viventes, incredibile memoratu eſt, quam facile coaluerint.* Sed age Vir Cl. exhibe mihi tot authores veteres graveſque etymon & poſteritatem gentis noſtræ Czecho tuo adſcribentes, quot ego tibi producturus ſum Latinos Græcoſque hiſtoricos, Romulum conditorem urbis ſtatuentes, & non obſtante veteriorum diſſenſione victas extemplo dabo manus. Nec prætermittendum hic, quod in memorato Romuli argumento blaterat nugator tuus Lucifer, prolata namque conditæ urbis a Romulo hiſtoria cum ſarcaſmo exclamat: *Bone Deus! ſi noſtri vetuſti ſcriptores dixiſſent Czechum ab urſa, uti Romani ſcribunt ſuum Romulum a lupa fuiſſe ablactatum, quale feſtum ageret Gelaſius?* Imo quin hæc ſcripſerint noſtri vetuſti, feſtum ago, nugæ enim tuæ Lucifer ad ſummum riſum comparatæ, omni mihi feſto ſunt feſtiviores, quod ſupercilio Cato, ſententiis ſaperda videri cupias; ſtoliditatis certe maximæ inuris maculam vetuſtis patriis ſcriptoribus noſtris, cum

eos

LUCIFER. eos tam rerum rudes æſtimas, ut Czechum ab urſa ablactatum ſcriberent; neque enim ulli prudenti Romano ſcriptori lupa, quæ Romulum lactaſſe ſcribitur, beſtia & fera viſa eſt, ut brutum animal animali, urſamque lupæ hic opponere non erubeſcas. Lege vetuſtiſſimum Romanum ſcriptorem Livium Decade 1. l. 1. & intelliges lupam hanc pro *Laurentia Fauſtuli uxore* accipi, quæ *vulgato corpore lupa* ſeu meretrix fuerit. Quod ad *Chriſti mortem* attinet: mirari ſatis nequeo, te Virum prudentia ceteroquin conſpicuum omnia dicacitatis & inſolentiæ fræna Lucifero tuo laxaſſe, ut divina profanis, revelata hiſtoricis, res fidei ſummique myſterii anilibus fabulis, res inquam geſtas Chriſti Czeho conferre ac miſcere auſus ſit. Sed ut ea taceam, quæ intemerata religio a nobis expoſcit, nullusne coævus aut ferme coævus mortem Chriſti adnotavit? quid Evangeliſtæ? quid Chriſti diſcipuli ſanctique Patres primi ſæculi? quid inquam vel Ethnici quique ſcriptores? an poſt novem primum ſæcula, quemadmodum de Czecho, ita de Chriſto ſcribere cœpere hiſtorici? Profer itaque Lucifer mihi tot vitæ mortisque Czechi tui teſtes idoneos, quot ego geſtorum inque Crucem affixi JEſu Chriſti non modo Chriſtianos ſed & ethnicos ſcriptores oculatos auritosque producturus ſum, & circumſtantias illas temporis, loci, perſonarumque & nominum, in quibus poſteriores ſcriptores tantoopere variant, nullas deputabo. Imo pro infinitis illis de Chriſti morte teſtimoniis profer vel unum ſimile de Czecho tuo, & ei refutatis omnibus prius dictis locum honorificentiſſimum in Annalibus patriis adornabo.

Ad §. X.

Pag. 34 & 35. A Romulo & Chriſto tranſis hoc paragrapho ad baptiſmum Borzivogii primi Ducis Chriſtiani in gente noſtra, & longo verborum ambitu ita fere ratiocinaris: „ Variari a ſcriptoribus de loci, temporis, rerumque ceterarum circumſtantiis, nec tamen unum hactenus inventum, qui baptiſmum ipſum Borzivogii in dubium vocaſſet. „ At quis ſano ſincipite illum in dubium vocet? An non teſtem coævum habemus ſcriptorem vitæ SS. Cyrilli & Methudii a doctiſſimis Bollandianis excuſum? An non antiquiſſimum Anonymum vitæ B. Ludmillæ authorem? An non vetuſtiſſimas lectiones Breviarii Pragenſis & Olomucenſis? an non Chriſtannum primum gentis noſtræ Hagiographum? ubi? ubi Czecho tuo tam certa, tam vetuſta vadimonia?

ubi

ubi vel ex hac ipſa Borzivogii ætate ac ſæculo? Vocantur autem merito circumſtantiæ baptiſmi Borzivogii hodie in dubium, quia a veteribus & coævis non accurate ſignanterque adnotatæ ſunt; haud abſimili ratione non tantum circumſtantiæ itineris, loci, fugæque Czechi tui, ſed ipſe Czechus a me merito in dubium vocatur, quia a nullo vetuſtiore hiſtorico adnotatus. At vero Lucifer tuus confidenter adverſum obſtrepit: *Non modo unanimis . . . gentis ſed omnium prope gentium conſpirat traditio, omnium pene ſcriptorum convenit authoritas, ſenatus conſulta, & conſtitutiones Principum conſentiunt, monumenta denique & veteres memoria id ipſum inculcant.* Me hercle! næ ſi res ita ſe habent, præter cunctationem Lucifero tuo Pæana occino. Sed monet me Zenodotus atque Plinius: non cuique homini bombylio, non Sophocli, non Laodiceno cicadis pleno, qui *ampullas & ſeſquipedalia verba projiciunt*, (*a*) fidem adhibendam eſſe. Ubi traditio? ubi authoritas? ubi Senatus conſulta? ubi conſtitutiones Principum? ubi monumenta & veteres memoriæ? Traditio quæ ea ſit a ſæculo primum XIV. jam ſupra excuſſam evulſamque legiſti. Senatus conſulta a te nuſpiam tota lucubratione producta video. Conſtitutiones Principum ea forte ſunt diplomata e viciniſſimo nobis ſæculo, quæ quasdam familias cum Czecho in Bohemiam adveniſſe memorant, quod argumentum jam alio quoque loco elucidavimus evertimusque, ac porro ſub finem nobis redibit ſermo. Monumenta & veteres Czechi memorias tam futiles, tam ſubleſtas, effictasque poſtea cogniturus es, ut ea in medium protuliſſe tædebit, pigebitque. Sola jam igitur *ſcriptorum pene omnium authoritas* reſtat: Sed quam vetus illa authoritas? a Dalimili ævo, a ſæculo XIV? Dalimilum nempe exſcripſit Pulkava, Pulkavam Æneas Silvius, hos Hagecius & Dubravius, iſtos denique univerſa ſcriptorum noſtrorum turba. Quid mirum vero ex uno turbido Dalimili rivo ceteros quoque turbidas hauſiſſe aquas, quas ſe ex ipſo fonte bibiſſe credidere? An hic error unius ſoliusque gentis noſtræ eſt? an non in aliarum gentium annalibus, & ipſa hiſtoria eccleſiaſtica ejusmodi plura ſuppetunt exempla? qui fabula Joannæ Papiſſæ ab uno corrupto veteri codice ad omnes ſcriptores per plura ſæcula ad ætatem uſque noſtram tranſiit? Nondum ſuperioribus ſæculis in terras noſtras hic hiſtoriæ rigor, criticesque ſtudium perrupit, ut inter fontes & rivos diſcrimen facere noſcerent, aut magnoopere accurarent. Vacant interea illi culpa omni, LUCIFER.

(*a*) Horat. de arte Poetica v. 98.

LUCIFER. ni, nam cum ſcriptores ætate ſua ſuperiores hiſtoriarum patriarum non ignaros crediderint, cenſuerint, inquam, eos ſua ex fontibus hauſiſſe, bona fide illos ſecuti ſunt, atque idcirco apud hodiernum criticum ſæculum omni culpa liberi pronunciantur. Illos illos ſolos nævum & macula aſpergit, qui cum hodie ſibi fontes oſtendi producique vident, poſt rivulos & turbidas aquas perfricta fronte currere malunt, quam ut ex ipſis puris fontibus ſitim expleant. Nempe ſapienter Divus Hieronymus: *Nullus imperitus ſcriptor eſt, qui lectorem non inveniat ſui ſimilem, multoque pars major eſt, Mileſias fabellas revolventium, quam Platonis libros. In altero enim ludus & oblectatio eſt, in altero difficultas & ſudor mixtus labori.* (a)

Ad §. XI.

Pag. 36. I. Deſcendis ad argumentum, jam annum abhinc alterum a Collega tuo præoccupatum, (b) aisque ſilentium illud veterum ſcriptorum noſtrorum, quæ memoriam Czechi in ſuis ſcriptis præteriere, *argumentum mere eſſe negativum*, cui tenuis aut nulla vis inſit. Ego vero nego, nusquamque tibi aut Collegæ tuo concedo argumentum de ſilentio Czechi mere eſſe negativum. Si enim veſtro dialectico loquendi ritu ſenſa mea exprimere fas eſt, ajo argumentum hoc ſimul maxime eſſe *poſitivum.* Præterquam enim quod veteres patrii hiſtorici nusquam Czechi meminerint, illi alium conditorem gentis nomine *Bohemum* produnt, quin imo ſi ad ſtateram expendantur primi noſtri patrii ſcriptoris Chriſtanni verba, poſitivum in iis argumentum obvolutum eſt, cum affirmat genti noſtræ ante Przemislum nullum Principem aut Rectorem, atque idcirco neque Czechum quempiam fuiſſe. Ne tamen argumentum negativum, cui tu & Collega tuus omnem vim pondusque derogatis, deſeruiſſe videar, de illo hic jam locupletius tractare libet. Ante omnia vero ajo: diſtinguenda vobis fuiſſe genera negativi argumenti, quorum tria imo quatuor in authoribus, qui materiem hanc de induſtria perſecuti ſunt, deprehenſuri eſtis, & præſertim cognoſcendum, num primi, num infimi eſſet generis? Primi generis argumentum negativum eſt, *ſi authores de re loquendi occaſionem, neceſſitatemque habuere, & nihilominus rei commemorationem*

nem

(a) S. Hieron. l. 1. epiſt. 31. ad Euſtochium. (b) Introductio ad ſacram hiſtoriam Bohemiæ ſect. 3. §. 27. p. XCV.

nim præterierunt. Argumentum iſtud ſummi ponderis eſt, & poſitivo æquipollet; quis enim hiſtoriam poſteritati tranſcripturo eam impingat incogitantiam, ut, cum materies, quam tractare exorſus eſt, efflagitat, ipſaque integritas & neceſſitas expoſcit, ut quæ præcipua narrandorum ſuorum ſunt capita, perſequatur, neque poſteritatem celet, ille ſeu oſcitantia, ſeu malignitate prætermittat? prudenti igitur argumentatione conjicitur id authorem ignoraſſe, ignoraſſe vero, quia non exſtitit, quia poſterius inventum, excogitatumque. (*a*) Magnum Collegæ tuo in Melchiore Cano præſidium, ſed utinam is, vel tu Vir Cl. cum meditate, ut rei gravitas exigebat, legiſſetis, aut intelligere voluiſſetis. An non ille ſimillimo negativo argumento impugnat, evertitque lepram Conſtantini M.? (*b*) quod authores, qui baptiſmum illius commemorarunt, tam notatu dignam circumſtantiam nunquam fuiſſent prætermiſſuri. Ait vero: *Lepra Conſtantinum laboraſſe nuſquam lego*, dein paucis interjectis de Cajetano, qui id ipſum negat, loquens perſequitur: *Habet ſcriptores omnes veteres ejusce ætatis, qui tacuerunt, non omiſſuri ſi ſciviſſent, ſcituri omnino rem, ſi fuiſſet.* Simili modo nihil vobis ſevit, nihil meſſuit Weiſius, quem uterque tanquam cauſæ veſtræ patrocinantem allegatis, quin apertis verbis jugulum utriusque ferit, ſic vero ille: (*c*) *A ſilentio authorum argumentum contra fidem hiſtoriæ quod ducimus, dicitur argumentum negativum. Quamvis vero ei ſuum conſtet momentum & pretium, non tamen ſemper falſitatis, fictionisque factum redarguit, ſed aliquando vix ejus incertitudinem prodit. Niſi* (ad quod aurem animumque accommodate) *author talis ſileat, qui vel occaſionem, vel neceſſitatem loquendi habuiſſet, cui ratio ſilendi fuiſſet nulla &c.* Profecto & SS. Patres & Concilia & doctiſſimos quosque Theologos ſimilibus argumentis negativis uſos fuiſſe, copioſe ac eru-

LUCIFER.

(*a*) Euſebius Amort in Philoſophia Polingiana P. 2. §. 4. *Factum antiquum, de quo ſcribunt authores, qui illud potuiſſent & debuiſſent annotare, pro fabula habendum eſt. Sic conveniunt & ſtatuunt Eruditi. Requiruntur ergo duo ad hoc, ut argumentum negativum ex ſilentio authorum petito bonum ſit. 1mo Requiritur, ut potuerit author ſcribere & annotare rem geſtam, ut nempe habuerit de re geſta notitiam certam, & ut habuerit occaſionem facilem ea de re ſcribendi &c. 2do. Requiritur, ut authores habuerint occaſionem facilem de tali re geſta ſcribendi. Talis autem occaſio adeſſe cenſetur, ſi alias ſcripſerunt librum in eadem materia, ſi factum ſeu res geſta ſit adeo memorabilis, ut non cenſeatur ex injuria vel oblivione omiſſum; ſi author habuiſſet ſpecialia motiva inſerendi mentionem de re taliter geſta.* (*b*) Melchior Canus de Locis Theolog. l. 11. c. 5. (*c*) Weiſius de emendatione intellectus humani Part. II. ſect. II. c. CCCLVII.

LUCIFER. erudite demonſtrat Vir doctiſſimus Nicolaus Ragæus S. J. in Examine Juridico-Theologico Præambulorum ad exhibitionem errorum Præambulo 4. inter Apologeticos pro Actis Sanctorum Bollandi. Sed ait Collega tuus, nec Chriſtanno vitam S. Wenceslai ſcribenti, nec aliis veteribus ſcriptoribus noſtris, qui Czechum præteriere, neceſſitas fuit illum commemorandi: Itane Chriſtanno in vita ſua SS. Ludmillæ ac Wenceslai initia gentis noſtræ de induſtria perſequenti non fuit occaſio & neceſſitas commemorandi Czechum? An tu non potius dices, Chriſtannum, cum Czechum præteriit, omni poſteritati impoſuiſſe, eamque in manifeſtum errorem induxiſſe, dum tacito Czecho primo primum Ducem Bohemiæ Przemyslum ſtatuit, de initiis vero & temporibus ante Przemyslum ita commentatur: *At vero Slavi Boemiæ ipſo ſub Arcturo poſiti, cultibus idololatriæ dediti velut equus infrenis ſine lege, ſine ullo Principe, vel rectore vel urbe uti bruta animalia ſparſim vagantes terram ſolam incolebant.* An non præ his ſcribere illi neceſſe fuiſſet: Slavi Boemiæ habuere conditorem Czechum a quo Czechi appellati, isque illorum Primus fuit Princeps & Dux aut quid ſimile? Sed quomodo Czechus primus Princeps, cum hanc Prærogativam Przemyslo tribuat, omnesque rerum circumſtantias, quo pacto primus ab agricultura ad Principatum elevatus ſit, enucleate perſequatur? Quid de Coſma reſponſurus? ille a primo conditore ordiens hiſtoriam & annales ſuos, neceſſitatem non habuit aut occaſionem Czechum commemorandi? qui igitur commemoravit Boemum ſuum? Advertitisne tandem effugiis veſtris locum non eſſe, & quoquo greſſum tenditis, pedicas vobis eſſe paratas? Confeſſurine aliquando argumento negativo momentum & pretium aliquod ineſſe? negativo inquam primi generis, quo uno telo etiam Joanna Papiſſa in hiſtoria eccleſiaſtica confixa eſt; nam negativum infimi generis nihil convincere aut falſitatem fictionemque redarguere, ipſi ultro in Parte II. Annalium noſtrorum confeſſi ſumus; cum enim ad peculiarem poſteritatis notitiam res nihil conducit, cum præter omne hiſtoriæ vitium adeſſe aut abeſſe poteſt, cum ſilentium non poſteritatis admirationi obnoxium eſt, argumentum ſummum probabile reddit. Quare merito tibi Collegæque tuo vim argumenti negativi non aſſequentibus illud Danielis Bartoli (a) oggerere liceat: *Contingit ſæpius, ut errori aliis adſcribamus, quod eſt meræ ignorantiæ imputandum, poſſetque in nos merito cadere, quod in Julianum Apoſtatam retorſere*

ſancti

(a) Bartolus de charactere hominis literati P. 2. de maledicendi pruritu.

ſancti Antiſtitas, cum ille lectum ſprevisſet S. Apollinaris Apologeticum :. " *Legiſti ſed non intellexiſti, idcirco deſpexiſti, ſi intellexiſſes, minime improbaſſes.* „ LUCIFER.

Verum tibi Vir Cl. alia amuſſis, alia regula argumenti negativi eſt mihi nusquam antehac audita: Ex Adriani enim Daude hiſtoriæ univerſalis T. I. pag. 323. in corollariis adfers hæc verba; *Apud veros criticos tunc duntaxat authorum ſilentium nihil probat, dum aliunde monumenta ex eodem tempore peti poſſunt.* Quid hoc monſtri, ut argumentum ſit negativum ſeu ſilentium authorum, & tamen monumenta ex eodem tempore peti poſſint? Davus ſum non Oedipus, nec mente aſſequor, quid his verbis velis; adeone perplexe loquatur Adrianus Daude? conſulamus igitur hunc locum, exploremusque, num hæc verba illius ſint, aut quomodo hæc intellexerit? Pape! quam doctiſſimi hujus Viri verba in transverſum torta? quam depravata? nec enim vocabula *tunc duntaxat* uſpiam compareat, & ſpecificæ quæſtionis enodatio ad univerſalem argumenti negativi legem trahitur. Scilicet Lucifer tuus *inquirit longas unco ſuſpendere nares.* Nam cum Daude affirmativam meatur ſententiam: Petrum cathedram ſuam Romæ erexiſſe, aſſertumque ſuum ex coævis aliisque prope coævis confirmat, progreditur ad elidenda adverſariorum argumenta, quorum præcipuum eſt *ſilentium gentilium ſcriptorum*, cui difficultati his verbis reſpondet: *Quaſi vero ethnica gens parvum Chriſtianorum gregem, aut unum, quem æſtimare neſciebant Paſtorem* (nempe Petrum) *tanti feciſſent? Quid quod ſilentium authorum apud criticos nihil probat, ſi aliunde monumenta plurima ex eodem tempore peti poſſint.* Hem Alexandri machæram, quæ diſſolvit tam intricatum nodum Gordium! quæque genuina Adriani Daude verba ſenſumque explicuit! de ſilentio is nonniſi quorundam authorum & quidem Ethnicorum loquitur, quod omnino nihil probat adverſus monumenta alia, quæ ex eodem tempore peti poſſunt. Qui autem univerſalis negativo argumento regula defigi potuit: *Apud veros Criticos tunc duntaxat authorum ſilentium nihil probat, dum aliunde monumenta plurima ex eodem tempore peti poſſunt*? Qua fronte ejus verba & ſenſus tantum depravari? Eja fac Vir Cl. quidquid libet, ſeu Ethnicum ſeu Chriſtianum unum ſolummodo teſtem coævum aut prope coævum Czecho tuo allega, & ceterorum omnium ſilentium nihil morabor. Hæ vero omni loco artes Luciferi tui, hæc illius ſumme admiranda fidelitas in genuina authorum tranſcribenda mente ac ſententiis, & hic plerumque ejus prologus & præludia, ad quæ ſycophantiarum, atque contumeliarum ſcena conſequi ſolet. Et hem Pag. 34.

II.

LUCIFER. *Pag.* 37. II. Adeſt ille cum picea face ſua plus fumi & tetri odoris quam lucis inferens, imo urere melius quam lucere doctus: optime erga Eccleſiam Romanam animatæ menti meæ famæque integritati ſtigmata quædam inurere maligne attentat. Sic vero urget is ſuperius argumentum: *Male prorſus ſequitur: non eſt ſcriptum, ergo non eſt factum. Eodem prorſus argumento omnes adverſarii probant Petrum nunquam fuiſſe Romæ, quo ſcriptor is religioſus ſtatuit Czechum non fuiſſe in Bohemia.* Et rurſum: *Imo admirandus eſt ſcriptor Religioſus, qui ad ſolum verbum ſcriptum tam audacter auſit provocare: nec libet plura.* Quanquam non ignorem has Luciferi tui dicacitates ineptiasque eruditis omnibus ſummo riſui futuras, tamen neminem ſimul futurum arbitror (cum ludis his mimiſque malitiam & calumniandi pruritum intervenire intelligit) qui non cenſeat, nihil tam grave tamque acerbum in Luciferum tuum dici poſſe, quod is non maxime meritus eſſet, qui fidei integritatem, quam Deus & religio a me expoſcit, non modo ſugillare, ſed & lectori ſuſpectam facere, Eccleſiæque Romanæ hoſtibus comparare audet. Qua vero maligna febri Luciferum tuum, cum hæc ſcripſit, correptum fuiſſe dicam, ut illi omne diſcerniculum inter ſacrum & profanum abſtulerit? Cui prudenti, ſanæque mentis compoti Petrus cum Czecho in comparationem venire, aut ſacratiſſima Cathedræ Romanæ hiſtoria cum fabuloſis patriæ noſtræ initiis conferri potuit? ſed

Fænum habet (Lucifer) *in cornu: longe fuge, dummodo riſum*
Excutiat ſibi, non hic cuiquam parcet amico:
Et quodcunque ſemel chartis illeverit, omneis
Geſtiet a furno redeuntes ſcire, lacuque,
Et pueros & anus. (a)

Næ ille graphicus nugator eſt, qui tumultuatur, quod vulgi fabellas, & rumuſculos, aniles poſteriorum ſæculorum traditiunculas non tanta fide excipiam, quanta traditiones Apoſtolicas atque eccleſiaſticas, ut cum Divo Joanne Chryſoſtomo de vera, ſacra, incorruptaque traditione loquente plane auſit exclamare: *Traditio eſt, nihil quæras amplius.* *In præfat. ad lectorem.* Vis verba ipſa Sancti Chryſoſtomi, quæ Lucifero tuo ruborem, ſi tamen rubere ſolet, offundant: (b) *Itaque fratres mei*, inquit, *ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.*

(a) Horat. l. 1. Satyr. v. 34. (b) D. Joannes Chryſoſt. in epiſt. 2. ad Theſal. c. 3. v. 15.

ſtram. Et rurſum : *Hinc eſt perſpicuum, quod non omnia tradiderunt* (Apoſtoli) *per epiſtolam, ſed multa etiam ſine ſcriptis: & ea quoque ſunt fide digna. Quamobrem Eccleſiæ quoque traditionem cenſeamus eſſe fide dignam. Eſt traditio* (concludit tandem Divinus Pater) *nihil quæras amplius.* Mirum itaque, quod Lucifer tuus Czechum non quoque traditionem Apoſtolicam, aut eccleſiaſticam dictitaverit, cum ſuprafatum Sancti Chryſoſtomi locum in ejus fulcimentum adduxerit. Pridem docui Czechum ſæculo primum XIV. enatum, ne quidem traditionis nomen mereri, aut ſi ille Coſmæ *Boemus* cenſendus eſt, ipſo primo prolatore teſte, non majori fide accipiendum eſſe quam *ſenum fabuloſam relationem.* Ceterum vide, cum tantam dicacitatem Lucifero tuo diſſimulaſti, neque eam erudiiſti, quid veram, vetuſtam, incorruptamque traditionem, & vulgi fabellas, quid ſacram & profanam interſit, quantam indulgentia tua non modo feneſtram, ſed oſtium omnibus vulgi commentis mendaciiſque aperueris, quæ ubi per tempus aliquot inoleverint, Luciferi tui authoritate tantam ſibi fidem vendicatam cupient, quantam veræ quæque ac incorruptæ traditiones obtinere ſolent. Et conſurget merito prima ab inferis Joanna Papiſſa, locumque priorem in Annalibus eccleſiaſticis ſibi concedendum eſſe, omni contumacia expoſcet. **Lucifer.**

Merito igitur, nec præter religionem feci, qui conſtanter, aut ut tu ſcribis, *audacter ad verbum ſcriptum provocavi*, ea hodie ſola in Criticæ ludo, in hiſtoria ex veritate penſanda amuſſis eſt, æmulatus in hoc ſum Virorum quorumque Clariſſimorum doctrinam ac ſolertiam, qui dictorum poſteriorum probationes & teſtimonia ex veteribus expoſcunt, atque ſine his infringunt, & fide ſua deturbant omnia. Hac una illi aſcia tot vulgi opiniones, ſomnia, ſatque vetuſtas gentium fabellas ex annalibus Eccleſiaſticis, ex gentium Chronicis tanquam inutiles frutices amputarunt. Lucifer vero tuus, illique ſimiles lividis hoc *verbum ſcriptum* accipiunt oculis, quia otio & torpori aſſueti, nonniſi poſteriores ſcriptores quacunque fide exſcribere edocti. Laboris impatientes ſunt, operoſa nimium illis induſtria veterum fontes exquirere, recentiorumque dicta ad illorum fidem exigere. Libet ſcribere hiſtorias, ſed non allubeſcit tanto ſudore in illis defatigari. Ambitur nomen & fama, ſed dolori ac tædio eſt, quod non, ut antea paſſim, præter omne prope negotium ſola priorum authorum exſcriptione, vulgique fabellarum recenſione in hiſtoria pari poſſit. Iſtud eſt, quod *verbum ſcriptum* illis odio ſit, illudque exſtinctum non modo in ſchola

cri-

LUCIFER. critices, ſed ipſa hominum memoria exturbatum velint. Verum ne unum aliquod tuorum præteriiſſe videar, ad verba illa tua ſupra me-
Pag. 22. 23. morata: *Male prorſus ſequitur: non eſt ſcriptum, ergo non eſt factum*, pro me doctiſſimi Hagiographi Danielis Papeprochii reſponſum habe: (a) *Quamvis in rigore dialectico non ſequatur: non eſt ſcriptum vel dictum, ergo non eſt factum (nec enim minus a Chriſto ſuſcitatus Lazarus, licet hoc Joannes æque ac alii tres Evangeliſtæ tacuiſſent, etiam Apoſtolorum diſcipuli, & his ætate proximi omnes) recte tamen ſequitur: Hoc vel illud caret congruo antiquitatis & auctoritatis teſtimonio, ergo factum non eſſe non eſt prudenter credibile; ſicut non eſſet credibilis reſuſcitatio Lazari in univerſali omnium eorum ſilentio, qui rei geſtæ vel interfuiſſent, vel ex præſentibus accepiſſent poſt ſeptingentos aut mille annos ſimpliciter aſſerta. Tunc enim locum habet illud effatum Baronii: "Quod a recentiore auctore de rebus antiquis ſine alicujus vetuſtioris auctoritate profertur, contemnitur."* Contemnitur igitur etiam merito Czechi memoria, quia *caret congruo antiquitatis & auctoritatis teſtimonio*, quia *poſt octingentos* & quod excurrit *annos ſimpliciter ſine alicujus vetuſtioris auctoritate* a Dalimilo *aſſerta*. Non eſt, inquam, ut verbis Clariſſimi Papeprochii loquar: *prudenter credibilis*.

Pag. 36. III. Sed neque cavillorum Luciferianorum modus & finis, ex latere enim me petit; Nam cum in Prodromo meo pag. 52. dixiſſem *prioribus Bohemiæ ſæculis non unum aliquem Ducem ſed plures regulos, Duces, Optimatesque præfuiſſe*, ludibunde is in ſcholio ſubjecto ſcribit: *Mirus ſcriptor! ut unum cumque primum Ducem Czechum inter fabulas reponat, plures & Duces & regulos adſert.* Liceat hic mihi illud dicere: (b) *Quis eſt iſte involvens ſententias ſermonibus imperitis?* cui unum ſtudium meris verborum luſionibus lucubrationem ſuam farcire, qui vim ſummam in eo reponit, ſi tempora resque confundat, meaque in transverſum acta deridiculo imperitorum propinet. Nunquam audiiſti Lucifer illud juris procardicum: (c) *Diſtingue tempora, & concordabis jura?* concordabis, inquam, ipſam etiam hiſtoriam. An non pluribus locis in Prodromo noſtro enucleate ſenſa noſtra aperuimus de tempore, quo gens noſtra Ducibus parere cœpit, nempe dum ſe ſe adverſus ſuccreſcentem Francorum potentiam Slavi Boemiæ reliquique vicini armaſſent, perſenſiſſentque hac multiplici rerumpublicarum ſuarum ſciſſione animorumque & ſtudiorum factionibus Francos uti ad evertendum nomen & gentem Slavicam? Hæc ne tempora cum Czecho & initiis patriis con-

(a) Papeproch. in reſponſ. ad exhibitionem errorum art. 19. n. 7. pag. mihi 605.
(b) Job. c. 38. v. 2. (c) Canone *ſi peccaverit* 2. q. 1.

conferre ac miſcere, ut imperitis fucum faceres, auſus Lucifer? An non eadem Parte docui, hanc provinciarum & Ducatuum partitionem perſtitiſſe, dum Duces Pragenſes opibus & terrarum tractibus ceteris potentiores pedetentim victoriis, deditionibus, pactis, hereditatibus, nuptiis, emptionibus, agnationibus reliquos Ducatus in poteſtatem ſuam redegiſſent, & denique Boleslaus Sævus ultimum Ducem & Regulum Bohemiæ veteri Sorabiæ conterminum ſubjugaſſet, atque ita imperium ad univerſas Bohemiæ terras protendiſſet? Nihil itaque in verbis meis contradictorium eſt, alio Czechus, alio hi Duces & multo quidem poſteriori fuere tempore. Eſt vero hic ipſe plurimum Ducum in gente noſtra numerus non inerme adverſus Czechum tuum telum, nam ſi adhuc Caroli M., Ludovici Pii filii, alteriusque Ludovici Germanici temporibus Boemia non uni Principi paruit, ſed in plures pari poteſtate Duces fuit diviſa, quomodo id de primis ſæculis ejusque initiis affirmare auſis, ut uni Czecho paruerit, ab eoque nomen ac etymon ſuum ſit ſortita? Nec enim vel cogitatione aſſequi licet, qui præter invidiam ceteri Duces pari poteſtate præditi conduci, aut corregulo ſuo hanc prærogativam conceſſerint, ut terræ Ducatusque ſui nomen ab eo indipiſcerentur. Oſtendi XIV. Duces ſub Ludovico Pio baptizatos, produxi ex annalibus Francicis quinque de nomine a Ludovico Germaniæ Rege cæſos; Demonſtravi in omnibus vetuſtis Chronicis, monumentisque, quoties gentis noſtræ fit memoria, appellari *Duces Boemorum* & *Boemienſes*, imo ex hac ipſa ratione regionem noſtram paſſim in plurali *Boemias* nuncupari. Sed quid incudem tundere, ac retundere opus? LUCIFER.

IV. In teſtimonium uſurpatæ jam olim a veteribus vocis *Tzechorum* & *Lechorum* prolixa fragmenta ex Cinnamo græco ſcriptore tanquam a te primo omnium inventa aut mihi ignorata producis, jactasque; qui ne quidem ſciviſſes, Cinnamum quempiam inter ſcriptores Græcos, aut in rerum natura exiſtere, multominus eum de gente noſtra teſtimonium reddidiſſe, niſi in Annalibus meis, Monumentisque hactenus nusquam editis legiſſes, indeque exſcripſiſſes. Retuli vero authorem hunc a nemine noſtrorum hactenus allatum, materia, & argumento ita expoſcente, in Prodromo meo pag. 163. In Parte II. in reſponſis ad Doctiſſimum Lucubratorem Actorum Eruditorum Lipſienſium, & omnium copioſiſſime Tomo I. ineditorum pag. 75. & *ſeqq.* cum in Vincentium noſtrum, geſtaque Wladislai Ducis commentatus ſum. Ut tamen Lectori fucum faceres, ex alia editione te eum ex- Pag. 38.

Lucifer. ſcripſiſſe, callide hinc atque illinc aliud verbum ſynonimum ſubſtituiſti, verborumque pauciſſimorum ordinem transmutaſti, cum ipſe Cinnamus fonsque nusquam tibi viſus ſit, nec de alia editione ſcias, quam de ea inter ſcriptores Byzantinos, quam ipſe laudavi, & unde mea hauſi. Neque vero ea Cinnami Græco-Latina editio, quæ Pariſiis cum eruditiſſimis notis Ducangy edita eſt, nec illa quæ anno 1652. Ultrajecti in quatuor libris in quarto prodiit, nec alia Pariſina in fol. Anno 1670. excuſa verbis, & ordini verborum tuorum reſpondet. Quid vero his Cinnamicis centonibus nihil ad conſuendam Czechi tunicam facientibus velis, haud mente aſſequor. An quia Cinnamus Sæculi XII. ſcriptor Græcus jam nominis *Tzechorum* & *Lechorum* meminit, idcirco nemo alius quam *Tzechus*, aut *Lechus* quispiam conditores fuere Boemiæ atque Poloniæ? idcirco præter omnem dubitationem tam noſtra, quam Polona gens etymon ſuum ab illis hauſere? Redit nempe ubivis ad principium argumentatio tua: nam oſtendendum prius erat Czechum, Lechumque aliquem primo primum Ducem utrique genti fuiſſe, tum argumentum deducere tibi fas erat utramque ab iis nomen ſuum ſortitam, atque idcirco hac appellatione a Cinnamo relatam. Ex Cinnami teſtimonio Tzechorumque nominis prolatione haud aliud ſequitur, quam Sæculo XII. jam Boemos ſub Tzechorum nomine apud Græcos inclaruiſſe, quemadmodum Polonos ſub Lechorum appellatione, quod ultro tibi concedo; nec negavi unquam, quin imo veroſimillime jam Boleslaorum noſtrorum temporibus hoc nomen ad univerſam gentem & regionem pedetentim propagatum fuiſſe pluribus locis innui. Quanquam ultro confitear, Czechorum nomen ante Cinnamum nec in patrio nec extero ſcriptore unquam mihi lectum fuiſſe. Sed quod argumentationis caput tibi eſſe

Pag. 39. § videtur: *Ne unica quidem vice*, ais, *Cinnamus Wladislaum Zingorum, Zinchorum, Zichorum, ſed ſemper vocat Principem Tzechorum, quod tamen accuratiſſimus ſcriptor minime prætermiſiſſet, niſi Porphyrogeniti pariter græci ſcriptoris gentem Zichorum, in quibus unicum ſuæ anbiſtriſiæ Cl. Gelaſius locat præſidium; aliam & toto, ut ajunt, cœlo diverſam a natione Czechorum eſſe pro explarato habuiſſet.* Hercle! jaculum hoc eſt inevitabile, jugulum meum ferit, non potero cauſam meam tueri, niſi ſubterfugium aliquod mittat mihi Decrum aliquis in mentem. Clauſis imo Muſarum janius didiciſti mi Lucifer, nec tria quidem Steſichori noſti, qui ex Cinnamo variam difformemque ſcriptionem in voce *Tzechorum* requiris. Sed quid non miraris quoque, cur nuſpiam Cinnamus gentem noſtram

Boe-

Boemos appellet? Nam ſi genio argumentationis tuæ concludendum ſit: etiam ne unica quidem vice Wladislaum vocat Boemorum Ducem, atque proinde ne Tzechi quidem iidem erunt cum Boemis? Quis hiſtoricum, quis ſcriptorem quempiam tam Colophonium calceamentum deputet, ut nomen proprium cumprimis barbarum commemorans non ubivis eadem ortographiæ lege literarumque menſura utatur? Egone unquam dixi varium hoc fuiſſe gentis nomen *Zecchorum*, *Zichorum*, *Zinchorum* aut *Sinchorum*? Egone unquam docui ab uno eodemque hiſtorico varie fuiſſe ſcriptum aut prolatum? lege prodromi mei paginas 60. & 61. cogniturus hanc vocis variationem non ab uno eodemque authore græco, ſed diverſis profluxiſſe, maxime autem a latinis interpretibus, qui pro legum grammaticalium diverſitate jam græcum η per latinum e jam i reddere, qui γ ſeu κ ante χ jam per c jam per n exprimere ſoliti. Quod ſi Cinnamus Tzechos ſuos quoque per η ſcripſiſſet, procul dubio in quibusdam illius interpretibus, qui η per latinum i reddere ſolent, *Tzichos*, & ſi durius per κ ſeu γ ante χ ſcripſiſſet, etiam *Tzinchos* in verſionibus Cinnami legeres. Quin quod Amanuenſium oſcitantia tam in latinis quam græcis ſcriptoribus creberrime vocabulorum menda & vitia ſubrepant, ſic apud ipſum Porphyrogenitum, ad quem provocas c. 53. ubivis excuſum leges Ζηχοὶ Zechi Ζηχία *Zechia*, cum tamen c. 42. Ζιχοι & Ζιχία *Zichia* deprehenſurus ſis. Quæ autem vera veterum Zecchorum ſcriptio fuerit ex Autographo MS. Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis pag. 61. Prodromi noſtri oſtendimus. Ceterum problema eſto: num Cinnamus uſquam Porphyrogeniti de adminiſtrando imperio librum viderit aut legerit, de eo certe in ſcriptis ſuis mentionem non facit. Incogitantiæ igitur genus ſummum eſt ea confidentia argumentum ducere, quaſi certum indubiumque eſſet a Cinnamo, quanquam Græco gente, omnes Græcos ſcriptores lectos fuiſſe. LUCIFER.

V. Ad aliam ejusmodi ex eodem Cinnamo argumentationem progrederis ſuperiore haud valentiorem, ais nempe: cum Cinnamus per *Tzechos* ſuos haud aliud quam Boemos, per *Tzechorum* vero *Principem* Wladislaum Bohemorum Ducem intellexerit, haud difficili conjectura res proditur, Coſmam per Boemum ſuum neminem alium, quam Czechum intendiſſe. Faſtidit animus iſtiusmodi crepundia, quibus puerilis ætatis ingenia delectari ſolent, quæque pridem diffregimus, protrivimusque. Tzechi Cinnami & Boemi utrumque ejusdem nationis gentile nomen ſynonima ſunt, unde & Tzechorum Princeps *Pag. 41.*

LUCIFER. Wladiſlaus non alius eſſe poteſt a Boemorum Duce; at Boemus Coſmæ nomen proprium eſt, quod cum appellativo & gentili Czechorum converti non poteſt, nec ullo modo ſynonimum eſt, ſecus ſi eſſet convertibile ſynonimicumque, ſequeretur jam Czechum tuum poſt diluvium veniſſe in Hercyniam ſilvam, eam hactenus aratro aut ullo populo habitatam inveniſſe, ac proinde falſum eſſe, quidquid veteres, coævique nobis de Bojis, & Marcomannis tradiderunt. Jam ſupra ex ipſo Hagecio Pragmatico tuo, & publica fide recepto ſcriptore docui: (a) *Boemum inter & Czechum*, inquit ille, *maxima eſt diſcrepantia, & Boemia cum Czechia minime congruit*, nimirum ſi initia patriæ noſtræ ſpectes. Erravit itaque graviſſime Dalimilus, cum in verſione ſua vernacula nomen proprium Boemi a Coſma prolatum per gentile Čzech eſt vernacule interpretatus. Non enim licet interpretibus nomina propria per gentilia reddere, aut ſi in propria lingua ſignificantia ſunt, in verſione explicata primogeniis ſubſtituere, maxime cum amphibologiæ aut antilogiæ vitium ſubnaſci poteſt. Copioſiſſime ea de re commentatus eſt Aventinus, (b) reprehenditque eam ipſam ob rem quorundam Græcorum ſcriptorum incogitantiam; ſic vero ille: *Non uno loco admonet Strabo autor gravis inprimis nomina pro varietate ſermonum varie efferri nulla in re frequentius turpiusque peccatur.* Et prolatis pluribus authoritatibus ſubjungit: *Quemadmodum Auſonius quoque docet: propria nomina locorum & hominum, quæ barbara ſunt, perite & concinne, modulate & dulciter ita juxta naturam Romanorum accentuum enuncianda ſunt, ut tamen veris ac primigeniis vocibus ſua veſtigia non pereant. Ut in ſacris literis & in Hebræis nominibus quoque ſeptuaginta interpretes feciſſe reperio.* Dein ſtylum adverſus Græcorum licentiam exacuens claudit: *Nuſquam Græcula non recantat Eccho, adeo gentilicia cognomina evertunt, græca & peregrina ſibi adſciſcunt. Quaſi vero idem inluſtres authores factitarint, aut non dignitas nominum, decorum rerum, veritasque invertatur, ſi in alterum detorta, depravataque hujuscemodi nomina fuerint ſermonem.* Quod hic Aventinus cumprimis de Græcis latiniſque translationibus nominum propriorum innuit, idem prorſus ſentiendum de Bohemicis, in quibus nomina propria ſeu integra relinguenda ſunt, ſeu ad genium gentis nonniſi poſterioribus ſyllabis ſic inflectenda, ſic efformanda, ut tamen primigeniis ac veris ſua veſtigia non pereant, *ſic* inquam *arte curaque*, ut

(a) Hagecius in Proœmio ſuorum Annalium. (b) Aventinus in Annal. Bojor. in epiſt. dedicatoria.

ut ait Plinius, *mitiganda, ut fera nomina linguæ ſuæ non reſultent.* Quare Lucifer.
ſi Dalimilus ſinceri interpretis Coſmæ partes ſuſtinere voluit, neceſſe erat, ut proditam apud eum vocem propriam *Boemus* retinuiſſet, quemadmodum fecit Hagecius dicendo: **neyaky Boemus** aut truncata ultima ſyllaba **neyaky Bohem** ſeu **Bem**, aut denique inflexa poſteriore ſyllaba ad genium idiomatis Slavici **neyaky Boiz**, quemadmodum hac appellatione uſus eſt Conſtantinus Porphyrogenitus dicendo *in loco ab illis Boici appellato*, (*a*) & quemadmodum Priſcus in Excerptis legationum *Boiſcos* vocat. Non eſt veritus Hagecius ex hoc latino proprio Coſmæ nomine *Boemus* patronimicum vernaculum multo magis abſonum **Boemuſuowe**. (*b*) recte riteque ex interpretandi legibus deflectere, non video cur non quoque Dalimilus vocem primigeniam **Boemus** ſeu retinere, ſeu inflexa poſteriore ſyllaba ad genium Boemicæ linguæ efformare potuerit? Proprio autem gentile nomen ſubſtituere, eſt hiſtorias depravare, & obſcuritatibus antilogiisque feneſtram aperire. Ut rem exemplo tibi probem: Finge animo in Annalibus noſtris latinis, quenquam reperiri cognomento proprio *Italum*; rectene tu interpretatione vernacula nomen hoc proprium per gentile **Wlach**, quod *Italum* nobis ſignificat, reddideris, dicendo **neyaky Wlach**? qua ſiniſtra interpretatione amphibologiæ vitium commiſſurus, ut poſteritas creditura ſit te *Italum* gente intellexiſſe. Vide itaque quanta accuratione in nominibus propriis opus ſit, cum codicum translationes fiunt. Profecto antequam Slavi in Boemiam immigraſſent, indubium eſt, eis jam propriam Slavicam appellationem fuiſſe, qua Slavi Boemiæ incolas exprimere ſoliti; Czechos dici potuiſſe, nec ipſe aſſentiris, qui igitur, niſi *Boici*, ſeu **Boizi** appellatos cum Porphyrogenito ſtatuas? Non recte itaque ex interpretationis translationumque legibus Dalimilus Boëmo Coſmæ Czechum ſubſtituit, quo errore dein abrepti omnes, qui poſt eum atque ex illo ſcripſere. Diſtinguere Boemum Coſmæ a Czecho oportuit, quemadmodum id fecit Hagecius, qui nuſpiam Boemum hunc eundem cum Czecho agnoſcit. Quod alterum eſt, quæro ex te Vir Cl. num jam multa gentilia patronimicaque nomina legeris, quæ cum nominibus conditorum patriisque eadem plane ſint? Scio poſteros Iſmaelis Iſmaelitas, Iſraelis Iſraelitas, Adami Adamitas, non Iſmaeles, Iſraeles, Adamosque appellatos, qui igi-

(*a*) Porphyrogen. de adminiſt. imp. c. 22. (*b*) Hagec. in Procemio Annal ſuorum.

LUCIFER. igitur factum, ut a Czecho omnes idem nomen Czechorum ſine ulla deflexione hauſerint? nam certe vel Czechitas vel Czechæos, vel Czechinos nominari oportuit, ut poſteri Czechi non ipſe Czechus viderentur. At evolve codices omnes uſque ad ſæculum XVII. nuſquam aliter, quam Czechos a primo Dalimili errore nos nuncupatos reperies. Quod de Italis aut Græcis a quopiam Italo aut Græco originem ducentibus obtendere potes, tam ridiculum eruditis figmentum eſt, quam ipſe Czechus.

Pag. 11. VI. Recte ſcripſi, tempore Coſmæ jam corruptam fuiſſe traditionem: *quæ Libuſſam Croci filiam fecerat*, nec eſt, quod eam ob rem tumultueris. Quo enim fonte Coſmas hunc Crocum habuit, ſi, ut ipſe fatetur, ſcriptorem nullum Ethnicorum Ducum noſtrorum, aut temporum geſta deſcribentem reperit, quam ex *eadem ſenum fabuloſa relatione*? apud quos nempe ſcintilla adhuc quædam Croci illius in hiſtoriis nominati Vandalorum Regis ad tempora usque Coſmæ perſtitit, qui veroſimillime e proximo imperium ſuum in Marcomannos veteremque Boemiam extenderat, aut in Gallias irrumpens, atque a Viſtulæ fluviis egrediens Marcomannorum terras, Boemiamque ſuo exercitu inundaverat. Non alio præterea fonte profluxit, quod Crocus hic gente Slavus, atque pater Libuſſæ erronee creditus ſit, quam quod veteres quique ſcriptores, præſertim Coſmæ & Helmoldi ævo, hos Vandalos pro Venedis, Slavisque populis habuerint. Sane Chriſtannus, cujus authoritas propter vetuſtatem Coſma potior tibi eſſe debet, nec patris Libuſſæ, nec Croci meminit, quin verbis expreſſis ait: Slavos Boemiæ ante Pythoniſſam, ſeu Libuſſam nec Rectorem, nec Principem habuiſſe, ut mera poſteriorum ſomnia ſint, quæ de Croco I. & II. patrii ſcriptores commemorant. Confutavimus hæc ſomnia jam multo prius ſparſim in operibus noſtris, ubi res expoſcebat, & maxime Parte II. pag. 59. & 60. ubi, prolatis Gregorii Turonenſis, aliorumque veterum teſtimoniis, oſtendimus ex ſupra commemorato Vandalorum confinio, aut Marcomannicarum terrarum inundatione Crocum omnino ratione aliqua pertinere ad hiſtoriam patriam, ſed ejus Regium nomen memoriis veteribus Slavicis, quas a Chriſtanno habemus, conciliari minime poſſe. At ſi tibi Vir Cl. Crocus tantoopere cordi fuit, ſi eum gente Slavum defendere animo ſedit, cur non plura illi ſtabiliendo præſidia & argumenta hauſiſti, ex illo famoſo tuo MS. quod pagina 129. profers, & ex quo Czechi cœnotaphium æri inſculptum protuliſti? Cur inquam ex hoc manuſcri-

pto

pto non plures illius memorias, diplomata nempe, nummos, ſimulacrumque etiam æri inciſa orbis eruditi admirationi propoſuiſti? Advertiſti nempe ipſe manuſcripti hujus ſycophantias, & impoſturas, meritoque veritus es te fabulam, & ludum omnibus futurum, ſi tam teſtata ineptiſſimaque mendacia Viris hiſtoriarum gnaris pro veritate hiſtorica obtrudere conniſus fueris. Cate, cate, inquam, tanquam Gorgones conſpexiſſes, hæc præteriiſti. Ceterum abuteris rurſum dialecticæ præceptis hoc loco, cum a Croco ad Libuſſam argumentationem deflectis, lectorique perſuaſum cupis, me & Libuſſam hiſtoriæ Slavorum eripuiſſe, cui merito in Annalibus patriis locum conceſſi, tum quod eam jam Chriſtannus *Pythoniſſæ* nomine indigitaverit, tum quod ejus memoriæ minime veterum monumentis adverſentur. Lucifer.

VII. Loquendo, ſcribendoque veluti feſſus rurſum Vir Cl. ad omnem invidiam, malevolentiamque a natura factum Luciferum tuum in ſcenam prodire jubes, tuoque nomine verba facere, qui quantus quantus in fermento eſt, Pag. 44.

. . . . *exſilit, furit,*
Fert odia præ ſe, totus in vultu eſt furor. Seneca.

Non enim modo rurſum *Tartaricam Zingorum ſcabiem* multo ante a nobis ſanatam in medium profert, ſed & odium univerſorum concivium in me exacuere omnibus nervis contendit. *Non tantum*, inquit, *eos, qui dilectæ patriæ noſtræ hiſtoriam ſumma prudentia, ac fidelitate in præſens pertexuerunt, graviter velut fabularum architectos hallucinatos fuiſſe, ſed etiam integram noſtram nationem ludibrio vicinorum nudo, ut ajunt, capite proſtituere voluit*, (Gelaſius) *dum Czecho inter aniles fabellas adſcripto, nos a Tartarica Zingorum ſcabie deſcendiſſe non dubitavit.* Pateris Vir Cl. Luciferum tuum tantum audacia exorbitantem? hæc ne verba ejus ori tu, ceteroquin ſcientia & prudentia urbi conſpicuus videri volens, impoſuiſti? Qui ſi impetu ſuo hæc effutiit, cur non monuiſti; opuſculorum ſaltem meorum paginas indigitaret, quibus patrios ſcriptores noſtros contemptim *fabularum architectos* conviciatus ſum? cur non rudem inque re hiſtorica tyronem erudiiſti, quid vox *hallucinari* connotet? Non nego hac voce me nonnunquam in Annalibus meis uſum, cum ſcriptores noſtros a veritate deflexiſſe, innuere fuit animus. Sed an vox *hallucinari* tam probroſa eſt, ut convicii loco habeatur, tantumque exaggeretur? Adi Mabillonium, Baronium, Cointium, Pagium, Bollandianos, omneſque, qui ſua critice pertractavere, an non Pag. 45.

ejus-

LUCIFER. ejusdem vocabuli cenſura graviſſimos quosque ſcriptores paſſim notatos reperies? iſtucne idem eſt ac *fabularum architectos* conviciari? Inquire in omnia Lexica, lege omnes probatos claſſicosque authores latinos, ubi *falli*, *errare*, *labi*, *hallucinari* ſynonima deprehenſurus. Ubi vero is locus in Annalibus meis, quo gravius præterque modeſtiæ leges animadverti in ſcriptores patrios etiam infimi generis? quid Lucifer in detegenda vulnera mea ubivis effuſiſſime procax non ipſas paginas indigitavit? An non ego locis omnibus purgo, officioſeque errores illorum ob defectum idoneorum monumentorum, & Criticæ lucem necdum ætate illorum in terras noſtras invectam excuſo? Quoties induſtriam eorum in ſcribendis rebus patriis illuſtrandisque commendo, imo prædico, laudibusque extollo? Verum quis crediſſet tanto ſupercilio futurum Luciferum tuum, aut eum patriorum ſcriptorum patrocinium tanta auſteritate ſuſcepturum, ut ægre ferat, vel verbo illis contradici, eosque errorum convinci? Quis ille, qui vincula injiciat intellectui meo atque induſtriæ, ut tanquam libris ſacris, aut foliis Sybillinis integerrimam fidem præbeam, quam meris aſſertis ſine veterum tabulis aucupari conati? mihi piaculum ſit a ſuperiorum ætate ſententiis recedere, aut oſtendere eorum narrata veterum monumentis non reſpondere? Næ igitur tu Lucifer veritatem hiſtoricam æternum ſepultam, næ orbem fabulis crepundiisque perpetuo paſci, næ diſciplinarum culturam ſilveſcere, næ pro luce cymerias tenebras invectas cupis, qui vetitum mihi vis hiſtoriam patriam repurgare, verioraque ex coævis vetuſtisque monumentis exquirere. *Non nudo*, ut ais, *capite per me natio noſtra vicinorum ludibrio proſtituitur*, ſed ne ludibrio fabulæque porro ſit, defenditur, ac cavetur, cum oſtendo etiam genti noſtræ non defuiſſe olim, non deeſſe hodie doctrina claros, qui deliramenta hæc ſuperiorum ſæculorum omni tempore execrati ſunt, qui pridem ſenſus ſuos paſſim inter domeſticos parietes hactenus tectos ſcriptis prodidiſſent, niſi fato quodam impediti, aut ſimilis obtrectationis, quam tu mihi intentas, metu calamum abjeciſſent. Non eſt, quod metuas, genti meæ ex ſcriptis meis quoddam dedecus enaſciturum apud exteros, quin, ne invidioſa tibi videatur gloriatio, polliceri auſim, etiam laudem & exiſtimationem ex iis acceſſuram, nam exteri tandem hiſtoriam patriam a me expurgatam legere, probare, ſcriptisque ſuis prædicare occipiunt, cum antea paſſim illis quot pene capita, tot nova argumenta deridiculi ludibriique fuerint, imo vel hoc ipſo nomine pluribus exoſa, quod nec res, nec hiſto-

rias,

riis, nec tempora veteriorum relatis congruere adverterent. Neminem latere poſſunt aculei illi riſusque, quibus annis abhinc duobus adhuc Clariſſimus Vir Blaſius Florivantius Advocatus Romanæ Curiæ in dubio & Proceſſu Wiſſehradenſi, Celſiſſimi Principis & Archi-Epiſcopi Pragenſis Mauritii Guſtavi (felicis memoriæ) juſſu Pragæ anno 1763. recuſo Wlaſtam, Amazones Bohemiæ, Horomirum, ſaltum equi ex Wiſſehrad ejusque ſermocinationem, columnæ Romanæ per dæmonem allationem, aliaque pridem ab Hagecio tuo allata, atque ex illo exſcripta traduxerit, ſatyricoque aceto perfuderit. Patere Vir Cl. hæc monſtra ceteraque ſimilia ex hiſtoria patria expungi, patere, ut oſtendamus nobis ipſis Boemis deridiculo, & oblectamento eſſe, & exteri genti noſtræ illudere ceſſabunt; ſi Hayecium tuum per omnia manutenendum perfricta fronte conniteris, nunquam ludibriorum finis erit, & tuus error, tuaque imperitia ad univerſæ gentis maculam detorquebitur. Tu vero Deus Optime & Maxime, Pater Luminum! Lucifer.

. . . Libera de caligine filios Achivos,
Fac vero ſerenitatem, da autem oculis videre. Homerus.

VIII. Non ſatis erat Lucifero tuo eo malevolentiam ſuam intendiſſe, ut me & opuſcula mea concivibus meis inviſa, exoſaque redderet, niſi etiam invidiæ, odiique faces exteris gentibus, ac cumprimis inclitæ Moravorum, Polonorumque genti ſubjiceret. Maligne enim blaterat, me docuiſſe: *Moravos a* Mrha, *quod cadaver ſeu morticinium ſignificat, nomen ſuum obtinuiſſe.* An effrontem magis hominis larvam unquam quis Comicorum in ſcenam produxit Soſia, cui nihil antiquius illo: (a) *ſi dixero mendacium, ſolens meo more fecero*? Qua vero Parte Annalium meorum, qua pagina locus is, quo Moravos a Mrha nomen obtinuiſſe doceo? callide vero Lucifer pro aſtutiæ ſuæ vitio eum indicare præteriit, nempe ut fieri ſolet, ne manifeſtus in mendacio opprimeretur. Ego vero eum Lectori indigito, pandoque Prodromi mei paginas eſſe 85. 86. & 87. ubi de Moravorum origine, ac etymo ago. Ibi poſtquam ex aliorum ſententiis retuliſſem, quæ de origine & etymologia Moravorum opiniones eſſent, quod nempe alii ſcriptores nomen Marahenſium, ſeu Moravorum a *Marha* militari ſigno, alii cum Suida a *Maraha* Moraviæ fluvio derivarent, profero tandem in tanta hiſtoriarum obſcuritate, temporum- Pag. 45.

(a) Plautus in Amphitruone Act. 1. Sce. 1.

LUCIFER. que longinquitate opinionem meam de Jazygibus, quos cum multo ante ad fluvium Marum in Hungaria veteribus apprime cognitum conſediſſe conſtet, ajo eos veroſimiliter ad hodiernam Moraviam progreſſos, fluvio ibidem novo reperto idem nomen indidiſſe, Marahamque appellaſſe, unde veroſimillime gentis nomen profluxerit. Nam pag. 87. his verbis concludo: *An non fortaſſis veriſimilitudinem aliquam habet, ſi dicamus: exſtincto per Attillam Quadorum Marcomannorumque regno hos ipſos Jazyges poſtea his fructuoſis veteris Quadiæ terris commorationem ſuam ſtabiliviſſe, obque veteris ſuæ patriæ memoriam flumini regionem novam permeanti idem nomen Marava indidiſſe, quo pacto optime Suidæ teſtimonium ſalvabitur.* Hoccine eſt Maravorum nomen a Mrcha deflectere? Rupiſti Lucifer frena pudoris, qui verſutiarum confidentia nonniſi triumphare quæris, *quem*, ut verbis Ciceronis loquar, *malevolentia coegit mentiri*, coegit hæc inquam malevolentia triginta aliquot mendaciis fallaciisque hanc lucubrationem farcire, quod probe proſpiceres veritate genuinisque monumentis te nihil adverſus argumenta mea profecturum; odium popularium meorum, odium gentium Slavicarum triumphum tuum animo deſtinaſti. Hoc vero Luciferi tui peccatum nihil ad te attinet Vir Cl. Non eſt ſcribæ culpa ſi penna ceſpitet, aut hebeſcat, non eſt inquam heri vitium, ſi vernula, ſi ſervus mendax & ſycophanta ſit, ſcio Luciferum hæc ſuo genio & pruritu, non mandato tuo effutiiſſe, non me latet eum optimam voluntatem tuam fideique integritatem ſua fraude & malitia temeraſſe, nec dubito, quin ipſe jam dignum deputes, qui in piſtrinum quadrupes compingatur, audaciamque loro & tergo ſuo exſolvat. Nam non ignoras vel eos ipſos qui a *Marha* militari ſigno Marahenſium ſeu Moravorum etymon deflexerunt, nonniſi honorificentiſſime de hac gente ſenſiſſe. Quid enim cuique genti glorioſius, quam vetuſtiſſimis documentis oſtendere, eam bellicoſam victricemque aliquando fuiſſe, quæ una olim gentium virtus & nobilitas erat. Quid vero a quibusque magnificentius de Moravorum gente dici potuit, quam eos teſte Marcellino tam intrepide hoſti congreſſos, ut elato ſigno militari *Marha! Marha!* oppoſitas phalanges hoſtium non majoris quam pecudum greges æſtimarent, nec enim olim vox *Marha* apud veteres Slavos morticinum ſeu cadaver, ſed armentorum gregem connotabat. Sic enim etiam hodie Croatæ ultima Decalogi verba: *Non bovem, non aſinum, & univerſa, quæ illius ſunt*, explicant: *Ni Marhe, ni kakove bliſnyega tvojega* . . . Hinc recte

Jor-

Jordanus (a) hoc militare ſignum his verbis extollit: *Apud veteres Slavos pugnam ordientes audacia in hoſtes provocabatur exclamando Marha! Marha!* id eſt: *grex pecorum ſunt, non timete eos, ſed cædite.* Si jam vero lectis pluribus Græcis ſcriptoribus judicium a me de origine Marhanorum & Marahenſium ſeu Moravorum expoſcis, auſim dicere ejusdem nominis populum cum Zecchis veteribus ex Aſia & Ponti Euxini litoribus advenisse. Nam in Excerptis Legationum Tomo I. Script. Byzantinorum creberrime Zecchis Aſiæ finitimos deprehenſurus es *Marinas*, quos Procopius de Bello Perſico l. 2. c. 12. *Maros* appellat. LUCIFER. Pag. 45.

IX. Credat jam aliquis Luciferum tuum omnem ſtomachum evomuiſſe, ſed a Moravis tranſit ad exagitandam nobiliſſimam Polonorum gentem multis titulis Inſtituto meo ſuſpiciendam, ejusque odium multo acerbius in me exaſperare maligniſſime attentat. Nam his verbis me redarguit: *Fraterno nobis ſanguine junctæ Polonorum gentis parentem Lechum velut in* Legno *abjicere ſepoſita modeſtia non dubitavit.* Vocem vero Legno infra in Scholiis germanice per oletum, ſeu (quod verecundia ſcribere vetat) fimum humanum impudentiſſime explicat. O Lucifer! hoccine impune tibi futurum arbitraris, ut glorioſiſſimæ etiam Polonorum genti illudas, illudas cetero orbi literato linguæ noſtræ patriæ ignaro? Egone ſepoſita modeſtia Lechum in fœtida illa tua voce, qua vel opuſcula mea inquinare ſummo mihi duxiſſem dedecori, abjeci? quid ad hanc malignitatem reponam niſi illud Ciceronis (b) *Qui ſemel verecundiæ fines tranſierit, eum bene & naviter oportet eſſe impudentem.* Verum hæc commemorans audacter ad Partis meæ II. paginam 10. provocas: locum igitur hunc fideliter, ut hac pagina notatus eſt, vigili fallique neſcio Benevoli Lectoris oculo ſiſtimus. Poſtquam ibidem ex Dalimilo oſtendiſſemus, ab eo vocem *Lech* non pro proprio nomine hominis ſed appellativo quod *adoleſcentem ingenuum & liberum* connotat acceptam fuiſſe, ſubjungimus: *Quanquam vetuſtum alterum monumentum non ſuppetat, quo cognoſcamus* Lech *vocabulo majoribus noſtris ingenuum ſeu ſtrenuum adoleſcentem ſignificatum, tamen id palam prodit alterum ſimile vocabulum Licha, quo paſſim Dalimilus utitur, cum puellam ſeu adoleſcentulam liberam denotare intendit; tum Frencelius Slavicum* Licht *idem quod liber, a, um, ſignificaſſe oſtendit. Apud nos vero hodiedum perdurans vox* Lehno (c) Lechno

(a) Jordan Orig. Slav. c. 11. §. 24. p. 35. (b) Cicero l. 5. epiſt. 12. (c) *Hanc vocem hoc loco deſiderari nemo non ex verbis ipſis præcedentibus intelliget, nec enim* Lechno *aut* Legno *hodie apud nos perdurans vox eſt.*

LUCIFER, *ſeu* **Legno** *ultro oſtendit vocem hanc olim pro homine acceptam fuiſſe.* Per quam vocem antiquitus ſcribi ſolitam **Legno** nihil aliud intendimus quam *hominium*, *homagium* ſeu *feudum*, qua ſignificatione adhuc genti noſtræ in uſu eſt **Lehno**, ita ut quemadmodum hominium & homagium ab homine, ita **Lehno** ſeu veterum **Legno** derivatum cenſendum ſit nominis appellativi **Lech** quod antiquitus **Leh** ſcribebatur, hominem ingenuum majoribus noſtris connotans. Advertiſti vero vaferrime Lucifer, non aliam quam hanc ipſam mihi mentem eſſe, vocisque **Lehno** **Lechno** ſeu **Legno** intellectionem, ſed quoniam hoc unum tibi ſtudium erat mea carpere, ſugillare, calumniari, invidiæ flammis ſubjicere, his

Pag. 45. verbis mihi obſtrepis: *Nec vero ſimile, ſed fictio eſt vocem hanc olim pro homine, homagio, hominio aut ipſo feudo fuiſſe acceptam, ſunt namque in promptu vetuſtiſſimi MS. codices Jura feudalia ſermone patrio recenſentes, quæ tamen hujus figmenti nullum ſuppeditant veſtigium. Nobis enim Boemis jura feudalia dicuntur & ab olim dicta ſunt:* **Práwa Dědjn Manſkých**, *feudatarius* **Man**, *homagium* **Manſtwé**, *niſi forte illud ſuum* **Lechno** *a germanico* **Lehen** *deducendum velit, at iſtud & veteres & hodierni Slavi ignoramus.* Nempe vocis hujus luto collibuit tibi Lucifer turpare calamum & manum ut pueris, hariſque placeres, & declamatio fieres. Quid vero tu ſumme hujus ſæculi antiquarie audacter ad vetuſtiſſimos MSS. codices provocas, quandoquidem dico verbis expreſſis: *hodiedum perdurans vox*, ea hodie uſitata omnibusque cognita, ſoli malitiæ tuæ fuit ignorata, ut fingas te eam neſcire, & fortaſſis a germanico **Lehen** repetitam ſuſpiceris. Quis vero patriorum noſtrorum hominum ignorat *feudum*, *hominium*, *homagium* vernacule **Lehno** (olim **Legno** ſcriptum) connotare? adi omnia vulgata noſtra Lexica & vocabularia Weleslavini, Comneni, Loderekeri, Roſæ, Wuſſini aliaque, & cum hac ſignificatione explicatum reperies; unus præ ceteris ſit tibi plurimum a gente noſtra celebratus Nomenclator quadrilinguis M. Danielis Adami a Weleslavina, qui claſſe II. c. 7. p. 50. ita commentatur: **Lehno**, **lenný Statek**, **Manſtwj**. *Prædium clientelare vel beneficiarium* **Lehen-Guth**. Et quanquam poſteriores quique noſtri **Lehno** ſine *h* ſcribant, tamen ut liquidam literam **e**, longiusque enunciandam demonſtrarent accentu acuto notant, ſcribentes: **Léno**, hodierni tamen ortographiæ Magiſtri (inter quos præcipuum nomen meretur Clariſſimus Vir Joannes Zeberer Neo-Urbenſis Cancellarius a ſumma ſua linguæ patriæ cognitione quadriurbi notiſſimus) contendunt literam **h**. retinendam, hodiernisque etiam ortographiæ legibus **Lehno** ſcribendum eſſe. Cum

vero

vero ajo in Prodromo meo Lechno ſeu Legno, per voces has veterem LUCIFER ſcriptionem innuere volui, cum majores noſtri puram literam *h* in uſu non habuerunt; eamque paſſim, per *g* aut etiam *ch* reddiderunt, ut crebrius alias docui, probavique per voces, Boga, gor, Goſpodin, Wiſſegrad, Praga &c. quæ hodie Boha, hor, hoſpodin, Wiſſehrad, Praha ſcribimus, enunciamusque. Sed tu neſcio mihi quos vetuſtiſſimos MSS. codices Jura feudalia ſermone patrio referentes obtrudis, in quibus feudum Man & Prawa Djedin Manſkych appellatum repereris: ubi vero ſunt ii codices vetuſtiſſimi? ubi lecti? heri nempe aut nudius tertius nati codices tibi vetuſtiſſimi ſunt? an non liquida litera ě in voce Dědin oſtendit codicem noviſſimum? quis majorum noſtrorum Slavorumque veterum novit liquidas literas? lege Dalimilum in præfatione ſua pluribus paginis hac de re diſputantem. Legi ego antiquum Jus feudale priſco adhuc illo majorum noſtrorum ſermone exaratum, illudque exſcriptum habeo Tomo XXIV. collectaneorum meorum MSS. ineditorum, ex quo jam etiam nonnulla fragmenta opuſculis meis inſerui, nuſquam in illo hæc ſæculis noſtris enata vocabula Man aut Manſtwj deprehendi. Sed ne ſuſpectus tibi de fide hujus codicis fiam: exſtat in Tabulis Aulicis Feudalibus, codex rudis eſt, nec magnæ molis, charta ad folii hodie magnitudinem accedente, ſcriptus is eſt anno 1359. charactere multum informi. In hoc veteri jure feudali, non is, quem Lucifer tuus venditat titulus eſt, at: Prawa fewdalnj, quod aliquando inter Tomos meos ineditos excuſum reperturus es. Niſi pœniteret operæ in exquirendis diplomatibus meis antiquis, menſis vero vix perlegendis ſufficeret, oſtenderem tibi ex autographis membranaceis non ſemel hac eadem ſcriptione Legno pro hominio homagio & feudo a majoribus noſtris fuiſſe uſurpatum, meminitque ipſe ſcriba meus ſe ſæpius hanc vocem exſcripſiſſe. Sed quorſum hæc diſputo? an tu invidioſe Lucifer patriæ linguæ non neſcius ignoraſti vocem Legno dum humanum fimetum, oletumque connotat, longe aliis ſcribi literis? an non in omnibus ſupra memoratis Lexicis vocabulariisque id per *y* nempe Leyno ſcriptum excuſumque deprehendiſti? veteres id plane Layno ſcripſerunt, ut in antiquiſſimo, quo gens noſtra gaudet, vocabulario Lactifero Joannis Ordinis Minorum S. Franciſci Pragæ anno 1511. excuſo, item in altero paris fere ætatis Dictionario Jacobi Riſchelii Olomucii impreſſo legere eſt. Hæc longius perſequi neceſſum erat, ut me ſuſpicione calumniæ apud inclitam Polonam gentem perpurgarem, oſtenderemque putidum figmentum malevolentiamque

LUCIFER. Luciferi eſſe, cujus conatus eo vergebant, ut me huic aliisque Slavicis gentibus exoſum redderet, nam quid invidioſe præter ea ſubjungat, audiamus: *Quam gratiam*, inquit, *hæ tres nationes* (nempe Boemica, Moravica, & Polona: *glorioſo iſti originum ſuarum illuſtratori debeant, libens lubensque tacitus prætereo, at pavendum eſt, ne eam ſubinde pro demerito reddant.* Ego vero contra certus confido, quod omnes hæ tres gentes ſummæ mihi colendæ maximam induſtriæ meæ habituræ ſint gratiam, qui tandem earum antiquiſſimas memorias ex hactenus incognitis fontibus in apricum protuli, illuſtravi, diſpeſcui, Chronologiæque certiori reſtitui. Cognituri illi ex hac mea Apologia conviciosiſſimas tuas obtrectationes, & manifeſtiſſimas fraudes, dicturi, inquam illi cum Poeta:

Pag. 44.

Qui captat riſus hominum, famamque dicacis,
. . Fingere qui non viſa poteſt
. . . Hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.

Complementi inſtar ſit fragmentum epiſtolæ cujusdam eruditiſſimi & in hiſtoria patria verſatiſſimi Viri, qui minime dubitans hominium, homagium, & feudum a majoribus noſtris Legno appellatum adverſus opinionem Chronici Franciſci, quam pag. 136. his verbis reddidiſti: *Tertius Lech qui fundavit Lechnitz & plantavit totam Sileſiam*: ita commentatur: *Non mihi perſuadebit Franciſcus tam recens author ab aliquo Lech conditum Lechnitzium. Verior ejus etymologia repetenda eſt a Legno feudum, quod videlicet hic locus olim feudalis fuerit. Certe Cromerus hanc civitatem non appellat Lechnitium ſed Legnicium alii Lehnicium jam antiquata & mutata voce Legno in Lehno.* Cui addi potuiſſet: etiam in omnibus vetuſtis membranis codicibusque imo apud Latinos & Germanos hodie plerosque enunciationem ſcriptionemque Legnitium Lignitz & Legnitz perdurare. Adjicere libet hujus doctiſſimi Viri opinionem, quo fato Polonos *Lechorum* nomen inveniſſe autumet; " Nunc, ait, diſquirendum, unde Poloni nominati fuerint *Lechi* aut *Lechitæ*? Salvo meliori judicio, ego exiſtimo a Cinnamo aliisque ſcriptoribus Polonos appellari *Lechos* ab antiqua voce Slavica Lech, id eſt: *homine ingenuo & libero*, olim enim ſervi non armabantur, ſed quicunque militabant, erant *ingenui & liberi*, id eſt: *Lechi* ſeu *Lechitæ*. Laurentius Beyerlinck in magno Theatro vitæ humanæ verbo: *Dedecus* pag. 58. ita commentatur: „ Servos ad militiam Sacramento rogare, aut ullo modo admittere, nefas ſancitum veteribus eſt, quod Cicero in Dejotaro ſignificat, & Martianus di-

Digeſtis de re militari. Ab omni, inquit, militia ſervi prohibentur, alioqui capite puniuntur. Sed & in Helonore Mantuanus Vates Æneidos nono monſtravit: Lucifer.

> . . . . . . *Quem ſerva Lucinia furtim*
> *Suſtulerat, vetitisque ad Trojam miſerat armis.*

Pauſanias auctor locupletiſſimus eſt: Perſico bello, quod in Marathoniis campis geſtum eſt, primum ſervos in militiæ jura admiſſos, quo nomine etiam tumulus interfectorum inibi viſebatur. Poſt Carnenſem cladem armata Romanis ſervitia Volonum nomine T. Livius tradit, quum prius ſingulos forent ſciſcitati, vellentne militare? Unde eſt nominis ratio. Sociali quoque bello in militiam libertos admiſſos primum Appiani hiſtoria tradit. Cælius l. 25. c. 23. A. L. " Hæc Laurentius Beyerlinck. Apud Sarmatas quoque (*perſequitur doctiſſimus Vir*) nonniſi homines liberi militabant, ut ex ſubjiciendo Euſebii Pamphili loco clarum fiet. Nec enim illi prius ſervos ſuos armarunt, quam cum Scythæ in eorum exitium conſurgerent, ut ſuprafatus Græcus ſcriptor in vita Conſtantini M. libro 4. teſtatur: *Sauromatas Deus ipſe pedibus Conſtantini ſubjecit, viris barbarica mente inſoleſcentibus hoc pacto mancipatis. Cum enim Scythæ contra eos inſurgerent, ſervos armarunt domini ad ulciſcendum ſe de hoſtibus. Quoniam vero ſervi victores evaſerant, ſcuta ſua contra dominos levarunt, ac cunctos e ſedibus ſuis pepulerunt.* Omnes igitur ſervi tunc facti ſunt liberi id eſt *Lechi* ſeu *Lechitæ*. Quod contigit anno Conſtantini M. vigeſimo octavo, Chriſti vero 337. ut teſtatur S. Hieronymus in Chronico ad hunc annum ſequentibus verbis: *Sarmatæ limigantes dominos ſuos, qui nunc Anaragantes vocantur, facta manu in Romanum ſolum expulerunt.* Ammianus Marcellinus l. 29. prope finem facit mentionem Sarmatarum *liberorum*, ad diſcretionem *Servorum*. Ii vero Sarmatæ ſeu Slavi limigantes ſunt, a quibus Jordanus in Originibus ſuis Slavicis Slavorum ad Danubium originem copioſiſſime toto libro repetit, & quos circa ſæculum ſextum medium in Quadiam veterem immigraſſe ſtatuit. „ Hactenus verba epiſtolæ ſunt Viri Eruditiſſimi, ex quibus ſaltem cognoſces, aliis probari *Lech* ingenuum ſeu liberum hominem, & *Legno* feudum, hominium & homagium apud veteres Slavos connotaſſe.

Ad

Ad §. XII. & XIII.

LUCIFER.

I. Neſcio, quam tu novam Vir Cl. veteribus omnibus, recentioribusque Geographis incognitam Ponti Euxini, Aſiæque tabulam deſcribas, cum multa verborum ambage conaris evincere veteres Zecchos, Zichos ſeu Zingos minime ad Paludem Mæotydis ſpectare. Acervatis enim veterum teſtimoniis ſic tua perturbas, confundisque, üt dubium relinquas, idemne an aliud tibi viſa fuerint Pontus Euxinus, mare Ponticum, mare Euxinum, mare nigrum, Cimmerium, & inhoſpitale? quas unius ejusdemque maris varias appellationes eſſe nemo in re Geographica verſatus ignorat. Paludem Mæotydis præterea a Ponto Euxino haud aliter, quam Germaniam ab Indiis diſterminas. Sed audire libet, quæ in hac Geographica deſcriptione tua ſit mens & commentatiò: Poſteaquam ego in Prodromo meo pag. 55. dixiſſem: Inter omnes prope hiſtoricos convenire majores noſtros Slavos a Palude Mæotydis & Ponto Euxino prodiiſſe, oſtendiſſemque legitimis veteribus documentis his ipſis locis olim conſediſſe peculiarem Slavicum populum ſub *Zecchorum* nomine, negas Zecchos veteres unquam iſthic coluiſſe, & his verbis ſenſa tua expromis: Zecchi illi, inquis, *nullo pacto ad Paludem Mæotydis, nec quidem Aſiam, tanto minus Europam reſpicientis, ſed ultra orientalem maris Caucaſei oram, ſub ipſo monte Caucaſo in majore Aſia volenti videre ſpectari debent.* Hærebam ego primum, quodnam iſtud tibi *mare Caucaſeum* eſſet, cum non neſcirem Caucaſeos montes a Ponto Euxino, ſeu rectius Boſphori Cimmerii promontorio adusque mare Caſpium, ſeu Hircanum protendi, cumque in Lexicis ubivis irrito conatu illud quærerem, reperi tamen poſtea illud in Apollonio l. 4. ac cognovi illum per hoc Pontum Euxinum ob vicinos montes Caucaſeos intelligere, cum tamen pari, & majore etiam jure mare Caſpium dici poſſit *Caucaſeum.* Minus ſcite igitur ac provide Poeticum hoc Apollonii epitheton omnibus hodiernis Geographis ignotum aucupatus es, peregrinoque vocabulo verbis tuis obſcuritatem offudiſti. Sed his miſſis, rurſum hæreo, qui hæc tua mox allata verba cum veterum teſtimoniis a te ipſo adductis conciliem, ſi enim teſte Procopio a te laudato: *Ponti Euxini littus Zecchi inſederunt*, ſi teſte altero Conſtantino Porphyrogenito in eo ipſo mari, aut plane forte in palude Mæotydis Zecchi ſeu Zichi *inſulas habuere, unam magnam & tres parvas*, ſi teſte denique Marcellino ipſe Pontus Euxinus a Zecchis his nomen *inhoſpitalis* indeptus eſt, quomodo

Pag. 47. & 48. · Pag. 47.

ſio hi Zecchi *ultra orientalem maris hujus oram ſub ipſo monte Caucaſo in majore Aſia volenti videre ſpectari debent.* Peſſime Vir Cl. tabulam tuam Geographicam adornaſti, non ultra, ſed in orientali hujus maris ora Zecchorum regionem deſcribere neceſſum erat. Ac propterea me correcturo tibi illud Comici oggerere fas eſto: *Tute lepus es, & pulpamentum quaris.* Sed ut te ex Labyrintho hoc extricaſſe videaris, neſcio, quibus novis improbiſſimisque dialecticæ tricis uteris, nam illud, quod ego conjunctim de ſede veterum Zecchorum apud Paludem Mæotydis & Ponti Euxini litora ſtatueram, tu ad ſolam Paludem Mæotydis detorques, adverſus quam omne argumentorum conciliabulum cogis, negans atque pernegans Zecchos olim apud hanc paludem habitaſſe, aut veteres ſcriptores de ea mentionem feciſſe. Ego vero ex ipſis a te adductis ſcriptoribus, locisque veterum oſtendam, hos Zecchos non modo ad Pontum Euxinum, ſeu mare tuum Caucaſeum, ſed & ipſam Paludem Mæotydis viciniſſimam coluiſſe; oſtendam, inquam, denuo peſſimam fidem Luciferi tui, qui maligniſſime Plinii locum truncare, & aliorum veterum memorias reſcindere, ſilentioque premere auſus. Verba jam tua ex pag. 47. exſcribere juvat: Procopius, inquis, *dum de Zecchorum populo mentionem facit, de Paludc Mæotydis altum ſilet . . . . . In eodem per omnia ſenſu eſt Porphyrogenitus . . . . Ammianus vero Marcellinus non modo Paludis Mæotydis non meminit, ſed inſuper a barbara Sinchorum, & Arinchorum inhoſpitalitate mare ipſum Ponticum per Ironiam nomen accepiſſe Euxini clare tradit, ut nihil dicam de Ptolemæo, aut Plinio, quorum alter ſuos Zinchos uſque ad montem Coracem rejicit, ille autem ſuos Zingos a Cimmerio poſt procul hinc plagam coluiſſe refert.* Hactenus verba tua ſunt, ſed qua confidentia ſcripta? qui de ſilentio authorum tanta certitudine pronuncias, quaſi integros evolviſſes, legiſſesque, cum ne quidem fontes ipſos videris, ſed ex fragmentis, excerptisque recentiorum tua hauſeris. Verum ut jam ad authoritates has ex ordine tuo reſpondeam: non vacat, nec operæ pretium eſt omnes libros Procopii tam de bello Gothico, quam Perſico, quam Vandalico, quam illius hiſtoriæ arcanæ excurrere, ac inveſtigare, num Zecchos referendo Paludis Mæotydis meminerit, ex aliis ſane teſtatum faciemus, Procopium per verba illa: *Pontus Euxini litus Zecchi inſederunt*, intellexiſſe illud Ponti Euxini litus, quod Boſphoro Cimmerio ipſique Paludi Mæotydis conterminum eſt, & unde ditiones ſuas uſque ad Paludem Mæotydis protenderunt. Alter ergo a te laudatus Porphyrogenitus ſuccedat: Is vero c. 42. de adminiſt.

Lucifer. Pag. 47.

Pag. 47. 48.

LUCIFER. Imp. Zichiam Zichiæque terminos & limites deſcribens Paludis Mæotydis ter quaterque meminit. Inter fines Zichiæ nimirum enume at fluvium Uchruch, & oſtium fluviumque Burlic; quo vero horum ſitum rejiciat, audire illum libet eodem capite: *Sed eſt & Maotydis Paludis oſtium, quod Burlic cognominatur, & in Pontum defluit, ubi Boſpo us eſt, cui oppoſita urbs Tamatarcha nuncupata . . . . A Tamatarcha octod. :m aut viginti milliaribus fluvius eſt Uchruch appellatus, qui Zichiam, & Tamatarcha ſeparat. Ab Uchruch usque Nicopſin flumen* (qui in Pontum Euxinum influit) *in quo etiam urbs ejusdem nominis habetur, Zichia eſt ad ſpatium milliarium trecentorum.* — Jam prehende in manus Tabulam Geographicam, quam interpretes, Commentatoresque in Conſtantinum Porphyrogenitum inter Byzantinos Scriptores excuſam dedere, inquire hæc ſupra nominata loca, inquire limites veteris Zichiæ, & cogniturus eos a Nicopſi fluvio, qui in mare nigrum illabitur, usque ad medium pene paludis Mæotydis, fluviumque Bal, qui in hanc paludem influit deſcribi, ac proinde in Zichiæ regione fluvios *Burlic, Cader, Uchruch* & *Nicopſin* comprehendi. Quin poſtea erecto in Zichia Archiepiſcopatu tanta provinciæ hujus amplitudo deſcribitur, ut Cherſoneſus, Boſphorus, omnesque regiones a Nicopſi fluvio ſub ea cenſeantur; rei hujus luculentum teſtimonium habemus ex notitiis Græcorum Epiſcopatuum a Leone Sapiente ad Andronicum Palæologum T. 18. Bibliothecæ Byzantinæ. Iſthic lego:

In provincia Zicchiæ Cherſonis LVIIIvus
In eadem provincia Boſphori LIXnus
In eadem provincia Nicopſeos LXmus.
Zecchia, cum Archi-Epiſcopatus eſſet, ad Metropolitani honorem evecta eſt, tenuitque locum XCVII.

Et rurſum in notitia Patriarchatus Conſtantinopolitani Autocephalorum Archi-Epiſcopi pag. 316.

25. *Provincia Zechiæ Cherſonis*
26. *Provincia ejuſdem Boſphori*
27. *Provincia ejuſdem Nicopſeos*

Nempe Boſphorum ipſum ſub Zichiæ finibus comprehenſum legis, quem quorſum niſi ad paludem Mæotydis rejicias? eſt enim illa anguſtia maris, quæ hanc paludem Ponto Euxino jungit. *Qui vero Boſporum occupabant*: inquit idem Porphyrogenitus L. 2. in Thematibus)

etiam

etiam Cherſonem ipſum regebant. Ammianus Marcellinus, contra quam tu ſcribis, maxime etiam paludis meminit, populos enim hanc accolentes *Mæotas* vocat, inter quos & Sinchos ſuos, ſeu Zecchos recenſet verba illius ſunt de his Mæotis loquentis: (a) *Sed Mæotydos lateri lævo Cheroneſus eſt propinqua coloniarum plena Græcarum. Unde quieti ſunt homines & ſedati adhibentes vomeri curam, & proventibus fructuariis victitantes, a quibus per varia regna diducti itineribus modicis Tauri diſſociantur, inter quos immani diritate terribiles Arinchi & Sinchi & Napæi.* Si itaque Sinchi ſeu Zecchi fuere inter Tauros, qui Tauricam Cherſoneſum tenuere, quam regionem eos accoluiſſe dicas, quam paludem Mæotydis, Taurica enim Cherſoneſus ex omnium Geographorum deſcriptione eſt: *Terra in inſulæ modum mari cincta, quæ inter Paludem Mæotydis & Pontum Euxinum ſita eſt.* (b) Ad Claudium Ptolemæum veniamus, cujus capite truncatum textum ex l. 5. c. 11. his verbis recitas: *Poſtea uſque Coracem montem Arichi & Zinchi.* Nos vero eum ſecundum ſuam latitudinem non quidem ex c. 11. ut mendoſe apud te numerus excuſus, ſed c. 9. fideliter jam reddituri ſumus. Claudius Ptolemæus a ſeptentrione & Rha fluvio verſus Cimmerium Boſphorum & Coracem montem narratione progrediens, has gentes & regiones enumerat: *Inter autem Mæotim Paludem & Hippicos montes poſt Stracenos Pſeſſii, poſt Themeotæ, ſub quibus Tyrambæ. Poſt Aſturicani. Poſtea uſque Coracem montem Arichi & Zinchi.* Quibus Ptolemæi verbis tam Sebaſtianus Münſterus, quam Joannes Antonius Maginus Patavinus interſerunt: *hi populi Mæotæ cæteris dicti, unde Mæotydes Paludes.* In quem vero orbis angulum tu Vir Cl. *Coracem* montem rejicis, *ſi ultra orientalem Ponti Euxini oram ſub monte Caucaſo* hos Zecchos coluiſſe ſtatuis? Inſpexiſtine Ptolemæi Tabulam II. Aſiæ, in qua mons *Corax* ad ipſum Cymmerium Boſphorum defigitur, & *promontorium Cimmerium* appellatur, quod nempe Mæotas a Colchis diſterminet? Quod vel Ptolemæus eodem capite explicat, inquiens: *Segregant & alii montes Sarmatiam, & qui nominantur Hippici, & Ceraunii, & Corax mons, in quo fines illi ſunt, qui per montes Colchidis & Iberiæ producuntur.* Si itaque uſque ad hoc promontorium accoluere Zinchi, quod ſpatium terrarum eis concedas, quam litora paludis Mæotydis? Quod tu vel ipſe poſtea pag. 98. non inficiaris, dum Sigismundi Herberſteinii teſtimonium his verbis

LUCIFER.

Pag. 47.

(a) Ammian. Marcellin. l. 22. p. 478. (b) Nicolaus Loydius in Dictionario hiſtorico vocabulo Cheroneſus.

LUCIFER. Pag. 89. refers: *Circaſſi populi ſeu Ziki montes Tartariæ circa Mæotydem incolunt.* Non igitur tam Zecchorum ſitus ad Caucaſum, quam montem Coracem reponendus, ut poſtea ex Prophyrogenito cognoſces eos a Caucaſo remotiores fuiſſe.

Pag. 48. Sed hæc ferenda ſunt, illud autem merito fraudi dedecorique Lucifero tuo ſit, qui prius ad Plinium provacans ait: *Plinius Zingos a Cimmerio poſtprocul hinc plagam coluiſſe refert.* Mox infra in ſcholiis ſubjungit Plinii teſtimonium his verbis: Plinius l. 6. Sect. 7. edit. Pariſiens. *A Cimmerio accolunt . . . . Arrechi Zingi.* Quod feſtum, ut verbis tuis loquar, non ageret Lucifer tuus, ſi uſquam in operibus meis tam manifeſtam fraudem detexiſſet? Quid ſibi amabo, volunt illæ inter vocem *accolunt* & *Arrechi* interjectæ tuæ virgulæ, inciſæque orationis notæ? Patere Vir Cl. ut totum Plinii textum cognoſcere atque exſcribere nobis liceat, quo ſenſa ejus melius accuratiusque aſſequamur. Plinius vero libri ſui ſexti caput ſeptimum (titulo *Gentes circa Mæotin* præfixo) his verbis orditur: *Inde Mæotis lacus in Europa dictus. A Cimmerio accolunt.* NB. *Mæotici: Vali, Serbi, Archi, Zingi, Pſeſſi. Dein Tanain amnem gemino ore influentem incolunt Sarmatæ.* Tanquam vulturem vidiſſet, inauſpicata Lucifero tuo videbatur vox *Mæotici* in Plinio. Quid igitur conſilii erat reliquum, quam ad fraudis aram recurrere, vocem hanc Plinii oratione exſcindere, ac virgulas ſubſtituere? Sed quam male cauta hæc Luciferi tui calliditas, quaſi vero unum ſolumque Plinii exemplar in orbe ſupereſſet, illudque inter manus Luciferi tui ſervaretur, aut certe Plinius mihi minus cognitus, lectus, exploratusque eſſet, e quo toties opuſcula mea irrigavi? An igitur Plinius paludis Mæotydis non meminit? An Zingos ſuos inter populos Mæotycos non cenſuit? Itane ait eos *à Cimmerio poſt procul hinc plagam coluiſſe?* Ita nempe recte dixit vetus Philoſophus: *Quidquid ſub terra eſt, in apricum profert ætas.* Et Plautus: *Neque mendaciis ſubdolis, nec ſycophantiis, nec fucis ullum mantellum obvium eſt . . . nec malefactis fuga eſt, nec confidentiæ uſpiam hoſpitium eſt, nec diverticulum dolis. Operta quæ fuere, aperta ſunt, patent præſtigiæ, omnis res palam eſt.*

Ut autem iis, quibus fortaſſis Geographia Aſiæ, Ponti Euxini, Paludisque Mæotydis deſcriptio minus explorata eſt, rem breviter, maxime ad poſteriora melius intelligenda, elucidem: Eſt palus Mæotys juxta oſtia fluvii Tanais, Cimmerio Boſphoro nonniſi a Ponto Euxino diſcreta, apud Geographos varia olim hodieque nomina obtinuit. *Mare delle Zabacche, Mare della Tana, & Marbianco* Italis. *Carpalk,*

palk, *Mar el Azach* Arabibus teſte Rhamuſio appellata, a Scythis olim ut author eſt Herodotus, *Temerinda* vocata. Anguſtia illa maris inter Tauricam Cherſoneſum (hodie Tartariam Crimmæam ſeu Precopenſem dictam) in Europa, & Sarmatiam in Aſia, qua Mæotys Ponto Euxino jungitur, appellatur Boſphorus Cimmerius, veteres Zecchiæ incolæ teſte Porphyrogenito *Burlic* nuncuparunt, hodie paſſim *fretum ad Caffam* vocatur. Herodotus olim *fretum Cimmerium*, Capella *os Mæotydis*, Marcellinus *Pateras anguſtias* appellavit. Ad hunc Boſphorum cum Zecchi ſeu Zichi veteres conſederint, regnumque ſuum, quod trecenta milliaria amplitudine æquabat, tam verſus ſeptentrionem per litora Mæotydis, quam verſus meridiem per litora Ponti Euxini diſtenderint, imo ad ipſam uſque Cherſoneſum Tauricam extenderint, hinc factum propter regionis amplitudinem, ut authores in ſitu veteris Zecchiæ & Zecchorum varient, jam eos ad Cherſoneſum Tauricam, jam ad Paludem Mæotydis, jam ad Ponti Euxini litora rejicientes. Optime autem dubium iſtud definivit vetus graviſque Græcus ſcriptor Nicephorus Gregoras, qui Zecchis noſtris tam Mæotydis quam Ponti Euxini regionem attribuit his verbis: (*a*) *Mæotydis confinia*, & *Ponti oram accolebant Zinchi* & *Abaſgi*, *Gothi* & *Hamaxobii*. Aerem igitur verberas cum *a Cimmerio poſt procul hinc plagam* aut *ultra orientalem maris Pontici oram ſub ipſo monte Caucaſo* coluiſſe contendis, nam quamquam Zecchia vetus Cimmerio promontorio, & Coraci monti finitima fuerit, a proprie tamen dicto monte Caucaſo erat remotior, quod verbis luculentiſſimis explicat Porphyrogenitus: (*b*) *ſupra Zichiam*, inquit, *Papagia regio jacet*, *ſupra Papagiam Caſachia*, *ſupra Caſachiam mons Caucaſus*, ut ita inter montem Caucaſum & Zichiam Papagia, & Caſachia interfuerit. Quibus cognitis nihil verius, conſultiuſque a nobis ſcribi potuit: quam *majores noſtros a Palude Mæotydis*, & *Ponto Euxino prodiiſſe*. Lucifer.

II. Stabilita Palude Mæotydis tranſeundum ad *minorem Aſiam*, in qua cum uno loco veterem Zecchiam, ſeu Zichiam ſitam fuiſſe aſſerui, plenis cavillorum plauſtris in me inveheris. Non immemor ſum, bino loco me *minoris Aſiæ* mentionem feciſſe in Prodromo meo, quem utrumque tanquam captivas hoſtis manubias longa defixas haſta jactas oſtentaſque. Primus locus eſt pagina 126, quo cum Slavos ab Henetis deſcendere docui, ſubjungo: *Hinc communis illa perſuaſio originem Slavorum ex minori Aſia repetentium.* Ego vero, quid locum hunc cavilleris, ſibiliſque tantis exſuffles, mente haud aſſequor. Nemi- Pag. 48.

 mi-

(*a*) Niceph. Gregoras. hiſt. Byzant. l. 2. c. 5. (*b*) Conſt. Porphyr. de admin. Imp. c. 42.

LUCIFER. minem legi veteriorum, recentiorumque Geographorum, aut Hiſtoricorum, qui non Henetos faciat Paphlagoniæ populos, neminem etiam tu legiſti unquam, aut exhibiturus es, qui non Paphlagoniam olim hodieque in minore Aſia cenſuerit, Aſia inquam ſtrictiſſime accepta, atque illa, quæ hodie *Natolia* vocatur. Quid igitur ad cavillos tuos magis congruum reponam, quam illud, quod Hippocrates Democrito ſemper ridenti dicturum conſtituit: *Atra bile vexaris Democrite!* (a) Alter locus eſt pagina 141, quo ajo: *Probabiliſſimum eſt: maximam Slavorum partem fuiſſe in Boemia e Zecchis ſeu veteri minoris Aſiæ regione Zecchia.* Hæc cavillorum tuorum præcipua cauſa, & argumentum, ut qui ante Zecchos illos ad Paludem Mæotydis, & Ponti Euxini litora rejecerim, jam e minori Aſia progreſſos dicam. Nec vero incogitans hæc ſcripſi, ſed deliberate atque cum conſilio, ut antiquitati ſuas conſervarem memorias. Credisne vero Vir. Cl. minorem Aſiam antiquitus, & omni tempore iisdem quibus hodie Natolia eſt, finibus fuiſſe circumſcriptam, nec varie a Geographis Hiſtoricisque veteribus fuiſſe definitam? Hoſpitem in Geographia veteri dixerim, qui ignoret, eam omnem Aſiæ partem, quæ inter Europæ atque Africæ extremitates media eſt, *mediam*; poſtea potiſſimam *mediæ* partem *minorem* dictam. Quanta non in deſcribendis Aſiæ minoris limitibus veterum diſcrepantia & diſſenſio? Cicero pro Flacco ad minorem Aſiam accenſet Phrygiam, Myſiam, Cariam, Lydiam, ſic enim ille: *Namque, ut opinor Aſia veſtra conſtat ex Phrygia, Myſia, Caria, Lydia* Valerius Meſſala Corvinus (b) *cum ipſa minore Aſia, in qua Phrygia, Lydia, Bythinia, Paphlagonia, Iſauria, & Cappadocia regiones continentur.* Paulus Oroſius l. 1. ad S. Auguſtinum multo plures provincias attribuit, ſic vero ille: *Aſia regio, vel ut proprie dicam: Aſia minor, abſque orientali parte, quæ ad Cappadociam Siriamque progreditur, undique circumdata eſt mari, a ſeptentrione Ponto Euxino, ab occaſu Propontide atque Helleſponto, a meridie mari noſtro.* Nicolaus Loydius in Lexico hiſtorico ex vetuſtis ſcriptoribus adhuc ampliores deſignat fines: ita vero ille: *Aſiæ minoris partes ſunt: Cilicia, Lycaonia, Paphlagonia, Pontus, Cappadocia, Bithynia, Phrygia, Myſia, Lydia, Pamphylia, Æolis, Jonia, Caria.* Crevit autem minoris Aſiæ amplitudo temporum curſu & Græcorum creſcente potentia maxime ex prorogatis Ponti Provinciæ finibus, adeo ut devictis iſthic barbaris, etiam Colchis ſub Pontici regni cenſum venerit, imo uſque

que

(a) Hippocrates epiſt. 9. ad Demagetum. (b) Meſſala Corvinus de Auguſti progenie p. m. 533.

qua ad ipſum Boſphorum Cimmerium nomen ſuum extenderit. Hinc Meſſala Corvinus de Auguſti progenie vocat *omne Ponti regnum*, alii *Provinciam Ponticam* appellarunt. Non obſcure innuit Procopius Cæſarienſis etiam ſuo ævo adhuc diſſenſionem fuiſſe inter Geographos, qui nonmodo minoris Aſiæ ſed majoris etiam cum Europa fines eiſent? nam eam ipſam Zecchorum ſedem ad Boſphorum ab aliis ad Europam, ab aliis ad Aſiam rejici docet. Sic vero ille: (*a*) *Aſia dicitur uſque ad Phaſin fluvium* (ad quem Zecchi accolebant) *qui Aſiam atque Europam dirimit, vel ad fretum Cimmerium, flumenque Tanaim. Nam id controverſum eſt inter harum rerum peritos, prout in libris de bellis oſtendi, cum Ponti Euxini ambitum deſcriberemus.* Verum ut pro cavillis ſarcaſmisque tuis in me jactis orbis literatus agnoſcat te puerorum ciconiis dignum eſſe, oſtendam jam ex Cedreno, ad quem provocat Leunclavius, Zichiam noſtram minori Aſiæ pro authorum varia opinione fuiſſe accenſam. Alias innuimus in Zichia vetere etiam urbem fuiſſe ejusdem nominis, cujus ſitum Adrianus Daude in Tabula ſua Geographica (*b*) non longe a Boſphoro Cimmerio in ipſo pene Ponti Euxini litore reponit, quid de ea ex Cedreno memoret Leunclavius a te laudatus, audiamus: (*c*) *Zicchia*, inquit, *Cedrinus quoque mentionem fecit velut civitatis in Aſia minore ſitæ, quum in Copronymo frigus inauditum memoria prodit, quo congelatis omnibus & ipſo mari, potuiſſe narrat itinere pedeſtri a Zicchia tranſiri mare ad ipſum uſque Danubium, id eſt ad oſtia Danubii, quæ in Thracia ſunt.* Non igitur ut tu ſarcaſtice ſcribis: *arborem annoſam transplantare conor, aut Tantali poma conſequor*, dum Zingos hos ex majore Aſia in minorem traduco, quin tu jam poma hæc captaſſe & deglutiiſſe ratus, advertis ſero tandem ea eſſe fugacia, & te cum Tantalo inani ſpe deluſum. Nempe hic tuus, hic aliorum tibi ſimilium error, ut quemadmodum paſſim omnia, ita etiam Geographiam ad hodiernæ ſcalam, numerum, menſuramque admetiamini. Profecto minor Aſia etiam ſecundum hodiernos Natoliæ fines accepta ex plurimorum ſententia prima Slavorum, idcirco & Zecchorum ſedes fuit. Nam memorat Herodotus in novem muſis Amazones ex Paphlagonum Themodoonta Henetorum patria ortas verſus Boſphorum & Mæotydis undas aſcendiſſe. Hinc Dionyſius in Periegeſi:

LUCIFER.

Pag. 49.

Mæo-

(*a*) Procopius Cæſar. l. 6. c. 1. de ædificiis Domini Juſtiniani Imp. (*b*) Adrianus Daude Hiſt. Univerſ. T. II. in reflex. in cap. 2. lib. 5. pag. 364. (*c*) Leunclavius Pandect. Hiſt. Turcicæ N. 280.

LUCIFER.

Mæota primum tangunt Mæotydis undas
Sauromatæque truces, gens aſpera Martis in armis
Sanguis Amazonidum,

Imo Herbelotius, (a) qui a Chalibibus Cappadociæ populis Paphlagoniæ finitimis inque minore Aſia ſitis Slavorum originem repetit, Arabice illos dictos vult *Secalebat Al-Heng*, *Sclavos Zingos*, ut vel abhinc jam Zingorum ſeu Zecchorum nomen repeti poſſit, ac ſtabiliri.

Ad §. XIV.

Pag. 49. & 50. Hoc Paragrapho Vir Cl. conaris evincere jam inde a Senecæ & Neronis Imp. temporibus Slavos accoluiſſe adverſam Danubii ripam, ac proinde innuis me operam perdidiſſe, cum tam longinque ex Aſiæ plagis Zecchos majores noſtros evocavi. Ad ſtabiliendam ſententiam tuam adducis Senecæ verba: *Danubius Sarmatica & Romana diſterminat*, magnoque ſupercilio gloriaris locum hunc Senecæ a te omnium primo adduci, hiſtoriæque Slavorum reddi, Pape! quantæ Luciferi tui criſtæ? quanta cornua? qui nocte lucidus, interdiu prorſum inutilis eſt. Itane nemini præter te hiſtoricorum, qui Slavicas res ſcripſere, lectus Seneca? Legerunt profecto plures verba hæc, ſed ſtrygnum bibiſſe noluerunt videri orbi literato, ut ex his verbis præſidium certum Slavis, Slavorumque hiſtoriæ elicerent. Nam quis prudens hiſtoriarumque veterum gnarus ſentiat Senecam per ſua *Sarmatica* meros Slavos intellexiſſe? igitur regiones ultra Danubium *Sarmatiæ* & *Sarmaticorum* nomine a Seneca indigitatæ, nonniſi a Slavis cultæ fuerunt? quid igitur Nariſci, Boji, Marcomanni, Quadi, Getæ, Rugi, Wandali, Heruli, aliique Gallici, Celtici, Scythicique populi, quos Danubius a Romanis diſterminabat, fuere gente ac ſtirpe Slavi? Quod ſi iſtud certum indubitatumque eſt, cur tamen poſterius Zecchos meos veteres Aſiæ incolas totis capitibus impugnaſti gente Slavos fuiſſe, cum Claudius Ptolemæus, Dionyſius omnesque veteres illos inter Sarmaticos populos cenſeant? Alias crebro docui: veteribus Geographis hiſtoricisque nomine Sarmatiæ & Sarmatarum diverſæ ſtirpis & linguæ populos veniſſe, ac non raro omnem aquilonarem Danubii ripam, lævumque Tanais fluvii litus cum ipſa palude Mæotydis Sarmatiam fuiſſe appellatam. Proclive id ex Plinio licet cognoſcere, qui de Danubii

, oſtiis

(a) Herbelotius Bibliothecæ Orient. p. 794.

oſtiis & ejus litore loquens ita ſcribit: (a) *Ab eo* (Danubio) *in planum quidem omnes Scytharum ſunt gentes, variæ tamen littori oppoſitu tenuere, alias Getæ, Daci Romanis dicti, alias Sarmatæ, Græcis Sauromatæ.* Et rurſum: *Scytharum nomen uſque quaque tranſit in Sarmatas atque Germanos. Nec aliis priſca illa duravit appellatio, quam qui extremi gentium harum ignoti prope cæteris mortalibus degunt.* Ubi vides a Plinio Scythas appellatos, quos Seneca Sarmatas dictitavit. Male igitur ex Senecæ & Flori allato loco argumentatus es: indubie per Sarmatas Slavos intelligi, quanquam enim Slavi paſſim Sarmatarum nomine comprehenſi, tectique fuerint, tamen id genericum nomen non ad eos ſolos ſpectabat, quemadmodum peſſime dixeris: Germanos hodie meros eſſe Suevos aut Saxones. Plures Gallicas, Celticas, Hunnicas, Turcicas, Germanasque gentes in Sarmatia olim ſediſſe, interque Sarmatas cenſitas fuiſſe, nemo hactenus eruditorum dubitavit. Etſi vero ego non inficiatus ſim Jazyges Metanaſtas ſeu exules Slavici fuiſſe generis, proxime Danubium olim habitaſſe, adeoque Zecchis illis Aſiæ nobis fuiſſe viciniores, attamen ſi tibi ab his Jazygibus gentem & majores noſtros repetere libuit, oſtendendum erat, quo pacto, & quo tempore circiter hi Marcomannos Quadosque exturbaverint, Boemiamque occupaverint, quo fato acciderit, ut infinitam Slavorum multitudinem, quæ demum ſæculo VI prorupit, ſecum traxerint, aut unde collegerint? profecto tot paradoxa, tot contradictoria te jam attulliſſe cognoſceres, quot narrationum capita produxiſſes. Nam vel ipſe non diffiteor, cum Annales patrios auſpicatus fuiſſem, illud primo veluti obtutu mihi omnium veroſimillimum viſum, gentem noſtram ab his Jazygibus originem traxiſſe, præcipue cum in Tacito legerem Marcomannos & Quados jam olim eorum equitatu ſæpiſſime in præliis uſos, idemque ſentiret doctiſſimus Ekkardus; cum autem hujus theſis probatione, ac deductione viginti facile plagulas irrito conatu perdidiſſem, deprehendi tandem coævorum monumenta omni loco mihi bellum indicere, nec hiſtorias, nec tempora rite poſſe conciliari. Quin etiam a multis gravibus ſcriptoribus in dubium vocari: num Jazyges iſti gente Slavi fuerint. Quare merito alio temonem vertere, atque ad veteres ejusdem nominis Zecchos deflectere neceſſum erat, quod hic unus ſolusque hiſtoriæ patriæ tranquillus portus ſupereſſe videretur. Quo in labore, quam me non fefellerit conatus, probat adverſus omnem vim ventorum LUCIFER.

Q pro-

(a) Plin. hiſt. Nat. l. 4. c. 12.

LUCIFER. proceſſarumque tuta quædam ſecuritas, probant adverſus omnes difficultates expedita arma, quæ omne ſibi adverſum facile elidunt, ſternunt, vincuntque; oſtendit quorumque eruditiſſimorum Virorum judicium, qui opinioni huic utroque pollice ſubſcribunt. Et profecto obſervavi ipſe crebra lectione ſcriptores alios, qui patriæ ſuæ origines ex criticæ legibus concinnare orſi ſunt, eo mentis aciem paſſim intendiſſe, ut gentium ſuarum nomina memoriasque ex græcis latinisque veteribus ſcriptoribus exquirerent, atque ſi in terris, quas hodie colunt, adventitias eſſe agnoſcerent, loca & tempora ſolerter explorarent, quibus olim majores ſui ſederint, quas ob cauſas illa dimiſerint, quo circiter puncto temporis in novas immigrarint. Quod ſtuduim æmulatus in Zecchorum illorum veterum ſede, emigrationis cauſis, tempore, ceterisque circumſtantiis, omnia diligentiſſime perſecutus ſum. Si enim indubitatum eſt, eos adventitios eſſe in Boemia, quidni conſentaneum ſit eos ante hunc ingreſſum alibi terras coluiſſe, & procul dubio nomen ſecum attuliſſe? Quod utrumque cum Græcorum Latinorumque ſcriptorum legitimis monumentis teſtatum fecerim, plurimis etiam certis indiciis eos gente & lingua Slavos fuiſſe probaverim, quidni præter hæſitationem concludam: veteres Aſiæ Zecchos majores noſtros fuiſſe? Neque vero me illa a quatuor fere ſæculis inolita Czechi opinio abſterrere potuit, quandoquidem vel ab ipſis ſanctis Patribus Hieronymo & Gregorio commendatam prolatamque de *Francione* gentis Francorum conditore opinionem hodie ab eruditis penitus confutatam, & pro fabula agnitam deprehendo, adeo ut Francorum origo multo certius a veteribus Francis hodie repetatur. Nec me latet, opinionem eam, quam vetuſtiſſimi quique ſcriptores de quodam Marpeſio ſaxo, aut Saxone, & Friſone Saxonum gentis conditoribus poſteritati tranſcripſerunt, hodie paſſim inter aniles fabulas rejici, poſteaquam Viri quique eruditi hujus & ſuperioris ſæculi antiquiſſimam Saxonum gentem ex veteribus Geographis detexerunt. Sic novi adhuc ante duo ſæcula a plurimis Chronicis celebratum Bavarum Bajoariorum patrem & auctorem, cum hodie nemo amplius in dubium vocet gentem hanc nomen & genus a vetuſtiſſimis Bojis accepiſſe. Quæſivit nobiliſſima Hunnorum ſeu Hungarorum natio ſedem ſuam nomenque in Aſia, atque invenit. Invenere illud Bulgari in vetere Bulgaria, Avares, Srbi & Ucri ad paludem Mæotydis, alii alibi, quis non glorioſius deputet gentis noſtræ pariter originem ſedesque ex ejusmodi veteribus Geographis hiſtoricisque exquirere, & nomen ſuum non

ab uno aliquo, ſæculo primum ſeptimo, ſupplicii metu profugo homine, LUCIFER.
ſed ab antiquiſſima potentiſſimaque Aſiæ gente derivare? Verum eadem, ut ſupra, chorda oberras, contraque opponis: nullum a me coævum allatum fuiſſe teſtimonium immigrationis horum veterum Zecchorum in Boemiam. At vero neque de Francorum, Saxonum, Bojorum, Bulgarorum aliarumque gentium in has novas regiones immigratione propter ſcriptorum veterum inopiam ſilentiumque quisquam certum coævum documentum protulit, nec tamen hoc ſilentio abſterriti hodie eruditi, ut ne pro illis ab omni veritate alienis veteribus figmentis palmam concedere maluerint illis, qui hujus nominis veteres populos detexerunt. Audi de Saxonum origine, rejecta illa veteri opinione audacter commentantem Maibomium: (a) *Vera autem & indubitata Saxonum origo eſt a Sacis gente Scythica in Aſia, a quibus Saſſones Ptolemæi in Scythia vel Aſia Boreali ſupra montes Alanos citra tamen Imaum montem habitarunt. Hi ex Aſia in occidentem, & deinde in provincias, quæ nunc Germaniæ ſunt, immigrarunt. Etſi quo definito tempore, quibusque Ducibus, & occaſionibus id factum ſit, nullus tradat.* Ego vero gentem ejusdem plane nominis ad paludem Mæotydis & Pontum Euxinum ex facile viginti veteribus oſtendo authoribus, luculentis quibusque argumentis probo lingua fuiſſe Slavicam, profero Hunnos, qui eam eduxere, ac poſtea Attilam, qui eam in Boemiam invexit, prodo tempora, omniaque veteribus memoriis congruere demonſtro, quidni majorem fidem præ illa mereatur ſententia mea? Cæterum teſtimonia, quæ eadem pagina 49. & 50. ex Jornande & Procópio de Slavis cumulas, Pag. 49. & 50.
temporibus minus recte conciliatis perperam adduxiſti, conſtat Procopium & Jornandem multo poſterius Attiliani regni everſione ſcripſiſſe, quo temporis ſpatio Slavos, plerasque Aquilonares Danubii plagas jam occupaſſe nuſpiam negavi, quin ipſe tueor atque defendo.

Ad §. XV.

I. Nihil novum inſolitumque Slavorum moribus affinxi; dum Pag. 51.
innato veluti odio eos olim Monarchias, Duces, Regesque averſatos ſcripſi, nec enim hæc cerebri mei figmenta ſunt, ſed primorum maxime illuſtrium, qui de Slavicis rebus ſcripſere, hiſtoricorum memoriæ & teſtimonia, Procopii inquam Cæſarienſis, Conſtantini Porphyro-

(a) Maibom. in notis ad Coſmodromium Gob. Perſonæ ætat. 5. c. 11.

LUCIFER rogeniti, Theophanis, Ditmari, Helmoldi, imo & Chriſtanni noſtri, quorum verba hoc in argumento tam clara ſunt, ut uſum oculorum judiciique amiſiſſe deputem, qui in iis perſpicuitatem, veritatemque non agnoſcat. Nec vero ante te Vir Cl. mihi vel ex recentiorum infinita pene turba lectus unquam unus aliquis, qui hunc priſcum veteribus Slavis morem, regiminisque Ariſtocratici ſeu Democratici formam diſputaſſet, aut illa vetuſtiſſimorum ſcriptorum teſtimonia in dubium vocare attentaſſet. Bellum igitur non mihi, ſed primis rerum Slavicarum oculatis auritisque teſtibus, quos hiſtoriæ patres, auctoresque omnia ſæcula venerata ſunt, indixiſti, cum Monarchico imperio veteres Slavos regi ſolitos contendis. Illi certe miro prorſus conſenſu in id unum conſpirant: Slavis veteribus olim præter ſeniores populi, familiarumque capita Principes gentis non fuiſſe, neque ab uno homine gubernari morem habuiſſe, ſed vixiſſe communi libertate, res omnes utiles, vel difficiles in commune conſilium deduxiſſe, mortem eum non effugiſſe, qui Monarchiam ambiiſſet, aut ad evertendam communem libertatem, vel moliminis ſuſpicionem ceteris præbuiſſet. (a) Credisne hæc vetuſtiſſimorum authorum, qui res ſibi contemporaneas fideliter ad poſteritatem tranſcripſerunt, teſtimonia ſatis idonea, certaque mihi videri potuiſſe, ut præter hæſitationem ſcriberem: Slavicas gentes olim innato quodam odio Monarchias, Duces, Regesque averſatas? Aliudne de primis Dalmatis, Croatis, Serbliſque, ut Porphyrogenitum a te tam indigne exagitatum prætermittam, ſenſit Presbyter Diocleas, Thomas Archidiaconus, Dandulus, doctiſſimusque Lucius? Aliudne de Slavis Aquilonaribus prodidere Theophanes, Adamus Bremenſis, Albertus Stadenſis, Helmoldusque? Aliudne de Luiticiis Ditmarus? Et in quo rei univerſæ cardo verſatur, alioſne mores, aut regiminis formam primis Bohemiæ habitatoribus tribuerunt antiquiſſimi noſtri ſcriptores Chriſtannus & Coſmas? num denique generatim de Slavis aliud ſenſit, ut Aſſemanum, Henſelium, Bandurium, aliosque prætermittam, Jordanus, e cujus pene unius fragmentis lucubrationem tuam conſarcinaſti? ſperavi vero te vel unum ſaltem recentiſſimum quemque Monarchico tuo Slavorum veterum imperio adducturum teſtem, ſed legendo, relegendoque opuſculum tuum, inani conatu defatigavi oculos; nam vel ipſos patrios noſtros ſcriptores Polonosque, qui impetu quodam pro-

celliæ

(a) Vide ipſa veterum teſtimonia in Prodromo noſtro pag. 55. & alibi.

cellæ ad amplectendum Czechi Lechique Principatum compulſi ſunt, LUCIFER. tamen ob tot vetuſtiſſimorum ſcriptorum clariſſima teſtimonia, vel poſt horum duorum fratrum mortem utrobique Democratici cujusdam regiminis genus popularibus ſuis concedere coactos negare non audes. Qui mirus itaque non modo priſcorum auctoritate pollentium Virorum, ſed recentium omnium conſenſus inter cetera graviſſima momenta unum mihi ex potiſſimis fuit, ut cum illum Czechi Principatum, ejusque ad univerſam gentem cum auctoritate quadam propagatum nomen cum reipublicæ Democraticæ memoriis conciliari minime poſſe adverterem, merito eum ex Annalibus patriis expungendum eſſe judicaverim. Verum

II. Exeris adverſus me aculeum, aisque *Fallitur autem, atque vehementer inclitæ nationi eſt injurius, ſi adeo feram opinatur* (Bohemorum gentem) *ut nullius paruiſſe dominio, nullius voluiſſe regi legibus eam arbitretur.* Itane hæc ſemper feritas eſt: nullum Ducem, nullum Regem agnoſcere? Itane regimen Ariſtocraticum, Democraticumque, aut tertium ex utroque coaleſcens feritas eſt? Feræ igitur tua ſententia fuere gentes omnes tum ipſa Græca & Romana, quæ olim ſimillimo ritu regi ſolitæ. Quid enim de Romanis ſuis majoribus ſcribit Salluſtius? *Urbem Romam condidere, atque habuere initio Trojani, qui Ænea Duce profugi incertis ſedibus vagabantur: cumque his Aborigines genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio liberum atque ſolutum.* (a) Quin eadem Ariſtarchæa cenſura feriendæ omnes nationes, quæ etiam hodie ſumma libertate, ac felicitate rerumpublicarum ſuarum beneficio perfruuntur. Quid ſi autem iſtiusmodi ſine Duce ſine Principe & lege primorum Boemiæ incolarum vivendi libertas maculam feritatis mereatur, an ego idcirco inclitæ nationi meæ injurius ſum? Visne, ut primis antiquiſſimisque patriæ noſtræ monumentis adverſa ſcribam, ſtatuamque? Visne veritati hiſtoricæ a veteribus proditæ vim inferam? Visne, ut Chriſtannum & Coſmam recentiorum figmentorum in gratiam falſos, mentitosque dicam? An Chriſtannus (heu quoties me hanc cramben recoquere coges!) non verbis expreſſis ait: (b) *At vero Slavi Bohemiæ, ipſo ſub Arcturo poſiti, cultibus idololatriæ dediti velut equus infrenis ſine lege, ſine ullo Principe vel Rectore vel urbe, uti bruta animalia ſparſim vagantes terram ſolam incolebant.* An non conformia ſcribit Coſmas? (c) *Injuriam alter ab altero ſibi illatam patienter ſufferebat,*

Pag. 51.

 & cui

(a) Salluſtius in Conjur. Catil. (b) Chriſtann. in vita & Paſſione SS. Wencesl. & Ludmillæ. (c) Coſmas in Chron. l. 1.

LUCIFER. *& cui querimoniam ſuam applorarat, judicem nec Principem habebat. Poſt hac quicunque in ſua tribu vel generatione perſona, moribus potior, & opibus honoratior habebatur, ſine exactore, ſine ſigillo ſpontanea voluntate ad illum confluebant, & de dubiis cauſis, ac ſibi illatis injuriis ſalva libertate diſputabant.* Verum quo Chriſtanni & Coſmæ ſenſum detorqueas, quantisque effugiis involvas, audiamus: *Neque noſtri*, inquis, *extraneive ſcriptores, Boemiæ aut alios quoſpiam Slavos ſine Rectore, Principe, vel absque legibus ſubinde vixiſſe referentes aliud dixiſſe voluiſſe intelligendi ſunt, quam quod Boemia, dum a Slavis occupata fuit, adeo ſub nullius exſtiterit dominatu, ut neque certas ſcriptas leges habuerit, a quibus novæ Slavorum coloniæ rectæ, & ſub jugum tractæ fuiſſent; ita ut in loco hoc deſerto pro lubitu ſuo nemine obſtante, quæ vellent facere, valuerint, ſuis propriis non alienis legibus vivere, atque in cauſis dubiis ab eo, qui inter eos ſive perſona, ſeu moribus cæteros antecellebat, ſententiam tanquam coram arbitro rogare libere potuerint; quam autem " Arbiter a partibus lectus non excludat, ſed ſupponat ſupremum judicem ex L. 32. ff. de recept. arbitr. liquidum eſt, quod quidem Chriſtannus, & Coſmas per auxeſin infrænis equi abunde exprimunt.* Vah quantum iſtud verborum ſententiarumque chaos! quantum interpretationis monſtrum! quis Commentatorum unquam eo ingenii ſui acie tam feliciter eluctatus eſt, ut pro *judicibus*, *rectoribus*, *Ducibusque*, quos genti noſtræ veteres ſcriptores negarunt, *ſcriptas leges* accipi, & explicari poſſe noviſſet, quis ejusmodi interpretationis ſagacitate tam facile plauſum meritus eſt, ut rem acu tetigiſſe videretur? ſapienter namque in gente literarum omnium ignara exceptio fit per *ſcriptas leges*. Quæ vero hæc larva Principis, ſi ſubditi *pro lubitu ſuo nemine obſtante, quæ vellent, facere valent?* ſi ne quidem de cauſis dubiis judicandi ei poteſtas eſt, ſponteque lecti arbitri ſententia & judicio res definiuntur? ſed Juris civilis textum opponis: *Arbiter a partibus lectus non excludit, ſed ſupponit ſupremum judicem.* Mirum! ridete vel ipſi parietes his verbis perculſi, aut chartæ hoc verborum fuco illitæ! Arbiter præſupponat ſupremum judicem, qui in rerum natura tum non exſtitit? Quis te tam averſum a Muſis æſtimaſſet Lucifer, ut quæſtionem juris tam imperite ad facti quæſtionem, ad hiſtoriam detorqueres? & leges civiles Romanas ad barbararum gentium mores accommodares? Igitur nusquam arbiter illiusque cognitio ſine judice in rerum natura exiſtere potuit? & gentes omnes ex juris poſterius inventi legibus vivere oportuit? Male, male luce tua præis, meras umbras & tenebras inferes, emorietur in te vel ipſum rationis lumen, niſi propere ac tem-

pori

pori de oleo circumſpicis. Evaneſcit tenuis tuæ lucernæ ſplendor ad ſolis (Chriſtanni inquam & Coſmæ) claritatem, nec lucernæ tuæ aliquis uſus, aut pretium erit, niſi ad ſpiſſam noctem, imperitos, inquam, antiquitatisque rudes te conferas. Illis, ſi tibi placet, lucem facemque præfer, orbis literatus ſole illuſtratus, nec luce tua eget, nec illam quidem advertit. LUCIFER.

Ad §. XVI. XVII. & XVIII.

I. Huc omnis tuus conatus his paragraphis redit, ut oſtendas Henetos olim præclaris legibus inſtructos florentem ſub Regibus populum fuiſſe, ipſosque Sarmatas olim complures Reges, Ducesque numeraſſe. Ad primum ut reſpondeam: Nuſquam ego ea, quæ de Slavorum ab Henetis origine in Prodromo meo attuli, tanquam certam hiſtoriam, hiſtoricamque veritatem lectori venum propoſui, ubique conjecturarum & veroſimilitudinis nomine uſus ſum, alios cumprimis vetuſtiſſimos quosque hiſtoricos, inter quos Quintus Curtius Rufus familiam ducit, ſecutus, quibus Venedorum ſeu Slavorum gentem ab Henetis repetere placuit. Quis enim in hoc antiquitatis labyrintho certam metam, callem, exitumque inveniat? quis unquam in gentium originibus & migrationibus, quas meris fabulis permixtas eſſe vel ipſa jam agnovit antiquitas, hactenus quaſi dictatorio calculo verum definire auſus eſt? Verum quandoquidem tritam ab aliis ſemitam ingreſſi ſumus, merito ab ea deflectere, aut pedem retrahere haud fas eſt. Inſiſtemus igitur greſſui, & quidquid in viam accelerationique noſtræ objectum fuerit, imperterrito pede proculcabimus. Argumenti tui viseo ſpectare videtur Vir Cl. ut, quandoquidem conſtet Henetos olim moribus & legibus excultum, clarisque Regibus illuſtrem fuiſſe populum, vix cogitatione aſſequi liceat, qui poſtea in Boemiam tranſiens tam efferis moribus depingi poſſit, ut ne ullius quidem dominatum pati didiciſſet? At vero ardeo quantus quantus ex lucubratione tua legere vetuſta exempla morum, doctrinæ, politicesque de Henetis tuis? ubi illa? nuſpiam, nuſpiam. Henetos bellis inclaruiſſe, militia præſtitiſſe, equos & mulos magni roboris nutriiſſe, agriculturæ ſtudio vacaſſe, domus non contemnendas circa Partheniunr fluvium coluiſſe, ex Homero, Quinto Curtio Rufo, aliisque legimus, nec aliud quidquam præterea. At vero nullum horum primis moribus Slavorum Boemiæ repugnat, quos pariter a belli gloria, animi fortitudine, agro-

rum

LUCIFER. rum colendorum peritia, equorum nutriendorum, & ad belli uſum accommodandorum cura in veteribus commendatos reperturus es. Ut autem Henetos gentem legibus, literis, & moribus excultam & pene Græcorum politicæ parem effingas, tantum ſagitta tua a ſcopo aberras, quantum coecus, ſi ei arcus & pharetra in manus detur, deflectere ſolet. Non alio unquam Græcis Heneti Paphlagonesve, quam barbarorum, efferorum, incultiſſimorumque hominum nomine, ne aſperius quid dicam, veniunt. Ne autem hic cum Chamo impudenter verenda patrum detexiſſe, aliorumque ludibrio expoſuiſſe videar proferendo veterum teſtimonia, conſule, ſi libet Luciani Pſeudomantem, Porphyrogeniti librum 1. pag. m. 9. de Thematibus, Quinti Curtii librum 6. & cum primis Joannis Henrici Rapp in hunc Curtii locum commentarium, & quam atro carbone mores Paphlagonum Henetorumque deſcribantur, cogniturus es. Jam vero ſi omni civilitatis genere perpolitiſſimam Henetorum gentem fuiſſe tibi concedo: egone is fui, qui auſus majoribus noſtris barbariem feritatemque affingere? iſtud ſi tibi adſtruxiſſe vitium & peccatum viſum eſt, non meum ſed Chriſtanni atque Coſmæ eſt, in eos ſtylum exacue, qui has veteres primorum Slavorum Bohemiæ memorias poſteritati transmiſerunt, iſtorum culpa eſt, qui eos non melioribus moribus depinxerunt. Mihi qui rerum harum nec auritus, nec oculatus teſtis ſum, nihil aliud ſupereſt, quam ut hos veteres fideliter exſcribam, a quorum relatis recedere, aut magis civiles mores affingere, merito mihi piaculo ſit, veritatem nempe umbris ac nubibus obducere. Altius mihi quam tibi animo ſedent M. Aurelii Caſſiodori de fidelitate hiſtoriarum veterum exſcribendarum verba: (a) *Translator*, inquit, *eſto, non conditor antiquorum geſtorum, exemplar velut annulum ceris imprime, ut ſicut vultus expreſſa ſigna non poſſunt refugere, ita manus tua ab authentico nequeat diſcrepare.* Quid vero tibi Polyhiſtori hoc novum inſolensque videri potuit: gentem aliquam a cultu ad barbariem recidiſſe? (ſi videlicet moribus perpolitiſſimos fuiſſe Henetos ultro tibi concedo) Nunquam legiſti in Vellego Paterculo: *Quemadmodum urbium, imperiorumque, ita gentium nunc floret fortuna, nunc ſeneſcit, nunc interit?* An nunquam aliarum gentium, florentiſſimorumque regnorum exempla tibi lecta ſunt, quæ bellis, Rectorum tyrannide, ignavia, avaritia, ſeditionibus, civium luxu, emigrationibus a ſumma felicitate, ad poſtremam calamitatem de-

(a) M. Aurelius Caſſiodorus variar. l. 12. de officio ſcribæ.

dejectæ ſunt? Ubi, ut brevitatis cauſa vel unam alteramve gentem regionemque commemorem, ubi nunc veterum Græcorum potentia? doctrina? cultus? Muſæ? ubi Paleſtinæ ſanctitas majeſtasque? ubi Africæ totius ſapientia & gloria? An non hæc communis rerum humanarum terreſtriumque viciſſitudo, ut curſu temporum fatisque urgentibus jam a barbarie ad cultum, jam rurſum a cultu ad barbariem relapſas ſpectemus legamusque nationes? Profecto id de Gallis ſumma admiratione dignum prodit Mabillonius, cum ſcribit ſæculo ordiente VII. Anglos orientales literas & eruditionem a Gallis accepiſſe, intercidentibus poſtea bellorum tumultu in Galliis literis, rurſum ab iis paulo poſt ſæculo ſequente, quibus ante tradiderant, per Carolum Magnum accepiſſe. (a) Haud aliter res cum Henetis accidere potuit, qui ſi tamen, ut tu perperam atque ſine tabulis adſtruis, Græcorum vicinitate ac commercio ad cultum aliquem efformati ſunt, mox Græci jugi impatientes ad Aquilonem Mæotydisque plagas progreſſi, inter ſolitudines ſilvasque rurſum ſilveſcere cœperunt, Hunnos deinde ac Attilam per maxima terrarum ſpatia vagasque ſedes ſecuti, nonniſi armis quærendoque victui intenti curam morum, cumque hac prolium rite educandarum ſollicitudinem projecerunt. Quo fato nemo mirabitur, illam a noſtris ſcriptoribus proditam majorum noſtrorum barbariem enaſci potuiſſe. Lucifer.

II. Ad Henetorum Reges Ducesque (quorum prolatione te veterum Slavorum Monarchicum regimen evicturum arbitraris) ut veniamus, ais primo: *Sane Curtius, qui ſub Auguſto & Tiberio*: imo veroſimilius ſub Veſpaſiano aut Claudio) *floruit, in exercitu Alexandri Magni etiam Henetos fuiſſe, eorumque regionem regi paruiſſe memorat.* Et infra in ſcholiis adducis locum ipſum Curtii mutilum tamen eviſceratumque his verbis: *Jamque ad urbem Ancyram ventum erat, ubi numero copiarum inito Paphlagoniam intrat. Huic juncti erant Heneti .... Omnisque hæc regio paruit Regi.* Ego vero ſane, ſi alias ſummas virtutes Luciferi tui, humanitatem, clementiam, affabilitatem, lepores & gratias ſæpe miratus ſum, fidelitatem illam accurationemque in citandis exſcribendisque authorum teſtimoniis, impar ſum laudando & celebrando. Nam cum Curtius ait, Alexandrum Magnum Paphlagoniam intraſſe, eam ſibi ſubjeciſſe, ad obſides dandos coegiſſe, tributum remiſiſſe, tum Calam huic regioni præfeciſſe, Lucifer tuus truncationibus ſuis tam affabre Pag. 53.

R Car-

(a) Mabillonius ſæculo III, Benedict. P. 2.

LUCIFER. Curtii textum adornavit, ut Lectori, neſcio, quem novum Heneto um Regem perſuaderet. Sed verba integra Quinti Curtii Rufi jam ſegmentis tuis opponamus: (a) *Jamque ad urbem*, inquit, *Ancyram ventum erat, ubi numero copiarum inito, Paphlagoniam* (Alexander Magnus) *intrat: Huic juncti erant Eneti, unde quidam Venetos trahere originem credunt. Omnisque hæc regio paruit regi* (nempe Alexandro M. nam mox ſub ungit author) *datisque obſidibus, tributum, quodne Perſis quidem tuliſſent, pendere ne cogerentur, impetraverunt. Calas huic regioni præpoſitus eſt, ipſe aſſumptis, qui ex Macedonia nuper advenerant, Cappadociam petiit.* Hem! quantum Myſorum & Phrygum diſcreti termini. *Alterum* Henetorum Regem producis *Pylemenem*, illum bello Trojano inclitum Ducem, de quo jam ad §. V. egimus, quemque ex aliorum ſententia nonniſi belliducem, dynaſtam, aut ſatrapam Paphlagoniæ fuiſſe diximus, quemadmodum haud aliud fuit Thyus ex eadem Pylemenis ſtirpe progenitus, ut luculenter id innuit Cornelius Nepos: (b) *Erat*, inquit, *eo tempore Thyus dynaſtes* (ſeu ut Emmanuel Sincerus aliique explicant, *ſatrapa*) *Paphlagoniæ, antiquo genere natus a Pylæmene illo, quem Homerus Troico bello a Patroclo interfectum ait. Is regi* (Artaxerxi) *dicto audiens non erat: quam ob cauſſam bello eum perſequi conſtituit, eique rei præfecit* (Artaxerxes) *Datamem propinquum Paphlagonis. Namque ex fratre & ſorore erant nati.* Videsne hunc Thyum & Datamem, atque idcirco ipſum Pylæmenem haud alia authoritate quam Præpoſiti, præfecti, dynaſtæ aut ſatrapæ præfulgentem, quemadmodum & ſupra Calas ab Alexandro Magno iſthic *Præpoſitus* conſtitutus legitur. Quod clarius explicat Conſtantinus Porphyrogenitus (c) his verbis: *Quando vero Perſæ*, inquit, *imperium obtinebant, & poſt hos Macedones univerſa Aſia in ſatrapias diviſa erat, atque alius quidem erat Satrapa Lydorum, alius Phrygum, alius Jonum, alius Pamphyliorum, alius Carum, alius Paphlagonum &c.* Perſæ igitur Græcique dominationem in Paphlagoniam vicinasque regiones conſecuti provinciarum iſthic Præfectos conſtituerunt, tranquillitatis autem publicæ cauſa primum paſſim ſatrapas iſtos ex ipſa gente, quam ſubdiderant, delegerunt, quorum munus erat placita celebrare, delectum juventutis ad militiam facere, auxilia bellique ſocietatem indicere, Regum Perſiæ Græciæque, mandata ad univerſam provinciam perferre, tributa in fiſcum & ærarium Regis cogere. Sub qua Præfec-

(a) Qu. Curt. Ruf. l. 3. c. 1. ſub finem. (b) Cornelius Nepos in Datame c. 2. (c) Porphyrog. de Themat. l. 1. p. 4.

ſectura num interior Reipublicæ Henetorum ſtatus alteratus mutatiſque fuerit, nihil proditum eſt, nec tamen obſtat quidquam, ut ne dicamus Ariſtocraticum Democraticumque regimen ſub hac ipſa ſatraparum Perſicorum aut Græcorum Præfectura apud Henetos fuiſſe conſervatum, quandoquidem plurimis exemplis teſtatum eſt alias etiam gentes bello ſubactas penes ſuas veteres conſuetudines, inſtitutaque patria conſervatas fuiſſe. Habemus id præſertim etiam poſterius Francorum regum exemplis teſtatum, qui Aquilonarium quorumque Slavorum ipſorumque Moravorum victores iſthic Comites & Præfectos conſtituere ſoliti, quin tamen interior reipublicæ Slavicæ ſtatus, regiminisque forma mutata fuerit. Sic in querela Epiſcoporum Bajoariæ dominatum apud Moravos obtinente adhuc Zuentibaldo legitur: (a) *Etiam & noſtri Comites illi terræ* (Moraviæ) *confines placita ſecularia illic continuaverunt, & quæ corrigenda ſunt, correxerunt, tributa tulerunt, & nulli eis reſtiterunt.* Quam infirma autem univerſim argumentatio tua ſit a violento reipublicæ alicujus gentisque ſtatu ad majorum inſtituta, moresque patrios nemo non videt. Victis ſubactisque gentibus non amplius liberum eſt ſuo genio atque arbitrio vivere, victoris illos paſſim leges & præcepta ſequi neceſſe eſt. Ab ipſis Slavis Duces Regesque delectos non aliorum tyrannide intruſos ex hiſtoriis antiquis proferre convenerat. *Tertius* inter Henetos Dux a te laudatur *Antenor*, quem unum e Trojanis fuiſſe Principibus, non Henetis, omnes ii etiam vetuſtiſſimi, qui res Trojanas Venetasque ſcripſerunt, ſenſere; is Troja capta *mediis elapſus Achivis*, ut canit Virgilius (b) *navium claſſe parata, & patriis rebus hominibusque, quos arbitrio ſui delegerant, onuſta, panſis velis ad Italiam remigavit*, ut inquit Meſſala Corvinus. (c) Quod vero gente Trojanus fuerit, prodit mox laudatus Meſſala Corvinus his verbis: *Antenor ex Laomedontis* (quinti Trojani Regis) *vel, ut quibusdam placet Priami ſorore natus, Aſſueri viri nobiliſſimi fuerat filius.* Cum porro in hac claſſe Trojanorum non minor imo procul dubio major quam Henetorum numerus fuerit, nihil hiſtoriæ Slavorum officit, ſi etiam Dux aut Rex dicatur, cum Trojanis Reges fuiſſe nemini ſit incognitum. Quanquam paſſim eruditi hunc ipſum Antenorem nil aliud quam bellideucem, claſſisque præfectum faciant. *Quartum* denique alium Pylæmenem Paphlagonum Regem rite ex Sext. Ruffi Breviario & Jornandis de regnorum ac LUCIFER.

(a) Hundius Metrop. Saliſb. T. I. p. 30. (b) Virgilius Æneid. 1. (c) Meſſala Corvinus de Auguſti progenie.

LUCIFER. ac temporum ſucceſſione profers, qui antequam Romani Paphlagoniam occupaſſent, atque in provinciam redegiſſent, huic genti præfuerat. Conſtat ex hiſtoriis: cadente Græcorum imperio, & Romanis victrices ſuas aquilas in Græciam & Aſiam explicantibus Satrapas quosque Thematum & provinciarum Græcarum excuſſo Græco jugo tyrannidem auſpicatos, ſeque pro Regibus geſſiſſe, quid mirum ſi ſimile quid dynaſtæ & ſatrapæ Paphlagoniæ auſi ſunt? certum tamen eſt, hanc tyrannidem inviſam fuiſſe Paphlagonibus, nam ſcribit a te laudatus Sextus Rufus Pylæmenes *ſæpe ex ea* (Paphlagonia) *pulſus*, *a nobis* (Romanis) *eſt reſtitutus.* Certum etiam eſt hanc tyrannidem modico nonniſi duraſſe tempore, nam Paphlagonia in provinciam redacta, illico iſthic rurſum ſucceſſere ſatrapæ, imo poſtea Prætores, ut vel in ipſo Corpore Juris Conſtitutionem Juſtiniani Imperatoris legere fas ſit ad Prætorem Paphlagoniæ & Proconſulem Cappadociæ datam. (a) Quanquam hic ipſe *Regis* titulus Pylæmenem hunc re ipſa Regem fuiſſe minime probet, conſtat enim titulum *Regis* olim a veteribus non eo rigore, ut hodie acceptum, quare etiam Cornelius Nepos ſupra nominatum *Thyum*, quem alias nonniſi Dynaſtæ nomine impertit, poſtea (b) *nobilem regem appellat.* Cui loco recte ſubjicit Emmanuel Sincerus: Die Landvögte wurden zuweilen *reges & reguli* genennet. Ut itaque in hoc Pylæmene adverſus Henetorum Ariſtocratiam aut Democratiam nihil prorſum tibi ſubſidii ſit. Cæterum teſtatum mihi fac ex aliquo vetere ſcriptore, Henetos hos uſque ad hæc tempora perpetuo in Paphlagonia perſtitiſſe, non emigraſſe, aut ab alia gente pulſos, novamque illis ſucceſſiſſe. Nusquam legiſti Senecæ verba: *aſſiduus humani generis diſcurſus eſt, nova urbium fundamenta jaciuntur, nova gentium nomina extinctis prioribus, aut in acceſſionem validioris converſis oriuntur. Itaque vix invenias ullam terram, quam etiam nunc indigenæ incolunt. Permixta omnia & inſitia, alius alii ſucceſſit.* (c) Sed quid tam longa argumentatione, tantisque demonſtrationibus mea fulcio aut me excrucio? ſive Heneti veteres Reges Ducesque habuerint, ſive illis caruerint, inconvulſa manent Chriſtanni verba: *Slavi Boemiæ ſine ullo Principe vel Rectore terram ſolam incolebant.*

Pag. 54. III. Ad alterum de Sarmatis argumentum tuum ut jam reſpondeam: Antea ex Plinio aliisque oſtendi, non ceſpitare modo ſed humi

mi

(a) Liber Conſtitutionum Novellarum D. N. Juſtiniani Tit. IX. Novella XXX.
(b) Cornelius Nepos in Datame c. 3. (c) Seneca in conſolatione ad Helviam.

mi graviſſime allidi Luciferum tuum, cum indubie Sarmatarum nomine Slavos intelligi autumat; oſtendi ante a vetuſtis ſcriptoribus hoc generico nomine quoscunque barbaros, Scythas, Dacos, Getas, Germanos, Gallos, Celtasque fuiſſe acceptos, quod jam antiquiſſimis ſcriptoribus in uſu fuiſſe his verbis prodit Strabo: (a) *Veteres Græcorum ſcriptores univerſas gentes ſeptentrionales Scytharum, & Celto-Scytharum nomine affecerunt. Iis autem antiquiores, ita diviſerunt eas, ut qui ſupra Euxinum, Iſtrum, & Adriam incolerent, eos omnes Hyperboreos, Sauromatas, & Arimaſpos appellarent.* Procopius vero de bello Gothico l. 4. c. 5. *Hinc longius ſiti erant Gotthi, Viſigotthi, Vandali aliique omnes populi Gotthici; qui & Scythæ quondam nominabantur, communi utique illarum partium appellatione: in quibus erant qui Sauromatarum vel Melanchlæorum, aliove quopiam peculiari cognomento gauderent.* Vide etiam de hoc nomine copioſe diſſerentem (b) Jordanum qui tandem ita finit: *Concludendum itaque vocem Sarmatæ non eſſe Slavicæ, cui nec in minimo congruit, ſed Celticæ originis & radicis, atque generaliorem eſſe, quam ut Slavos ſolos comprehendat.* Jam adductos a te Sarmatiæ Reges, quemadmodum antea Heneticos, excutere liceat, atque inquirere, num in hiſtoriis veſtigia non ſuperſint, eas de aliarum gentium Regibus loqui, aut certe Regis titulum improprie acceptum fuiſſe. Primum pro Sarmaticis Regibus teſtimonium repetis ex Senecæ epiſtola 80. his verbis: *Vides illum Scythiæ Sarmatiæve Regem inſigni capitis decorum.* Quibus quidem verbis qua confidentia regem aliquem Slavorum obtrudere velis non video, cum enim Seneca, particula disjunctiva *ve* ſeu *vel* utatur, plane liquet eum ex mente coævorum ſibi geographorum ſupraque allati Plinii locutum, qui trans Iſtrum ſitas regiones ſeu Scythiam ſeu Sarmatiam appellarunt, ut itaque is Sarmatiæ Scythiæve Rex quicunque Dacus, Geta, Gallus, Celta, Germanusve eſſe potuerit. Certe Procopius Cæſarienſis omnes Gothos diverſarum appellationum hoc nomine cenſet, inquiens: (c) *Nationes Gothicæ, ſed inter illas Gothi, Vandali, Viſigothi & Gepades cum numero, tum dignitate præſtant olim Sauromatæ dicebantur ac Melanchlæni, quidam etiam Getarum nomen ipſis tribuerunt.* Sed quid has quisquilias crepundiaque in forum hiſtoricum profers? an hic hiſtorice, an non potius allegorice loquitur Seneca? qui cum hac epiſtola docet, quæ vera ſit felicitas, & quam vana illa ſit, quæ ſe quandoque externo

LUCIFER.

(a) Strabo Geograph. l. 11. (b) Jordanus in Orig. Slavic. N. 703. & 704. (c) Procopius de bello Vandalico l. 1. c. 2.

LUCIFER. ſplendore prodit, exemplis & uſu quotidiano probat non cuivis larvæ ac lenocinio fidem haberi: niſi diligenter exploretur, excutiaturque; itaque ait: *Omnium iſtorum perſonata felicitas eſt. Contemnes illos, ſi deſpoliaveris. Equum empturus, ſolvi jubes ſtratum, detrahis veſtimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant; hominem involutum æſtimas? Mangones quicquid eſt, quod diſpliceat, aliquo lenocinio abſcondunt. Itaque ementi ipſa ornamenta ipſa ſuſpecta ſunt, ſive crus alligatum, ſive brachium aſpiceres, nudari juberes, & ipſum tibi corpus oſtendi. Vides illum* (ſubjungit) *Scythiæ, Sarmatiæve regem inſigni capitis decorum? ſi vis illum æſtimare, totumque ſcire qualis ſit, faſciam ſolve, multum mali ſub illa latet.* Quæ poſteriora verba cate truncaſti, ut allegoria non appareret. Loquitur hic autem Seneca ex vetuſtiſſimi Adagii ſenſu: *Barbarus Rex*, quo perſonatam felicitatem, larvamque indigitabant veteres Romani, cumque Sarmatæ ſeu Scythæ paſſim barbarorum nomine venirent, ille per Synecdochen ſpeciem pro genere accepit. *Alterum* ex Idatii faſtis Sarmatarum Regem *Rauſimodum*, qui ſub Conſtantino M. ſæculo ineunte tertio Sarmatis præfuit, allegas. Profecto vox ipſa *Rauſimodus* Slavum ſtirpe & lingua oſtentat! quis te veteris linguæ Slavicæ ſcientiſſimum non admiretur? Fuerene dyphthongi, præſertim *au* priſcis Slavis? Quid vero Jordanum alias diligenter exſcribere ſolitus, non quoque illius judicium nobis tranſcripſiſti, quid de Sarmatarum vetuſtis memoriis usque ad Sæculum III. prope exiens ſenſerit? (a) *Hucusque ergo*, inquit, *quod de Sarmatis refertur, nullatenus ad Sarmatas Venedos ſeu Slavos pertinet, ſed hi primitus ſæculo tertio finiente, Romanis innotuerunt.* His certe regionum confiniis de nullis aliis Regibus, quam Quadorum conſtabat, quibus Reges dare ſolebant Romani, ut etiam numo Romæ excuſo in Prodromo meo oſtendi. Ceterum graviſſime hallucinatus es; cum illa, quæ ex Idatio perperam refers, verba Idatii eſſe credidiſti, illiusque nomine Lectori propinaſti. Indiligenter Jordanum legiſti, ex cujus N. 699. pag. 84. hæc habes. Jordanus enim non Idatii ſed verbis ſuis hæc loquitur, & Rauſimodum illum non in Idatio, ſed Zoſymo & Porphyrio quærendum eſſe recte docet. *Tertium* prolato Jornandis loco *Babai* Sarmatarum Regem profers, quem locum cum pariter ex Jordani Originibus Slavicis Num. 768. exſcripſeris*, quid obſecro, fraudaſti eruditum orbem, & non quoque ejusdem Jordani præclarum de hoc Slavorum Rege judicium ex-

(a) Jordan. Orig. Slavicar. c. 10. ſ. 4.

exſcripſiſti? Nam cum contra Peſſinam fuſe argumentatur hunc Babai non eſſe Bogo Antharum rege ſatum primumque Moraviæ Regem, concludit: (a) *Babacus igitur, ſeu ut Jornandes eum vocat, Babai nullatenus ſuo tempore, quo Heruli terris Quadicis potiſſima ex parte dominabantur, Slavo-Moravorum Rex eſſe poterat, ſed Rex vel potius Primas & Waywoda erat Slavorum limigantium ſeu Slavinorum.* Sed merito hæc verba Jordani transmiſiſti, qui non Slavorum Waywodas, ſed Reges ad eorum Monarchiam ſtabiliendam quæſiiſti. Ego vero nec hunc Babai: nec Sarmatas commemoratos conciliatis veterum hiſtoriis auſim Slavos facere, præterquam enim nec Peſſina nec Jordanus ullo idoneo documento oſtenderit Slavos fuiſſe, imo poſterior pluribus locis ipſe ea de re dubitet, nutetque, certum eſt ex Jornande hunc Babai ejusque gentem Singidonum, viciniasque Sirmii tenuiſſe, certum etiam eſt ex illo, ſub Leone orientis Imperatore circa annum 470. a Thedderico Babai Sarmatarum regem inopinum oppreſſum interemptumque fuiſſe. Jam cum ex hiſtoriis clarum ſit hoc tempore regiones has a Gepidis fuiſſe cultas, (b) qui paulo ante everſo filiorum Attilæ imperio, Hunnisque retro cedere coactis iſthic dominationem, regnumque maxime protenderunt, procuidubio ſub hoc Sarmatarum nomine haud alii atque Gepidæ latere videbuntur; nam etiam ad Savum fluvium ſtatuit, nominatque Sarmatas Jornandes, cum tamen certum ſit ea tunc regionum confinia non coluiſſe Slavos. Sane Jornandem Scytharum & Sarmatarum nomen, more adhuc illius ævi, non pro ſpecifico, ſed generico populorum e Scythia & Sarmatia egreſſorum nomine accepiſſe, nemo inficiabitur, qui eum conſuluerit; oſtendimus id jam ante in Alanis, oſtendimus etiam in Antis Venedis Slaviſque, quos Scytharum nomine comprehendit. *Quartum* locum apud te obtinet *Zizais* Sarmatarum Rex, cui propter rerum multitudinem ſermonisque prolixitatem jam peculiarem paragraphum concedamus.

Lucifer.

Pag. 56.

IV. Erroris me inſimulas Vir Cl., quod Zizaim in Prodromo meo *Quadorum regalem* appellem, quem tu gente Slavum, Slavorumque Regem fuiſſe omnibus nervis contendis. Ego vero Ammiani Marcellini libros, qui a decimo quarto hodie ſuperſunt, non ex fragmen-

(a) Jordan. Orig. Slav. c. 28. §. 22. (b) Jornandes de rebus Geticis c. 22. & Procopius de bello Vandalico l. 1. c. 2. ita diſſerit *Antiquæ eorum ſedes trans flumen Iſtrum: Exin Gepædes Singedonem ac Sirmium cum vicino tractu, qua cis, qua ultra fluvium Iſtrum, ubi etiamnum habitant, occuparunt.*

LUCIFER. gmentis Jordani, ſed ex ipſis fontibus haud indiligenter legi. Nec mihi tectum eſt pace cum Quadis, Sarmatisque inita tandem a Conſtantio Sarmatis Limigantibus regem datum, verum cum, antequam ad eam dignitatem evectus eſſet, jam Marcellinus l. 17. eum *regalem* appellet, conciliatis hiſtoriis eum maxime ex tribus capitibus Quadorum non Slavorum regalem appellandum eſſe merito cenſui. Et primo quidem, cum *regalis* proprie filium regis, aut regio ſanguine natum juxta ipſum Marcellinum, Gloſſarium Dufreſnii, aliosque Gloſſatores connotet, non neſcirem autem his regionum confiniis ſolis Quadis reges a Romanis dari ſolitos, hinc merito Zizaim e Quadorum regia ſtirpe progenitum cenſui, præſertim cum idem Marcellinus paulo infra pag. m. 444. ejusmodi Quadorum Regis filium *regalem Vitrodurum* nuncupet his verbis: *Quorum regalis Vitrodurus, Viduarii filius regis. Secundo* non mihi credibile viſum eſt Zizaim hunc *regalem* tolerandum ſervandumque fuiſſe a Sarmatis limigantibus, ſi ex eorum regia aut dominorum ſtirpe fuiſſet, nam illi teſte eodem Marcellino omnes dominos ſuos in exilium exturbarunt. Verba illius ſunt: *Potentes olim ignobiles erant indigenæ hujus regni, ſed conjuratio clandeſtina ſervos armavit in facinus: atque ut barbaris eſſe omne jus in viribus aſuevit, vicerunt dominos ferocia pares, & numero præminentes. Qui confundente metu ad Victiobalos diſcretos longius confugerunt, obſequi defenſoribus, ut in malis optabile, quam ſervire ſuis mancipiis arbitrantes. Tertio* cum Marcellinus hunc Zizaim perpetuo a Quadorum parte ſtetiſſe, atque in ipſa Quadia egiſſe affirmet; imo eodem capite dicat *Sarmatas & Quados vicinitate & ſimilitudine morum armaturaque concordes* fuiſſe, non immerito ei in hiſtoria Quadorum locum conceſſi. Ut autem mox dicta teſtimonio Marcellini rurſum roborem, en verba illius: *Junctis denſius cuneis ad Quadorum regna properabat exercitus, qui ex præterito caſu impendentia formidantes rogaturi ſuppliciter pacem fidentes ad Principis venere conſpectum. Ergo hæc & ſimilia lenituris; dictoque die ſtatuendis conditionibus, Zizais quoque etiam tum regalis haud parvi corporis juvenis ordines Sarmatarum more certaminis inſtruxit ad preces; viſoque Imperatore abjectis armis pectore toto procubuit exanimis ſtratus.* Audiiſti hæc in Quadorum terris geſta eſſe, audiiſti etiam *Quadorum regna* appellari, quod vel ipſi hi Sarmatæ ſub Quadicis regnis cenſerentur. Nam & paulo ſupra memorat Marcellinus: *Cerebantur hæc in ea parte Sarmatiæ quæ ſecundam proſpectat Pannoniam*, quo loco rurſum Quadiam ſub Sarmatia cenſet, quam primæ ſecundæque Pannoniæ objectam fuiſſe conſtat. Immerito igitur mihi erroris maculam illiviſti,

ſti, quam uno veluti ſpongiæ ductu facile dilui. Sed jam ad limigantium horum genus ſtirpemque eruderandam ipſumque regis titulum tranſeamus. Limigántes hos Sarmatas primus omnium Slavos facit Jordanus in originibus ſuis Slavicis, hoc unico perſuaſus argumento, quod verbis illius referre libet: (a) *Hos limigantes veros fuiſſe Slavos verbum licet unicum ab Ammiano in relatione ultimi prælii adverſus ſervos relatum*, Marha *nempe . . . comprobat . . .* Totum igitur Jordano in voce *Marha*, quæ vetuſto Slávico idiomate omnino *armentorum gregem* connotabat, præſidium, ſed quam imbecillum iſtud arundineumque argumentum ſit, jam palam faciemus: Vox *Marha*, *Mahr*, & *Maruch* tam bene uſitata erat veteribus germanis, Gallisque, ac idem fere, quod apud Slavos connotabat, præcipue autem pro equo accipi ſolita: ſic Lex Alem. tit. 69. §. 2. *Si ille talem equum involaverit quem Alemanni Marach vocant.* Idem habetur tit. 70. §. 2. & in Legibus Bajivar. tit. 13. c. 10. §. 1. ubi varie ſcriptum legitur: *Marach*, *March & Marh.* Recteque de hac voce adnotat Dufreſnius in Gloſſario ſuo: *Vetus eſt autem vox Gallica, ſiquidem Pauſanias in Phocicis p.* 335. ἱππων το ὀνομα *apud Gallos eſſe* μαρχαν *auctor eſt. . . . . Sed etiamnum Armorici noſtri, penes quos, ut & apud Guallenſes Anglos veteris Gallici idiomatis reliquias permanere ajunt, equum Marach dicunt.* Nec vetus vocabulum *Marſkalk*, ſeu Mareſcalcus aut hodiernum Mähr quod equam ſignificat aliunde quam ex hac veteri voce profluxit. Quod alterum eſt: Ammianus Marcellinus hos Sarmatas limigantes vocat *indigenas hujus regni*, ſeu in hac regione natos, & a majoribus editos, vocat etiam ipſorum regionem *avitas ſedes*, quod nequaquam de Slavis accipi poteſt, quos his locis adventitium fuiſſe populum nemo hiſtoriarum peritus ignorat. Maxime vero ipſe Jordanus jugulum ſuum petit, cum ait c. 10. §. 4. *Slavi primitus tertio finiente ſæculo Romanis innotuerunt.* Quomodo igitur ſæculo ineunte tertio jam cum Conſtantio bella geſſere, ab eo domiti, regemque accepe- runt? ut multo vetuſtiores horum Sarmatarum Limigantium memorias taceam. Ego vero per hos *Sarmatas limigantes* Marcellinum haud aliud intellexiſſe ſuſpicor, quam quandam *Marcomannorum* coloniam, Marcomannosque Quadis permixtos, nam *Limigantes* ſeu *limitanei* (ut etiam ipſe Jordanus explicat, latinum vocabulum haud aliud, quam vetus hodiernumque Marckmänner ſignificat, unde etiam Marcellinus hos limigantes *Sarmatas & Quados vicinitate & ſimilitudine morum, armaturaque*

(a) Jordan. in Orig. Slav. c. 10. & 11. §. 23.

LUCIFER. *quæ concordes vocat.* Sarmatas autem appellavit, quia, ut ante ex illo oſtenſum, eam *Sarmatiæ* veteris *partem, quæ ſecundam proſpectat Pannoniam*, incolebant. Non obſcure has Marcomannorum ſedes ſub Conſtantino indigitat Jornandes (*a*) qui Aſdingorum ſitum explicans, ita commentatur: *Quo tempore erant in loco manentes, ubi Gepidæ ſedent juxta flumina Mariſia* (Mariſum) *Miliare, & Gliſit & Griſia, qui amnes ſupra dictos excedit. Erant namque illis tunc ab oriente Gothi, ab occidente Marcomanni, a Septentrione Hermunduri, a meridie Hiſter, qui & Danubius dicitur.* Profecto aliarum barbararum gentium in has regiones irruptionem poſterius ſub Valente & Gratiano accidiſſe ipſe Marcellinus teſtatur his verbis: (*b*) *Dum aguntur hæc in externis, novos majoresque ſolitis caſus verſare gentes arctoas, rumores terribiles diffuderunt, per omne quid quid ad Pontum a Marcomannis prætenditur & Quadis, multitudinem barbaram abditarum nationum vi ſubitu ſedibus pulſam circa flumen Iſtrum vagari cum caritatibus ſuis diſſeminantes.* Ubi Marcellinus tacitis Limigantibus ſolos Marcomannorum Quadorumque fines Ponto Euxino opponit. Similiter argumentum tuum nullius roboris eſt, cum ad Zizaim hunc Slavicæ ſtirpi vindicandum ex origine & radice Slavica *Ziza* (quod abundantiam veteribus ſignificabat) probare contendis. Leges hoc ipſo nomine *Ziza* impertitam Ægypti urbem apud Geographos, & cum primis apud Cluverium l. 6. c. 2. Quid ni igitur etiam urbem Slavicam, aut illic Slavos ſedere affirmaturus es?

Verum quandoquidem nonnunquam in Prodromo noſtro ex ſententia Jordani locuti ſumus, neque operæ tum nobis dedimus diligentius inquirere, cujusnam gentis hi Sarmatæ limigantes fuerint, jam etiam conabimur evincere: nihil Slavorum veterum hiſtoriæ officere, ſi etiam *Sarmatas* hos *limigantes* Slavos fuiſſe, aut illis a Conſtantio Regem datum admittamus. Non fuit vero Zizais impoſitus Rex Sarmatis Limigantibus, qui adverſus Pannoniæ ſecundæ terras tenebant, ut tu perperam arbitraris, ſtatuisque, ſed Sarmatis dominis ſeu liberis, qui a ſuperioribus, ſervis nempe, pulſi longius ad Victiobalos confugerunt, & dein a Conſtantio in Romanum ſolum recepti ſunt. Ii cum ſe quantos quantos poteſtati Conſtantii Romanorumque permiſerint, quid mirum Clientes effectos ex nutu jam Romanorum vixiſſe, atque ab illis Regem accipere coactos? Quanquam Jordanus tuus huic Zi-

(*a*) Jornandes de rebus Geticis c. 22. (*b*) Ammian. Marcellinus l. 31. p. m. 550.

Zizaï regium quidem titulum datum concedat, regem tamen Slavorum re ipſa fuiſſe neget, ſic vero ille: (a) *Mos Principes barbararum gentium Regis titulo honorandi, jam dudum apud Romanos inoleverat, tum ut Imperatorius titulus eo magis ſupra Reges emineret: tum ut viderentur quaſi ipſi imperare gentibus, quibus Reges dederant: tum ut per hos Reges beneficii memores totam gentem ſibi addictam redderent. . . . Sic Marobeduus Marcomannorum, Arminius Cheruſcorum, & Vibilius Hermundurorum Rex populo Romano Regis titulum in acceptis ferre debebant, non populo ſuo, apud quem potius inviſi hoc nomine redditi ſunt. Regis igitur titulus Zizaim non re ipſa Regem fecit, ſed, ut adhuc Procopius ſæculo ſexto teſtatur, forma regiminis inter Slavos in Ariſtocratia optimatum perſeverabat.* Hactenus Jordanus, qui tibi in plerisque Dux & Regula viſus. Nec adverſa in his ſenſit Marcellino, qui quanquam jactet Zizaim ſemper fidelem Romanis perſtitiſſe, non obſcure tamen innuit inviſum factum Sarmatis, aut ſolio plane dejectum, cum illi veteris beneficii immemores rurſum arma in Romanos prehenderunt, quod his verbis exaggerat Marcellinus: (b) *Ad Limigantes Sarmatas Servos ocyus ſigna transferri utilitas publica flagitabat, quos erat admodum nefas impune multa & nefaria perpetraſſe. Nam velut oblitis priorum tunc erumpentibus liberis, ipſi* (nempe ſervi) *quoque tempus aptiſſimum nacti limitem perrupere Romanum, ad hunc ſolam fraudem dominis ſuis hoſtibusque concordes.* At vero his imperterrita fronte adverſum it Lucifer tuus, aitque Zizaim multo antequam a Conſtantio Rex fuiſſet renunciatus, jam a Slavis Limigantibus in *Regatem* electum. Cui aſſerto in fulcimentum hæc verba Marcellini allegat: *Quibus ordinatis translata eſt in Sarmatas cura . . . atque ut reſtitutio libertatis haberet dignitatis augmentum (iisdemque ad gratiæ cumulum non ignobilem quendam, ſed quem ipſi antea ſibi præfecere regalem bonis animi corporisque præſtantem . . .) Zizaim regem iisdem præfecit conſpicuæ fortunæ tum inſignibus aptum, ut res docuit, & fidelem.* Quis vero ſcriptorum omnium, quotquot unquam protulit hominum ætas, auſit gloriari ſe ſe audacia Luciferum tuum viciſſe? qui minime veritus, tot graviſſimorum veterum ſcripta corrumpere ac temerare, totasque orationes ſuas veterum verbis interjicere, ut Lectori fucum faceret eas a fontibus ipſis profluere. Ubi orationem illam, quam in parentheſi incluſimus, ordiendo a verbis: *Iisdemque ad gratiæ cumulum &c.* uſque ad verba: *Corporisque præſtantem*.

LUCIFER.

Pag. 55. & 56.

(a) Jordan. Orig. Slavic. c. 11. §. 24. p. 35. (b) Ammian. Marcellin. l. 17.

LUCIFER. tem in Marcellini libris legit Lucifer tuus? (a) qui præmetuens Lectorem ſibi fidem non habiturum jam ante Zizain a Sarmatis Regalem fuiſſe electum, pro aſtutia ſua non validius argumentum ſe allaturum arbitratus eſt, quam ſi rei hujus memoriam in textum Marcellini intruderet, verbaque ſua pro hujus authoris verbis venditaret. Qui cum hæc fraudulenter attentavit, ſimul ſummam ſuam imperitiam literato orbi prodidit, oſtenditque ſe ignoraſſe per vocem *Regalis* regis filium aut cognatum explicandum eſſe, ut ipſe ſupra Marcellinus Vitodurum regalem interpretatur, inquiens: *Regalis Vitodurus Viduarii filius Regis.*

Pag. 57. Meras igitur ampullas jactas toto tuo §. XVIII. cum his productis Henetorum Sarmatarumque regibus ita infirmatam ſententiam meam gloriaris, ut nihil ultra reſtare mihi dictites, quam ut illam damnem & revocem. Ego vero Regibus his omnibus e Slavorum catalogo expunctis, argumentisque tuis enervatis non meam ſed vetuſtiſſimorum exterorum patriorumque ſcriptorum ſententiam ſalvam tutamque præſtiti, oſtendique veteribus Slavis haud aliam regiminis formam quam Ariſtocraticam ſeu Ariſtocratico-Democraticam competere, quemadmodum id omnes vetuſti unanimi conſenſu docuerunt. Nempe & mihi;

In pretio vetuſta ſunt, recentiorumque incuria eſt.

Ad §. XIX. & XX.

Pag. 58. I. Omni impetu bellum proſequeris quod ſuperioribus paginis priſcis ſcriptoribus intentaſti, & jam infeſta tibi cumprimis eſſe Procopii Cæſarienſis & Conſtantini Porphyrogeniti capita haud obſcuro ſermone innuis, quos tandem aperto Marte petere, eorumque clariſſimis teſtimoniis vim inferre cum animo tuo conſtituis, oſtenſurus nempe adverſus illos etiam Slavis antiquitus Reges atque Duces fuiſſe. Ego vero eminus tanquam e ſpecula venturam tempeſtatem proſpicio, quæ omnes Ducum regumque tuorum Slavicorum memorias cum nomine ipſo abſumptura eſt. Ante omnia brevibus te expediturus, ais: a te jam ſatis §. XVI. explicatum: *Quo ſenſu ſimiles ſcriptorum veterum textus* (de Ariſtocratia Slavorum) *accipiendi veniant.* At ego hoc paragra-

gra-

(a) *Verba Marcellini ſolum ſunt:* Quibus ordinatis tranſlata eſt in Sarmatas cura . . . atque ut reſtitutio libertatis haberet dignitatis augmentum, Zizaim Regem iisdem præfecit conſpicuæ fortunæ tum inſignibus aptum, ut res docuit, & fidelem.

grapho tuo præter Coſmæ de quodam commentitio *interregno* ridicule explicatum locum alibique a nobis exploſum, nihil prorſum invenio, ut itaque procul dubio Conſtantinus Porphyrogenitus & Procopius Cæſarienſis ad ejusdem ridiculi interregni interpretationem, te judice, adunco naſo trahendi ſint. Ab hoc deſcendis ad Collegæ tui interpretationem, qua ille adverſum me uſus, (a) & qua ille textus hos veteres non de Europæis, ſed Aſiaticis Slavis intelligendos eſſe cum Glaſeyo innuit. At vero vel ipſi Collegæ tuo ægre fidem concedendam eſſe autumas, quod Procopius claris verbis de Slavis Europæ loquatur. Quid igitur? aliud frigidiſſimum effugium tibi certam tutamque galeam futuram confidis, quare audacter pronuncias: *Dicendum videtur textus hos de quadam particulari hiſtoricis his nota primo exurgente Republica ſumi debere.* Et poſtea: *Ut igitur hiſtoricis his integra relinquatur fides, non generaliter ſed particulariter eosdem loquutos fuiſſe conſentaneum eſt.* Heu! incidiſti in ſcyllam Vir Cl., Collegæ tui charybdin evitaturus; Quis enim niſi rudiſſimus linguæ latinæ univerſalem illam Procopii orationem: *Slavinorum nationes non ab uno aliquo homine reguntur*, de quadam particulari Slavorum republica explicet? & quomodo illa *primum exſurgens aliqua reſpublica dici poteſt*, cum expreſſis verbis dicat: *Ab antiqua plebe ja communique libertate vivunt*? (b) Quid oppones ad Porphyrogeniti verba, qui plane nullum Europæum Slavorum populum eximit. Nam poſteaquam illi de Slavis Dalmatiæ, Serblis, Chrobatis, Zachlumitis, Terbunitis, Canalitis, Diocletianis & Paganis, ſermo fuiſſet, ſubjungit: *Principes hæ gentes non habent præter Zupanos ſenes*, ut autem oſtenderet omnibus reliquis Slavis hoc patrium inſtitutum eſſe, addit: *quemadmodum etiam reliqui Slavorum populi.* (c) Illæne igitur *Slavinorum nationes*? illi *reliqui Slavorum populi* tibi ſunt *particularis quadam & primo exſurgens Slavorum reſpublica?* Ædepol! ignoravit hactenus eruditus orbis tam ſapientem nominum univerſalium acceptionem & explicationem. Ubi vero fuit ea reſpublica? in quo orbis cardine? in Europa? minime; quandoquidem Procopius, te ipſo teſte, de Slavis Europæis loquens, nationes eorum non ab uno aliquo homine regi luculenter docet. An in Aſia? ſed de his nec Procopium nec Porphyrogenitum loqui ipſe adverſus Collegam tuum ſentis? Ubi igitur quærenda hæc reſpublica? ego ſane in concavo lunæ te eam certo certius reper-

LUCIFER Pag. 59. Pag. 60.

(a) Introductio in S. Boh. hiſtoriam. pag. CV. (b) Procopius de bello Gothico l. 3. c. 14. (c) Conſtant. Porphyr. de admin. imp. c. 29. perperam habet Lucifer c. 3.

LUCIFER. repertum autumo. Vides tanquam in muſcipulam compactum te, locum effugii nusquam invenire. Oſtendi ſupra ex Theophane, Ditmaro & Helmoldo Aquilonaribus Slavis hunc ritum fuiſſe, oſtendi ex Procopio Danubium accolentibus, oſtendi ex Porphyrogenito Chrobatis, Serblis, Dalmatis, ceterisque ad Adriaticum mare ſitis, oſtendi ex Chriſtanno ipſis Slavis Bohemiæ hanc regiminis formam fuiſſe, idemque de omnibus Europæis Slavis ſentire Procopium & Porphyrogenitum, ut niſi novum Slavorum orbem effingas, mente haud aſſequar, quo tuto hanc Monarchis inclitam Slavorum rempublicam rejicere tibi fas ſit. Sed ne Collegæ tui argumentum penitus deſeruiſſe videar, qui cum Glafeyo perperam locum Procopii de Aſiæ Slavis intelligendum autumat, accedamus ad Pontum Euxinum, paludisque Mæotydis regiones, ubi noſtros veteres Zecchos aliosque Slavos coluiſſe ſtatuimus, & quandoquidem Slavorum nomen poſterius erupit, audiamus ſaltem, quid vetuſtiſſimi ſcriptores de horum populorum regiminis forma ſenſerint. Antiquiſſimus vero Joſephus Flavius ita commentatur: *Quid autem pergam enumerare Heniochos, (a) & Colchos & Taurorum gentem, Boſphoranos quoque, & habitantes circa Ponti litora nationes, Mæotycasque gentes? apud quas nimirum olim neque domeſticus aliquis dominus noſcebatur: nunc vero militum ſubjiciuntur tantum tribus millibus: & quadraginta naves longæ innavigabile prius mare in pace cuſtodiunt.* (b) De iisdem prorſus gentibus, quas generico Alanorum nomine complectitur Marcellinus, ut multo ante innuimus, ita ſcribit: (c) *Servitus quid ſit, ignorabant, omnes generoſo ſanguine procreati* (nempe ut Dionyſius dicit Amazonum ſanguine) *Judicesque etiam nunc eligunt, diuturno bellandi uſu ſpectatos.* Nempe *Zupanos* illos *ſenes*, de quibus Porphyrogenitus. Ego vero conſilium tuum ſatis mirari nequeo, quid te adegerit adverſus torrentem omnium veterum ſcriptorum conniti, Slavisque neſcio quod Monarchicum regimen affingere, cum tamen ſcriptores quique patrii Czechum tuo prorſus more tuiti ſint, quin tamen Slavis veteribus Ariſtocratici imperii formam unquam diſputaverint: Legis totis paginis propugnatum Czechum a Jordano, nec tamen illum uſpiam ad tam inſolens effugium fideique veterum authorum ever-

(a) Heniochi, ut ex omnibus veteribus Græcis Latinisque Geographis & Hiſtoricis teſtatum ſit, easdem regiones tenuere, quas Zecchi noſtri, adeo ut ſeu Zechi binomines fuerint, aut Heniochis vetuſtiſſimis populis Zecchi hic ſucceſſerint. (b) Joſephus Flavius l. 2. de bello Judaico c. 16. (c) Ammianus Marcellinus l. 31.

everſionem provolaſſe agnoſces; quin concedit is omnem vim authoritatemque Procopio, & ſimilem Helmoldi locum proferens hæc ſubjungit: (a) *Omnes itaque Slavi Boreales præter ſolos Ranos* (nempe jam Helmoldi ætate) *regibus non utebantur, ſed populari imperio, qui antiquiſſimus mos quoque omnibus Slavis orientalibus communis fuit, ut teſtatur Procopius de bello Gothico l. 3. c. 14. Adeoque licet ab hiſtoricis quandoque Reges Slavorum nominentur, tamen id non pro Regibus veris & abſolutis, ſed pro belli ducibus accipiendum.* Hæc Jordani doctrina erat tibi æmulanda, ex eaque tibi diſcendum, qua arte conciliandi ſint veteres, quo pacto verbales eorum antilogiæ diſſolvendæ, ut ne ad tam putida effugia, quin potius muſcipulas rueres. Inſpice Gloſſariorum Architectos quosque ſub voce *Rex*, & viſurus quam multiplici ſignificatione a veteribus fuerit accepta, adeo ut Carolus Dufresne Regis titulum etiam interdum minoribus aliquot primariis miniſtris Heraldis, Fæcialibus, Juglatoribus ac Ribaldis, præterea Mercenorum Præfectis, & aliis paſſim potentia & armis inclitis viris datum affirmet, legitimisque probet documentis. An non legiſti ipſe crebro in veteribus promiſcuum harum vocum *Regis*, *Ducis*, *Principisque* uſum, ut vel ipſum Boleslaum noſtrum hac diverſa compellatione apud varios authores nobilitatum reperiri ipſe non diffiteri auſis. Scilicet fuere hi Slavorum Reges haud aliud quam belliduces, militiæque Præfecti, quemadmodum de ſimili militiæ Archiſtratego Abbo Floriacenſis author vetuſtus canit: (b) Lucifer.

Solo Rex verbo, ſociis tamen imperitabat.

Tali haud alia authoritate fuit ille tuus ex Jornande allatus Antarum Rex Booz nomine, quin vel eodem Jornandis capite nominatus Balamir Hunnorum Rex. Nam ea ætate adhuc, quo primum Hunni ex Aſia in Europam ſe inſinuarunt: *Omnes* (inquit Marcellinus (c)) *in commune conſultant, aguntur autem nulla ſeveritate regali, ſed tumultuario primatum ductu contenti perrumpunt quidquid inciderit.* Quidni igitur Jornandes *regum* nomine Belliduces aut *Primates* intellexit? Ne hæſita vero id Jornandem ſenſiſſe, præſto eſt clariſſimus Procopii locus, (d) qui de his ipſis Antis, quorum regem Booz fuiſſe Jornandes ſcribit, ita commentatur: *Et vero hi populi Sclaveni inquam & Antæ non uni parent viro, ſed ab antiquo in populari imperio vitam agunt, ac propterea utilitates & dam-* Pag. 59.

(a) Jordanus Orig. Slav. N. 502. p. 193. (b) Abbo Floriacenſis de bello Pariſiacæ urbis p. m. 535. (c) Marcellin. l. 31. (d) Procopius l. 3. de bello Goth. c. 14.

LUCIFER. *damna apud ipſos in commune vocari ſolent. Aliarum etiam rerum fere omnium ratio ab utrisque barbaris ſervatur eadem, fuitque olim conſtituta.*

Pag. 60. II. At non prorſus inerme poſtea videris argumentem proferre (lubentes enim veritati pretium ſuum relinquimus, nec tam aſpero ſumus ingenio, ut ne fortitudinem etiam in hoſte laudandam cenſeamus) cum quandam Antilogiam Conſtantini Porphyrogeniti moves. Is poſteaquam c. 29. de adminiſtrando imperio dixiſſet de Slavis: *Principes hæ gentes non habent præter Zupanos ſenes, quemadmodum etiam reliqui Slavorum populi* poſtea tamen c. 30. tam Chrobatorum quam alibi etiam Serviorum Principes commemorat. Nihil tam manifeſtum quam in his Conſtantini Porphyrogeniti verbis contradictionem eſſe; ſed nugas agit Lucifer tuus, qui eo Porphyrogeniti priorem textum explicandum autumat, ut de peculiari quadam Slavorum Republica intelligendus ſit, verba: *quemadmodum reliqui Slavorum populi* clariora ſunt, quam ut de una aliqua & peculiari Slavorum Republica ſumi poſſint, profecto ſi abſit Porphyrogeniti teſtimonium, adhuc nobis ſuppetit Procopii Cæſarienſis, Theophanis, Ditmari, Helmoldique vadimonium, qui ab antiquo & patria inſtitutione Slavis haud aliud quam Ariſtocraticum regimen concedunt. Ne Porphyrogenitus vero cum Porphyrogenito pugnare videatur, de diverſis is explicandus temporibus, adeo ut ætate ſua & ſæculo etiam uno & medio ante Slavi jam Principes habuerint, olim vero ab antiquo & patria inſtitutione, quemadmodum id claris verbis teſtatur Procopius, illis caruerint. Quare dicendum ſeu librariorum ſeu interpretum oſcitantia in priorem Porphyrogeniti textum irrepſiſſe errorem, qui tempus præſens pro præterito aut imperfecto acceperunt, ſeu vocem aliquam vetuſtioris ætatis indicem omiſerunt. In textu igitur priore veroſimillime pro *habent* legendum, ponendumque erat *habebant*, aut ſi præſens tempus conſervandum erat, ſupplendæ erant voces *ab antiquo* ſeu *inſtituto patrio*, quemadmodum id declarat Procopius. Integrior itaque hic Porphyrogeniti textus ita reddendus erit: *Principes hæ gentes non habebant*, ſeu *Principes hæ gentes non habent ab antiquo & patrio inſtituto præter Zupanos ſenes quemadmodum & reliqui Slavorum populi.* Quis enim ſibi perſuadeat tam doctum ſapientemque Imperatorem uno eodemque calamo & tam conjunctis locis ac capitibus verborum ſuorum immemorem tam repugnantia ſcripſiſſe, ut primum dicat Slavis non fuiſſe Principes, mox præter priorum explicationem Slavorum Principes ſubjungat. Utinam aliud Porphyrogeniti exemplar, quam quod in Byzantinis ſcriptoribus excuſum

eſt,

eſt, ad manus eſſet, facile dubium iſtud enodaretur. Ceterum recte habet Porphyrogenitus, cum poſterioribus temporibus & ætate ſua jam Slavicis quibusque rebuspublicis, iis præſertim, qui Francis Regibus, Græcisque Imperatoribus clientela obnoxii erant, Principes tribuit, nos ipſi jam Caroli Magni ætate id quibusque Slavis concedimus. Jordanus jam huic apud Slavos regiminis mutationi ſeculum ſeptimum deſtinat. (a) Ex poſterioribus tandem agnoſces, quod tempus Porphyrogenitus defixerit, cum Slavi Principibus e gente & ſtirpe ſua uti cœperunt. Nam Principes Præfectique, quos ſubinde vi & imperio obtruſere Slavis Franci Græcique, inter Slavorum Duces Principesque locum non merentur. Non autem, ut tu male conciliata Chronologia ſcribis, eo tempore quo Porphyrogenitus librum ſuum texuit, nempe anno 949, *Bohemia Ducem venerata eſt Sanctum Martyrem Wenceslaum regali quoque dignitate a Caſare decoratum*, ſed Boleslaum fratrem. Legeſis Partem meam II. Annalium Hagecianorum, & viſurus S. Wenceslaum jam anno 936. Martyrio affectum, lecturus etiam ibidem ex Bollandianis aliisque veteribus, quanta certitudine nitantur illa de regia dignitate. Sed quid his immoramur longius, tanquam Porphyrogeniti teſtimonium unum nobis eſſet hiſtoricæ veritatis fundamentum. Elide Chriſtannum noſtrum, qui ante Przemyslum nec Principem nec Rectorem Slavis Bohemiæ concedit. Exteri ſcriptores nonniſi in confirmationem eorum adducti ſunt, quæ de moribus, Ariſtocratico aut etiam populari majorum noſtrorum regimine primi patrii hiſtorici prodiderunt. Apage autem cum facetiis tuis ut eorum teſtimonia per ridiculum quoddam *interregnum* explices, interregnum enim ante Principes & Rectores ſtatuere quid illud niſi tenebras ante lucem, aut mortem ante vitam ſibi cerebro effingere. Certe vel ipſe Coſmas, quem tuo interregno maximum patronum ſuſpicaris, de primo ſtatu Boemorum ait: *Alter ab altero ſibi illatam injuriam patienter ſufferebat, & cui querimoniam ſuam deploraret judicem nec Principem habebat. Poſt hac* (perſequitur) *quicunque in ſua tribu vel generatione, perſona moribus potior, & opibus honoratior habebatur, ſine exactore ſine ſigillo ſpontanea voluntate ad illum confluebant, & de dubiis cauſis ac ſibi illatis injuriis ſalva libertate diſputabant.* Ubi primum Coſmas ex mente Chriſtanni omnes Principes imo & judices Majoribus noſtris negat, tum aliquod arbitri ſimulacrum concedit.

LUCIFER.

Pag. 60.

Pag. 61.

PARS I. T Quod

(a) Jordan, Orig. Slav. N. 502. p. 193.

LUCIFER. Pag. 60. Quod ad Cracum Venedorum Ducem, & Tatonem Moraviæ Principem attinet, eos in Prodromo non meis verbis, ſed recentiorum Lazii, & qui ſe ad Pirminium, mihi tum non viſum, revocarunt, attuli, quemadmodum alibi etiam in cumulandis recentiorum opinionibus facere ſoleo. Legiſſes vero, ut refutationem ſcripturo par erat, Partem II. Annalium meorum, inveniſſes, quodnam meum de utroque ſit judicium. Legiſſes nempe pag. 59. & ſeq. Cracum ſeu Crocum non ex Venedorum ſed Vandalorum gente, ac temporibus eſſe repetendum, reperiſſesque de eo certiora ex Gregorio Turonenſi & Aimonio teſtimonia. Et ut tandem præ Gaſſari tui mendoſiſſima Chronologia, qui Cracum hunc inter annum 360. & 407. rejicit, certiorem teneas, habe locum Gregorii Turonenſis, qui eum ſub imperium Valeriani & Gallieni uno ſæculo facile prius defigit. (a) *Viceſimo ſeptimo loco*, inquit, *Valerianus & Gallienus Romanum imperium ſunt adepti, qui gravem contra Chriſtianos perſecutionem ſuo tempore commoverunt. Tunc Romam Cornelius, Cyprianus Carthaginem felici ſanguine inluſtrarunt. Horum tempore & Chrocus ille Alemannorum Rex commoto exercitu Gallias pervagavit. Hic autem Chrocus multæ adrogantiæ fertur fuiſſe.* Itaque Jacobus Vignetius S. J. & Martinus Bouquetius id ad annum 264. rejiciunt. Inveniſſes etiam ibidem, quæ de Lazii Tatone mihi ſit ſententia, cum pag. 389. Moimarum primum omnium Moravorum Ducem e veteribus monumentis cognitum legiſſes.

Ad §. XXI. & XXII.

Pag. 61. I. Neglecto & vix commemoratione digno æſtimato Chriſtanni noſtri teſtimonio ad telam tuam pertexendam progrederis, & prolatis exterorum tam veteribus, quam recentioribus teſtimoniis conaris evincere aliis Slavicis nationibus Duces Regesque fuiſſe. Cum ante omnia partium tuarum fuerit Chriſtannum infirmare, aut ſolida ratione dilucidare, qui nempe ea accipienda ſint, quæ de primo democratico Patriæ noſtræ ſtatu poſteritati tranſcripſit. Nec enim illi exteri a te prolati Duces & Reges tam nos, quam Procopium, Porphyrogenitum, Theophanem, Ditmarum, Helmoldumque impugnant, qui ejusmodi regiminis formam generatim Slavis omnibus conceſſere. Sed ne argumentum novum tibi jactantiæ præbeam: munimenta quæ-dam

(a) Gregor. Turon. l. 1. Hiſt. c. 32.

dam & propugnacula tua a me minime conſcenſa & expugnata fuiſſe, omnes Reges Ducesque a te recenſitos critice excutere juvat. Primum omnium ex Conſtantini Porphyrogeniti c. 30. producis *Porinum*, quem is inter Chrobatos Principatum tenuiſſe ait eo tempore, quo Chrobati Francos, eorumque Principem Cotzilim interemerunt, ac ſui juris facti ſacrum baptiſma a Romano Pontifice petentes impetrarunt. Infra vero ſubjungis alterum locum ex c. 31. ejusdem Porphyrogeniti: *Erat enim illis* (Chrobatis) *tunc temporis Princeps Borge pater*, quod inter annum 610. & 641. accidiſſe ais, quo Chrobati *alienæ ſervitutis impatientia grave jugum* (Francorum) *peroſi libertatem illam, quæ cum paterno imperio convenit, quave omnes ingenuas gentes videbant gaudere, forti animo quæſivere.* Næ Luciferum tuum præmiis invitent Dalmatæ ad conſcribendos Annales ſuos, qui hiſtoriam gentis hujus tanquam digitos ſuos novit, quique profligata temporum horum obſcuritate, certiſſima Chronologia eorum faſtis Ducumque geſtis reformandis maxime par eſt. Næ præterea Lucifero tuo magnam Francorum gens habeat gratiam, qui eam, quod illa hactenus ignoravit, docuit, jam ſæculo ſeptimo atque inter annum 610, & 641. dominationem in Dalmatiam habuiſſe protenſam. Nusquam Lucifer tuus legiſſe videtur vitam Caroli Magni ab Eginhardo ſcriptam, qui eundem Imperatorem Franciæque Regem, primum Dalmatiæ domitorem venditat, enumerando enim gentes & Regna, quæ Carolus ſubegerat, inquit: (a) *Utramque Pannoniam, & appoſitam in altera Danubii ripa Daciam, Hiſtriam quoque & Liburniam, atque Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam & junctum cum eo fœdus Conſtantinopolitanum Imperatorem habere permiſit.* Enucleatius vero vetuſtus Poeta Saxo: (b)

LUCIFER. Pag. 62.

Pag. 62.

Arva Liburnorum, vel quæ vocitantur ab Hiſtro,
Nec non Dalmatiam ſubdidit, & Daciam.

Quod ſtatim poſt ſubactos in Pannonia Hunnos accidit, nam jam anno 806. memorant Annales Francorum & Metenſes: *Claſſim a Nicephoro Imperatore, cui Niceta Patricius præerat, ad recipiendam Dalmatiam miſſam eſſe.* Et anno 807. advenientibus legatis Venetiæ & Dalmatiæ Carolum M. *ordinationem feciſſe de Ducibus & populis tam Venetiæ, quam Dalmatiæ.* Pace vero inter Græcos & Francos conſtituta recte adnotat Eginhardus ſupra relatus maritimas civitates fuiſſe Græcis permiſſas;

(a) Eginhardus in vita Caroli M. (b) Poeta Saxo l. 5. v. 195.

LUCIFER. Slavi enim mediterranea colentes dominationi Francorum fuerunt ſubjecti, hinc incolæ maritimarum civitatum, quod Romano Græcorum imperio ſubeſſent, *Romani*, mediterranei ſimpliciter *Slavi* appellati. Accurate hos utroſque incolas diſpeſcit Author vitæ Ludovici Pii dum ſcribit: *Legatio excepta amicitia & ſocietate erat de finibus Dalmatarum Romanorum & Sclavorum.* Qui igitur fieri potuit, ut jam Sæculo VII. atque intra annum 610. & 641. *Chrobati poſt ſeptem annorum bellum ægre tandem ſuperiores facti omnes Francos eorumque Principem Cotzilim e medio ſuſtulerint, ac exinde liberi & ſui juris facti ſint*, cum ſæculo primum ſequente per Carolum M. dominationi Francorum ſubjecti fuerint, ab Heraclii autem orientis Imperatoris morte excuſſo Græcorum jugo *neque Romano Imperatori, neque cuiquam alteri ſubjecti fuerint* (ut inquit Porphyrogenitus (a)) nempe usque ad hanc Caroli M. Dalmatiæ occupationem? Vides quantum unumquemque cœcutire neceſſe ſit, ſi Chronologia, quæ hiſtoriæ eſt oculus, abſit. *Porinus* igitur a te allatus non ad ſæculum ſeptimum, ſed nonum & Baſilii Macedonis imperium, adeoque multo poſt Carolum Magnum referendus eſt, quo tempore Slavis Principes ac Duces fuiſſe nunquam negavimus. Et quanquam Commentator in Porphyrogenitum fateatur, nuſpiam a Porphyrogenito prodi tempus, quo *Porinus iſte* Dalmatiæ præfuit, tamen non prius illi locum inter Duces Dalmatiæ conceſſit, quam poſt Sedeslavum, qui ſecundum authorem vitæ Ludovici Pii, & Annales Francorum primum anno 821. Bornæ Dalmatiæ Duci ſucceſſit. Etſi vero ad nos non pertineat geſta Dalmatarum Slavorum perſequi, attamen quia in hoc argumento verſamur, & res aliqua ratione ad Genealogiam Ducum Moraviæ ſpectare videtur, conabimur hujus Porini ætatem explorare: Porphyrogenitus allato a te loco de libertate illa Dalmatarum adverſus Francos vindicata ait: *poſt ſeptem annorum bellum ægre tandem ſuperiores facti Chrobati omnes Francos eorumque Principem Cotzilin e medio ſuſtulerunt.* (b) *Cotzilin* iſte, ſeu aliter dictus *Chozil*, & in quibusdam MSS. *Hezilo*, nullus alius eſt, quam Chozil, item & Hezilo dictus filius Privinnæ Moraviæ Ducis, qui patri Moravia expulſo, & terra inter Dravum & Savum beneficio Ludovici II. donato ſucceſſit. Eum commemorat vetuſtus author de Converſione Bojoariorum & Carentanorum his verbis: *Privinna timens, fugam iniit in Wlgariam cum ſuis, & Chozil filius ejus cum eo.* Et poſtea: *Anno ergo*

DCCCLXV.

(a) Conſtant. Porphyr. de Admin. imp. c. 29. (b) Idem. ibid.

DCCCLXV. Venerabilis Archiepiſcopus Juvavienſium Adelvinus natalem Chriſti celebravit in caſtro Chozilonis (Freheriana Editio habet Hezilonis) *noviter Moſeburch vocato, quod illi ſucceſſit moriente patre ſuo Privinna, quem Moravi occiderunt.* Ut ita Porinus ille eodem tempore Dalmatiæ præfuiſſe cenſendus ſit, quo Chozil Dux terram Slavorum inter Dravum & Savum beneficio Ludovici II. tenuit, quare etiam a Porphyrogenito Dux Francorum, nempe a Francis Slavis impoſitus vocatur. Jam ſi conjecturam noſtram aperire, tempusque ariolari licet, quo Chozil occiſus, & Chrobati Duce Porino ſe in libertatem vindicarunt, nullum veroſimilius videri debet, quam imperium Caroli Craſſi & Arnulphi, quo ut Parte III. Annalium noſtrorum oſtendimus diviſo Francorum imperio ac jam jam ruente Pannonia continuis plurium annorum bellicis motibus quaſſata, per Suatoplucum Moraviæ Regem in ſolitudinem pene redacta, dominatuique Francorum erepta eſt, neque enim prius usquam legitur Francorum Regum potentiam his partibus tantoopere afflictam attritamque fuiſſe, quam hoc ipſo tempore, quo nempe exſpirante pene cum ſtirpe Francorum dominatione, & Germanorum imperio prope ad incitas redacto, omnes pene Slavorum nationes ante a Francis ſub jugum miſſæ ſe ſe in priſtinam libertatem reſtituerunt, ac Suatopluci Moraviæ Regis per ampliſſimas terras regnantis dominationem prona obſervantia venerati ſunt. Eo inquam ipſo tempore veroſimillime accidiſſe videtur, ut Francis Slavorum clientela abutentibus, & dominatione in tyrannidem, ut narrat Porphyrogenitus, deflexa, etiam Dalmatæ comprehenſis armis *omnes Francos eorumque Principem Cotzilin e medio ſuſtulerint*, atque ſe ſe in priſtinam libertatem reſtituerint; mox vero denuo Baſilio Macedoni Orientis Imperatori ſe ſubjecerint. (a) Sub quæ plane tempora etiam accidit, ut SS. Cyrillo & Methudio Evangelium per Pannoniam, Moraviam, & Bulgariam prædicantibus, Dalmatæ, ut Porphyrogenitus c. 30. narrat *Sacerdotes, & ſacrum baptiſma a Romano Pontifice petierint, miſſique Epiſcopi illos baptizaverint.* Nam eandem prorſus epocham ſusceptæ a Dalmatis Chriſtianæ fidei omnes veteres Dalmatiæ ſcriptores cum Diocleate deſignant. Lucifer.

E quibus jam habemus 1o tempus fatumque hactenus in hiſtoria Moraviæ ignoratum, quo Chozil ſeu Hezilo Privinnæ Moraviæ Ducis filius ſublatus. 2do Concludimus falli eos, qui Porinum hunc

(a) Conſtant. Porphyr. de admin. imp. c. 29.

LUCIFER. cum Borna Dalmatiæ Duce in vita Ludovici Pii, in Annalibus Francorum & Francofuldenſibus commemorato confuderunt, eundemque putarunt. Nam Borna iſte ut ex iisdem Annalibus liquet, claruit circa annum 819. & 821., quo mortuum iidem annales tradunt, & ſucceſſorem a Francis accepiſſe Ladeſclavum, quem item ab amicitia & fidelitate usque ad mortem Francis ſervata commendant, ut igitur eo regnante, præſertim cum Ladeſclavum ſucceſſorem acceperit, Chrobati Dalmatiæ jugum Francorum excuſſiſſe minime dici poſſint. Habemus 3tio graviſſime te lapſum cum tempora duorum ſæculorum ſpatio diſcreta confudiſti, & Porinum cum Porgæ patre ſeu Porga ipſo, quem Porphyrogenitus ſub Heraclio Chrobatis Principem fuiſſe prodit, unum eundemque credidiſti. De hoc vero Porgæ patre & Porga ita commentatur Porphyrogenitus, narrata Avarum per Chrobatos ex Dalmatia expulſione: (a) *Erat autem Chrobatis illis tunc temporis Princeps Porgæ pater, Heracliusque Imperator Romæ per legatum Sacerdotibus accerſitis, conſtitutoque ex ipſis Archiepiſcopo, Epiſcopo, & Presbyteris & Diaconis Chrobatos baptizavit. Et tunc quidem temporis Chrobatorum Princeps erat Porga.* Jam ſi ex his Conſtantini verbis adverſum me argumentationem capias, dicasque: Igitur tamen jam ſub Heraclio, qui intra annum 610. & 641. imperio orientali præfuit, Chrobati habuerunt Principes, nempe Porgæ patrem, ipſumque Porgam; quod reponam in promptu habeo, ajoque: hunc Porgæ patrem Porgamque minime a Slavis Chrobatis electum, ſed quoniam, ut ipſe Porphyrogenitus teſtatur, hæc terra Græcorum Imperatorum fuit, Chrobatique Dalmatiæ ſe ſe Heraclio ſubmiſerunt, ab Heraclio illis impoſitum datumque, qui nihil aliud erat quam Satrapa & Præfectus Dalmatiæ iſthic ad cogendum fiſcum Regium & auxilia ſocialia conſtitutus, quemadmodum id Græci, Romani, ipſique Franci in terris ſubactis barbarorum facere ſoliti, qui paſſim ex ea ipſa gente dati & delecti, quod exterum ægerrime ferrent omnes nationes barbaræ. Sub qua quidem præfectura cuique genti ſuus interior reipublicæ ſtatus, patriæque conſuetudines & inſtituta relicta ſunt, ut ſupra innuimus; niſi dicere malis Porgam nonniſi militiæ Slavicæ Præfectum fuiſſe. Nec vero præter hunc Porgam ejusque patrem alius poſtea Chrobatiæ Princeps legitur, usque ad illud tempus cum Carolus M. rurſum Dalmatiæ Slavos ſubegit. Nam recte advertit Porphyrogenitus paulo poſt Heraclii mortem ſe ſe jugo

(a) Conſtant. Porphyr. de admin. imp. c. 31.

jugo Græcorum ſubtraxiſſe Chrobatos ac ſui juris factos, quo tempore exauctoratis his Græcis Satrapis plena libertate rurſum ſub Zupanis ſuis uſi ſunt. Verba Porphyrogeniti ſunt: (a) *Ab Imperio autem Heraclii Romanorum Imperatoris, uti cum de Croatis & Serviis agemus, dicturi ſumus, univerſa Dalmatia nec non finitimæ illi gentes, Croati, Servii, Zachlumitæ, Terbuniotæ, Canalitæ, Diocletiani, ac Arentani qui & Pagani nuncupati ſunt, ditioni Romanæ ſe ſubtraxerunt, quippe cum Romanum imperium* (nempe Græcorum) *per imperantium tunc temporis ignaviam atque ſocordiam, maxime Michaelis Amorienſis Balbi* (ſub quo etiam pleraſque maritimas Dalmatiæ civitates Græci amiſerunt) *tantum non exſpiraſſet, qui Dalmatiæ oppida incolebant, ſui juris facti neque Romano Imperatori, neque cuiquam alteri ſubjecti.* Poſtquam autem Carolus Magnus ejectis ex Pannonia Hunnis Dalmatiam quoque ditioni Francorum ſubdidiſſet, mox anno 807. ut Annales Francorum memorant, prima illius ſollicitudo fuit de ordinandis Ducibus tam Venetiæ quam Dalmatiæ, acceperunt itaque tum rurſum Dalmatæ Duces ſeu Comites & Præfectos Provinciarum, quemadmodum aliæ regiones noviter a Carolo acquiſitæ. Poſtea ſub Ludovico Pio in quatuor plane Comites diviſa eſt Dalmatia. (b) Unde in hiſtoriis iſthic varia Ducum ſeu Comitum nomina legere eſt, quamdiu Franci Dalmatiam tenuerunt, ſcilicet Brazlavonem, Privinnam, Chozilonem, Bornam, Sedecſlavum, & apud Porphyrogenitum ſupra memoratum Porinum alioſque. Dum itaque Chrobati hoc modo ſub Comitum Francorum procuratione *per aliquot annos,* ut inquit Porphyrogenitus, (c) ſteriſſent, nempe a Carolo Magno uſque ad Baſilii Macedonis imperium, tandem Chrobati pertæſi Franciçæ tyrannidis omnes Francos de medio ſubſtulerunt, atque rurſum ad Græcorum Imperatorem Baſilium Macedonem confugerunt, quod his verbis denuo explicat Porphyrogenitus: (d) *Imperante autem piiſſimo imperatore Baſilio legatos miſerunt* (Slavi Dalmatiæ) *petitum, ut qui ex ipſis baptizati nondum eſſent, baptizarentur, eſſentque veluti ab origine Romano* (Græcorum) *imperio ſubjecti. Horum precibus auditis beatus ille præclaruſque Imperator Cæſarianum una cum Sacerdotibus miſit, omneſque illos, qui in prædictis gentibus nondum baptizati erant, baptizavit; baptizatis autem ipſis tunc Principes eis diſignavit, quos vellent, eligerentque, e ſtirpe, quam maxime diligerent, ac amarent. Atque ex eo tempore in hodiernum uſque diem Principes*

(a) Conſtant. de admin. imp. c. 29. (b) Lucius de regno Dalmatiæ & Croatiæ l. II. c. 1. (c) Porphyrogenit. ibid. c. 30. (d) Ibidem. c. 29.

LUCIFER. *cipes ipſi ex eadem ſtirpe, & non aliunde leguntur.* Hem veram epocham, cum Slavi Dalmatiæ aliique vicini miſſo veteri ſuo Ariſtocratico regimine, proprios & ex ſtirpe ſua Principes eligere ac habere cœperunt, nempe ſub Imperio Baſilii Macedonis, qui ab anno 867. uſque ad annum 885, orientali Imperio præfuit. Quare ceteri a diverſis hiſtoricis commemorati Slavorum Dalmatiæ Duces, haud alia authoritate & nomine ſuſpiciendi, quam Græcorum Francorumque Comites, beneficiarii & Satrapæ, quibus thematum provinciarumque procurandarum cura incumbebat, & qui perſeverantibus Slavis in patriis ſuis inſtitutis, non ab ipſis lecti, ſed a Græcis Imperatoribus, Francicisque Regibus dari & obtrudi ſoliti, aut certe ſi qui alii regionum harum Slavorum veri Principes in Porphyrogenito aliisque ſcriptoribus leguntur, illi hac Baſilii Macedonis ſuprafata epocha poſteriores fuere. Sed amplius quam ſatis eſt de Dalmatiæ Principibus, aliis a te commemoratis Slavorum Ducibus locum relinquamus.

Pag. 63. II. Rurſum memoriam Booz Antarum Regis, Tat*onis*, & Craci refricas, de quibus jam ſuperiore paragrapho tibi locupleter ſatisfecimus, his vero ſubjungis *Buzan* Bulgarorum regem ſub Zenone Imperatore ex Paulo Diacono, rurſum ex eodem & Theophane duos alios Bulgariæ reges *Vulger & Drogo*, denique farraginem Regum & ducum Slavicorum tanquam in forum venalem profers, quos ex fragmentis veterum a Jordano in Originibus Slavicis & A. R. P. Georgio Pray in Annalibus Hungariæ recitatis excerpſiſti. Nolim ego longius patientia benevoli Lectoris abuti, & tædioſa opera toties profligatam cauſam reaſſumere, aut in ſingulos fontes ſcrupuloſius inquirere, num relatis

Pag. 63. & 64. tuis, rebus, temporibusque reſpondeant: Nam ut vel unum Laurentium Slavorum Ducem a te ex Menandro (imo verius Juſtini legatione) depromtum Lectori ob oculos ponam, liquet ex Græci authoris verbis eum nonniſi *Ducem Militiæ* indicaſſe. Verba enim ſunt: (a) *Miſerat enim Abarorum Dux ad Laurentium Stlavinorum Ducem, & eos, qui apud gentem auctoritatem habebant.* Et rurſum: *At Laurentius & gentis Principes, quis hominum, inquiunt eſt &c.* certo alioquin perſuaſus te mercium harum ſolo *Ducis* aut *Regis* lenocinio comptarum ex eruditis emptorem repperturum neminem. Viderunt illi multo ante te hos Duces hos Reges in his ipſis veteribus ſcriptoribus, nec tamen ante te inventus ullus, qui ex hoc ſolo titulo Ariſtocratiam veterum Slavorum im-

(a) Legatio Juſtini ad Perſas T. I. Script. Byzant. p. m. 111.

impugnaſſet, aut eos veros Duces Regesque Slavorum fuiſſe æſtimaſſet. Neque velim toties de his regum Ducumque titulis decantatam Jordani ſententiam repetere, inſtar omnium ſit vetuſtiſſimi Chronici S. Dyoniſii teſtimonium, quod *Dervanum* illum ab omnibus Hiſtoricis celebratum *Slavorum Ducem*, & a te quoque laudatum his verbis explicat: (a) *Li Dux Dervanes, qui eſtoit maiſtre, & garde de citez aux Eſclavons.* Id eſt: *Dux Dervanus, qui erat Præfectus & Cuſtos civitatum apud Slavos.* Ejusmodi Præfecti, Cuſtodes, Caſtellani, aut Waywodæ ac belliduces cenſendi ſunt omnes, quosquos Slavorum Reges & Duces ex antiquitate profers, quibus nempe ſola belli militiæque cura incumbebat, ſalva ceterum Slavorum libertate, atque Ariſtocratiæ regimine; & profecto etiam hodie omnes Reſpublicæ, quæque hac imperii forma gaudent, ſuos ſupremos militiæ caſtellorumque Præfectos creant, aluntque, qui in bellum progreſſi Ducis cujusdam Regisve majeſtatem præſeferre videntur, cum in Rempublicam ipſam nullam prorſus authoritatem habeant, quin ex ipſius nutu & imperio rem gerant. Talem etiam Waywodam notiſſimum illum Slavorum Regem (inter cæteros a te prolatum) *Samonem* fuiſſe non obſcure innuit Jordanus. (b) Verum audacter adverſum obſtrepis: *Nec vanum duntaxat, ſed futile plane eſſet*, inquis, *ſi quis cum Cl. Gelaſio litem de nomine nobis obmovendam cenſeret, exiſtimaretve Reges, Principes, atque Duces paulo ante relatos nonniſi belliduces dici oportere, cui quidem commento cum ſit merum effugium, non poteſt aliquod ineſſe robur.* Quod Lacon ad luſciniam, idem mihi ad cantilenam hanc tuam reponere liceat: *Vox, prætereaque nihil.* Egone de nomine litem moveo? per me licet, Slavorum belliducibus Waywodisque Imperatorum, Regum, Ducum, Monarcharum, Principum titulum, aut quodquod majeſtatis nomen invenire fas tibi eſt, tribuas: ego de repugno, ajoque cum Ariſtocratico a veteribus prodito Slavorum regimine, munus, officium & auctoritatem monarchæ uniusque regentis conciliari non poſſe. Tibi de nomine litigium, qui ex ſolo *Regis* aut *Ducis* titulo Slavis Monarchicum regimen, nuſquam apud illos antiquitus auditum, vis exſculpere. Fac jam, ut ex tuo nominis litigio fiat litigium de re ipſa: Produc, ſi potes, tot tantosque veteres ſcriptores, quantos ego pro Ariſtocratico Slavorum regimine produxi, qui teſtentur Slavos ab uno viro regi ſolitos, virum hunc ab illis ſuffragiis communibus electum, aut ſucceſſionis jure poteſtatem ejusmodi conſecu-

LUCIFER.

Pag. 66.

Pag. 66 & 67.

Pag. 68.

(a) Chroniques de ſaint Denis. l. 5. c. 13. in Collectione ſcriptorum Francic. & Gall. Bouquetii. (b) Jordan. Orig. Slavic. N. 935.

LUCIFER. cutum, ad eum res omnes cauſasque difficiles aut utiles, fuiſſe delatas, judicatasque, omnem ſupremam poteſtatem, quæ Monarchis competit ab illo fuiſſe exercitam. Hæres? hæres, inquam, & collotenus luto immerſum agnoſcis? Qua fronte igitur auſus dicere *vanum & futile eſſe effugium* ad *regii* tituli altrinſecam interpretationem recurrere? Quid cauſæ fuit Jordano, qui conſtanter tecum Czechum tuitus, ad ejusmodi explicationem confugere? Redi ad paragraphos ſuperiores, & leges, quam promiſcue ejusmodi eminentiæ titulis uſi ſint veteres, quam non infrequenter Satrapis, belliducibus aliisque administris Reipublicæ *regis* titulum impertiti ſint. Profecto ſi Reges ii omnes ſint, quos hoc nomine a veteribus notatos reperies, concedendum tibi erit omnes fere Moraviæ & Bohemiæ Duces ante Suatoplucum, & S. Wenceslaum noſtrum, ac utrumque Boleslaum reges fuiſſe, cum tamen ante Wratislaum Bohemia regem non noverit. Lupo itaque agnum prius eripueris, quam orbi literato tot veterum fidem atque authoritatem, non nominibus ſed rebus ipſis teſtatam, & Ariſtocratiæ veterum Slavorum tot luculenta teſtimonia deferentem. Ceterum *in* Pag. 68. migrationibus gentium *Reges*, *Principes*, *Ducesque ſimul expeditionum paſſim fuiſſe belliduces*, ut tu aſſeveras, neque ego negaverim; ſed male contra intuleris etiam quoscunque belliduces ſimul fuiſſe Reges, Duces & Principes, quidni igitur hodie Venetarum aut Helvetarum bellidux, Rex aut Princeps ſit Reipublicæ? Etiam Romana Reſpublica antequam Reges aut Imperatores creaviſſet, belliduces ſuos habuit, quis tamen ſano ſincipite jam tum Romanis Imperatores Regesque eodem ſignificatu fuiſſe auſit affirmare? ſcilicet quod Juſtus Lipſius Dialogiſtæ ſuo improperat, idem hic mihi dicere fas ſit: *Flumen verborum ubique video, mentis vix guttam.*

Pag. 67. Seu ut perperam in Lucifero pag. 27. III. Huic Slavorum exterorum Regum & Ducum catalogo ſubnectis inſolentem prorſus gloriationem: *Nec enim*, ſcribis, *ſum neſcius, quam levi opera integrum catalogum Boemicorum Principum*, *Ducum*, *atque Regum ab ipſo procul hinc A. 278. texere potuerim.* Quidni ergo texuiſti? verum in aurem tibi tria verba dicere fas ſit: *ex tabulis legitimis*? An non magis convenerat Ducum Principumque noſtrorum ex hac antiquitate memorias proferre, quam futilia Ducum Regumque alienigenarum Slavicorum nomina ex Græcis latinisque fragmentis Jordani & Georgii Pray pœnitenda opera exquirere? Quanto tu non me, non univerſum literatum orbem affeciſſes gaudio, ſi quemadmodum Duces Regesque tuos exteros ex ſcriptoribus ſæculi quinti, ſexti, ſeptimi, octavi & decimi produxiſti, ita ex uno horum ſæculorum certos Du-

ces

ces Regesve Boemiæ aliquos teſtatos feciſſes. Quid aliud deſidero, Lucifer. quid exſpecto? At unde, unde tandem tibi Vir Cl. confidentia ab A. 278. Slavicorum Principum, Ducum, Regumque Bohemiæ texendi catalogum? Tandem ſcio. Lego enim, & non ſine animi ſtupore lego te eadem pagina in ſcholiis provocare ad Catalogos *Weleslavini* & *Petri Codicilli*. Pag. 67. Me hercle! dignum patella operculum, tanquam mihi divinitatem aliquam, aut canam veritatem in teſtimonium allegaſſes, ita me his credulum præbere oportet. Quam tu mihi Lucifer ſcoriam pro auro obtrudis? Weleslavinusne ac Codicillus authores nonniſi præterlapſi ſæculi ſine tabulis ſcribentes, in rebus tam antiquis, & ætate ſua ſæculis duodecim anterioribus ſatis mihi idonei teſtes videri poſſint? eosne credam melius rem exploratam habuiſſe, quam Chriſtannum? Quis hodiernorum Criticorum majorem fidem Weleslavino ac Codicillo daturus, quam tibi ipſi? Quos vero mihi Duces Principesque ab anno 278. ex Weleslavini catalogo producturus es? Nunquid *Zalmaninum* illum *Circipani*, *Turskonemque* filium, quem is jam in prælio Imperatoris Conſtantini adverſus Licinium ſuccubuiſſe, Czechoque regnum reliquiſſe ſomniavit? (a) Quos demum ex Petro Codicillo? nunquid *Czechovicium*, quem ex Sigoveſi Boji nomine obtorto collo deflexit? (b) Somnia nempe, quibus vaniora Luciani gallus nuſquam vidit, quæ ſi pueris narres, ciconia tibi a tergo illudant. Qui autem accidit, ſi ante Czechum jam Zalmaninus aut Tursko Boemiæ præfuit, quod non patria noſtra ab alterutro *Zalmaninia* aut *Turskia* nomen invenerit? honorque iſte ac prærogativa Czecho tertio numero Principi ſervata ſint? ad quas orci portas relegabis Marcomannorum Quadorumque memorias, quas hoc ipſo tempore & multo poſterius uſque ad ſæculum exiens quartum ex monumentis veteribus produxi, atque ad patriam noſtram ſpectare oſtendi? Vis illi veritatis canæ indubitatæque teſtes cedant umbris tuis larvisque, Zalmanino, inquam, Turskoni, aut Czechovicio? ſed quid tam exquiſitum judicium a Lucifero tuo requiro? cui vetuſta nova, certa incerta, fabulæ hiſtoriæque unius bilancis ponderantur æquilibrio. *Sic ſunt*, inquit Procopius, *homines, multa, quæ alibi vel forte etiam nunquam contigerunt, arrogare patriæ ſuæ gaudent, graviter ferentes, niſi ſententiam ipſorum omnes ſequantur.* (c)

(a) Weleslavinus in Calendario de Ducibus & Regibus Boh. ſub principium. (b) Petrus Codicillus in epiſt. Ephemerydi Lupacii præmiſſa. (c) Procopius de bello Gottico l. 4. c. 5.

LUCIFER. *Pag. 68.*

IV. Unum præterea erinaceum tuum dictum reſtat hoc paragrapho hebetandum: Poſteaquam rurſum contemtum patriorum ſcriptorum a me multo ante vindicatum exaggeraſſes, ſubdis: *palam gloriatur in Græcis ſcriptoribus veritatem patriæ noſtræ hiſtoriæ unice eſſe quærendam, ac abs ſe fuiſſe inventam.* Ubi illa mea gloriatio? qua Parte Annalium? qua pagina? non delectatur Lucifer probationibus, ac demonſtrationibus, ſat ei eſt dixiſſe. Illene vero me captum mente effingat, qui illam dubiam ſummisque obſcuritatibus implexam gentis noſtræ originem pro hiſtoria, certaque veritate venditaverim? Non majoris unquam mea deputavi, quam conatum quendam ad veritatem hiſtoriæ patriæ detegendam, quem fortaſſis alii ingenio feliciores, & a rebus inſtructiores magis expolituri ſint ac confirmaturi. Quare quod crebrius jam monui, veroſimilitudinis & opinionis, non hiſtoriæ nomine hanc majorum noſtrorum a Zecchis veteribus originem ubivis Lectori venum propoſui. Et quanquam nuſpiam dixerim: *in Græcis ſcriptoribus veritatem patriæ noſtræ hiſtoriæ unice eſſe quærendam, aut a me inventam:* audacter tamen pronuncio, multas patriæ noſtræ veritates in Græcis ſcriptoribus deliteſcere, ac aliquas etiam a me fuiſſe detectas; pronuncio denique: unius Græci coævi, quanquam longius a nobis ſepoſiti documentum majori in pretio mihi ſemper fuiſſe, & porro futurum, quam ſexcentorum patriorum teſtimonia, qui rebus geſtis, narratisque ſeculis octo & decem poſteriores fuere, & ſua ſine tabulis & teſtibus ſcripſere. Non enim repugnat, ut longius ſepoſitus veritatem hiſtoricam certam intemeratamque ab aliorum ore accipiat, at ut ſeculis pluribus remotus, quid ante ſe geſtum fuerit, præter acceptam ab occulato auritove teſte notitiam ſciat, ne cogitatione quidem aſſequi licet. Multæ viæ ſuppetunt hiſtoricas veritates etiam ad longinquas gentes perferendi, eſt fama ut malum ita bonum velox, *quo non velocius ullum*, ſunt gentium commercia, legationes, peregrinationes, ſocietates, bella aliaque iſtiusmodi. Qui hodie etiam de nomine ſcimus potiſſimos Regnorum Principes Aſiæ, Africæ, Americæ? qui horum populorum præcipua fata, bella, rerumpublicarum genera & mutationes non latent Europam? an non vel in Germania longiſſime remotarum gentium hiſtoriæ ſcribuntur? Putasne florentem illam ſub Regibus, magis efflorеſcentem ſub Imperatoribus Græciam minus fuiſſe avidam, quam hoc ſeculum noſtrum certa de exterarum gentium hiſtoriis comperiendi? quas eo cupidius apprehenderunt, literisque conſignarunt, quod earum amittendam memoriam

cer

certo prævidereńt, cum non ignorarent, barbaras quasque gentes carere literis, carere ſcribis & hiſtoricis. Unde igitur Græci totius orbis Geographiam non modo noverunt, ſed etiam libris & tabulis tradiderunt? Unde vel tu noſti primum Hercyniæ veteris Germaniæque ſitum niſi ex Græcis Geographis? quis eis longe ſepoſitis hæc prodidit? unde vel remotiſſimarum aquilonarium gentium, poſtremæque Thulis notitiam habuere? An non multi Græci Romanas, contra Romani Græcas, Germanasque ſcripſere hiſtorias? an te latent Polybii, Quinti Curtii Ruffi, Plutarchi, Cornelii Nepotis, Taciti, Julii Cæſaris, aliaque obvia opera? ſed ais: *Græci a nobis lyncea diligentia excuſſi de veteribus Slavis Bohemis ne per fabellam quidem mentionem faciunt.* Itane lyncea diligentia Græcos excuſſiſti? Qui vero illi ſunt, quos vel vidiſti, nec enim dicere libet, excuſſiſti? fragmenta illa excerptaque Græcorum ſcriptorum, quæ in Jordano, Lucio, & Georgio Pray deprehendiſti, Græci tui ſcriptores ſunt. Si vero Græci *ne per fabellam quidem* de gente noſtra mentionem faciunt, quomodo Cianami Græci ſcriptoris de Tzechis teſtimonium ipſe adduxiſti? quomodo ſi illi de tam ſepoſitis terris cognitionem habere non potuerunt, tu tamen tot Slavicos Reges Ducesque ex Græcis hiſtoriis adverſum me protuliſti? Itane quia Græci majores noſtros & patriam non ipſo Boemorum aut Boemiæ nomine indigitant, de gente noſtra ne quidem per fabellam meminerunt? An non Porphyrogenitus multis locis meminit Germaniæ atque Hungariæ, cum tamen alterutrum nomen nuſpiam in ejus libris reperturus ſis? An hoc novum atque inſolens, ut eadem gens, pro nationum & linguarum diverſitate, denique pro temporum viciſſitudine alias atque alias appellationes habeat? Nunquam legiſti Hadriani Valeſii in Notis ad L. 2. Panegyrici Berengarii animadverſionem, dum ait: ſæpe unam eandemque gentem pluribus nominibus cum communibus tum propriis, & nonnunquam impropriis a diverſis gentibus deſignari. *Quod*, inquit, *qui non animadvertere, ſæpe opiniones valde abſurdas hiſtoricis attribuere, & hiſtoriam tam ſacram, quam profanam ſusdeque verterunt.* Et ſapienter Eruditiſſimus Aſſemanus: (a) *Hoc tamen certum eſt, Geographos* (ita & hiſtoricos) *antiquos in populorum nominibus exprimendis non tam proprietati nominum indulſiſſe, quam epithetis a græca lingua petitis.* Legiſti vel ſupra §. XIII. quadruplicem Ponti Euxini ſecundum diverſa gentium idiomata appellationem; oſtendi vero alias

Lucifer.

Pag. 68.

U 3 (a)

(a) Aſſeman. in Kalendariis Eccleſ. univerſæ T. I. p. 212.

LUCIFER. (a) invictis (invidioſum tibi verbum!) argumentis Porphyrogenitum per *Magnam & Belo-Chrobatiam* ſuam intellexiſſe Boemiam adſitamque illi Moraviam, Miſniam & Luſatiam, quemadmodum eum per Franciam ſuam Germaniam, & per Turciam Hungariam intendiſſe nemo controvertit. Niſi jactantiæ ſtigma ab invidioſo Luciferi tui animo ac oculis nomini meo inurendum metuerem, recitarem hic quinas Virorum quorumque doctiſſimorum, & a ſuis hiſtoricis vulgatis operibus celebrium epiſtolas, qui, nec viſu nec literario commercio unquam mihi cogniti, gratulatorias ad me dedere, quod tandem veteris illius *Magnæ Chrobatiæ* a Græcis ſcriptoribus proditæ ſitum recte explicaverim, probaverimque, atque commentitias illas Lucii *Babigoreas Babiosque montes*, quos ex Porphyrogeniti *Bagibarea* conjecturaverat, profligaverim. Quorum nonnemo duo nova etiam, mihique incognita argumenta ſuppeditavit: Et *primo* quidem inquit " *Bagibaream* in ſingulari numero a Porphyrogenito fuiſſe expreſſam: minus recte igitur pro Carpathicis montibus a Lucio potuiſſe explicari. *Secundo* monuit me, *ne hæſitarem* fidem adhibere Porphyrogenito: Belo-Chrobatos ſeu Bohemos Moravosque Slavos, antequam adhuc in Dalmatiam colonias duxiſſent, jam fuiſſe obnoxios Francorum Regibus. Nam certum eſſe ex epiſtola Theodeberti Regis ad Juſtinianum Imperatorem Orientis de ſubditis ſibi gentibus ſcripta (quæ inter Gallicarum & Francicarum rerum ſcriptores T. IV. excuſa ſit) Theodeberto huic quacunque ratione ſeu clientelari propria ſeu tributaria fuiſſe ſubjectam Bohemiam & Moraviam. Quam epiſtolam cum integram exſcriptam ad nos miſit, nos hic ea excerpta tradimus, quæ ad præſens argumentum faciunt: *Id vero* (inquit Theodebertus ad Juſtinianum) *quod dignamini eſſe ſolliciti, in quibus Provinciis habitemus, aut quæ gentes noſtræ ſint, Deo adjutore, ditioni ſubjectæ, Dei noſtri miſericordia feliciter ſubactis Thuringis, & eorum provinciis acquiſitis, extinctis ipſorum tunc temporis Regibus, Norſavorum gentis nobis placata majeſtas colla ſubdidit, Deoque propitio Wiſigotis, qui incolebant Franciæ ſeptentrionalem plagam, Pannoniam cum Saxonibus, Euciis, qui ſe nobis voluntate propria tradiderunt, per Danubium, & limitem Pannoniæ uſque in Oceani litoribus, cuſtodiente Deo, dominatio noſtra porrigitur.* Cui epiſtolæ ſuprafatus doctiſſimus Vir argumentationem ſuam & conjecturam his verbis ſubjungit: *Cum itaque hic Theodebertus omnes gentes a Danubio & Pannonia ad Oceanum ſeptentrionalem vergentes ſub ditionibus ſuis numeret,* quo-

(a) Annales mei Hegeciani Parte II. pag. 12. & ſeqq item ſupra.

quomodo Magni Chrobati ſeu Bohemi Moravique excludi poſſunt? Certum eſt in hujus Epiſtolæ voce Norſavorum *mendum eſſe, ut editio Pariſina teſtatur, legendumque eſſe* Nortmannorum: *quid ſi etiam in voce* Euciis *ſphalma eſt, (quis enim Eucios populos uſpiam legit?) & Theodebertus ſcripſit* Boiciis, *qui nempe illi ipſi Slavi Boemi ſint, quos* in loco ab ipſis Boici appellato *Conſtantinus Porphyrogenitus habitaſſe teſtatur? quo pacto Boemi voluntate propria ſe Theodeberto tradidiſſe dici poſſunt, & confirmabitur veterum novorumque hiſtoricorum ſententia de Bohemia tributaria.* Hactenus pereruditus Vir. LUCIFER.

V. Subjiciendum hic denique inſolentiſſimum Luciferi tui ſcribendi genus, cum ait: *At ſpero, ut ne ſua gloria excidat* (Gelaſius) *a nobisque, ad quam tanto niſu provecat, fidem Græcam tandem impetret. Fruſtra enim a nobis aliam habiturus eſt credulitatem, quam ipſi Græci ſcriptores hac in cauſa merentur.* Paſſim vero Græcorum ſcriptorum fidem ſic vellicat, ſic elevat, ſic deſpectui habet, ut non modo graviſſimos quosque ſcriptores Græciæ ab ipſis faſtis Eccleſiaſticis commendatos interque eos Procopium Cæſarienſem *Græculorum* cavillo laceſſat, ſed etiam illud Juvenalis fragmentum: *Quidquid Græcia mendax audet in hiſtoria* contemtim in eos ſtringat. Hac profecto confidentia, a quo natæ literæ, nomenque Græciæ & Græcorum exortum eſt, nemo unus inventus omnium mortalium, qui tantum fidei Græcorum detrahat. Igitur & Græci Sancti Patres ſummique Theologi, qui Chronica ſcripſere, omnes inquam hiſtorici Geographique hac *Græca fidei* cenſoria ferula a Lucifero tuo vapulant? Cui ſcientiarum potiſſimarum inventum, culturam & expolitionem debemus quam Græciæ? adeo ut Horatius de Romano populo ſcribat: Pag. 68.

Græcia capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit Agreſti Latio. Sic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius, & grave virus
Munditiæ pepulere. . . . (a)

Sane ut rerum omnium, ita etiam vetuſtorum adagiorum ſe imperitiſſimum probavit Lucifer tuus. Nam adagium hoc *Græca fides* ab ipſis antiquiſſimis Romanis pro certa nimiumque cauta fide acceptum eſt, dein nonniſi, cum Romanorum cum Græcis cœpiſſet æmulatio, atque mutuum exortum eſſet odium, *Græca fides* pro nulla adhiberi conſuevit. Hinc Eraſmus in Adagiis Titulo *Perfidia*: *Plautus Græcum fidem*

(a) Horat. l. II. Epiſt. I. v. 156. & ſeqq.

LUCIFER. *fidem dixit, ubi non verbis, neque ſtipulationibus, ſed præſente pecuniæ res agitur.* *Sic enim apud eum loquitur Clarena lena in Aſinaria:* "*Diem, aquam, ſolem, lunam, noctem, hæc argento non emo, cætera, quæ volumus uti, Græca mercamur fide.*" *Id eſt:* (ſubjungit Eraſmus) *numerata pecunia.* Quæ nimia Græcorum cautela, ut nemini crederent ac fiderent (ſi etiam ut Polybius libro ſexto dicit: *Decem antigraphis, totidemque ſigillis, duploque pluribus teſtibus* munitus debitor adeſſet) niſi præſentem pecuniam numeraret; poſtea occaſionem exteris dedit nimium ſuſpicioſam & ſcrupuloſam fidem ſatyris traducendi, ut mala fide Græcorum gentem eſſe ex hoc ipſo arguerent, quod illa tam ægre popularibus ſuis fidem haberet. Cujus quidem antiquæ Græcæ fidei, ſi me reum dixit Lucifer tuus, non dedecori vitioque deputo, nam & ego nec credo, nec fido niſi numeratæ pecuniæ, non fidem inquam habeo mille recentibus antigraphis, totidemque ſigillis, duploque pluribus teſtibus, niſi præſens ſit vetuſti coævi ſeu quaſi coævi documentum, quod mihi pecuniæ numeratæ loco eſto. Cæterum magna fuit inſipientia *Luciferi* tui, ſatyram, quæ gentium quandoque mutuo odio ac invidia naſcitur, ad ipſos ſcriptores detorquere, ignoravitne is, quod a Græcis ad Slavos ipſos hæc ſatyra tranſierit: ut *Slaviſca fides* paſſim a Germanis etiam quibusque veteribus pro mendaci aut nulla fide uſurparetur? Haud aliter de allegato Juvenalis carmine dica Lucifero tuo ſcribenda eſt, quem ſeu non legit, ſeu non intellexit, ſeu maligne truncavit. Juvenalis enim epythero ſatis uſitato *mendax*, hic pro *fabuloſa* utitur, nihilque aliud dicere intendit, quam etiam Græcorum hiſtoriam multis fabulis eſſe reſperſam, quod ut clarius cognoſcere liceat, jam integrum illius ſenſum ex Satyra 10. referre æquum eſt. Sic vero canit:

. . . . . . *Creditur olim,*
Velificatus Athos, & quidquid Græcia mendax (id eſt: fabuloſa)
Audet in hiſtoria, cum ſtratum claſſibus iisdem,
Suppoſitumque rotis ſolidum mare, credimus altos
Defeciſſe amnes, epotaque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Soſtratus alis.

Hem! verſus hic tuum accommodare & adſcribere fas eſto:

Pag. 74. *Paſtillos Rufillus olet, Gorgonius hircum.*

Ad §. XXIII. & XXIV.

LUCIFER.

I. Solito magis tubæ tuæ clangorem attollis tanquam certiſſima victoriæ ſigna daturus: Jam enim tanta tamque prolixa Regum, Ducumque Slavicorum recenſita ſerie me armis exutum arbitraris, magnæque in gratiæ loco a me reponendum eſſe, ſi mihi precario vitam concedas, quam eo magis clementiæ tuæ debiturus ſim, quod jam ex ipſo Procopio oſtenſurus ſis, veteres meos Zecchos ſeu Zichos olim Regibus ſuis non fuiſſe deſtitutos. Sed quis monſtri ſimilem non tuam gloriationem argumentationemque deputet? Nam cum ante integris paginis ad ravim usque declamaſti: Slavis Duces, Regesque fuiſſe, atque Monarchico uſos imperio; cum, inquam, Procopium non de Aſiæ, ſed Europæ Slavis loqui adverſus Collegam tuum diſputaſti, cum illum ipſum Procopii, uti & Porphyrogeniti locum de peculiari quadam Slavorum Republica aut interregno intelligendum eſſe aſſeruiſti, jam ex Regibus veterum Zecchorum (quorum quoddam indicium apud Procopium reperiſti) velis remisque conniteris evincere, hos Aſiæ Zecchos eam ob cauſam Slavos non fuiſſe, quia olim a Regibus gubernari ſoliti, quia Reges habere Slavis uſitatum non fuerit, quia illi ab antiquo plebejæ communique libertati aſſueti. Elleboro opus habet Lucifer tuus, cujus cerebrum quæ larvæ, intemperiæque agitent, ignoro. Itane Procopii illius *Græculi* locus haud multo ante in praviſſimum ſenſum detortus, ac penitus convulſus jam illi in pretio fieri occipit? jam illi ſecundum omnem latitudinem, præterque omnem explicationem vis, authoritas, pondusque conceditur? ſilentium jam præconis ritu tibi orbis literate indico, audi ſapientiam Luciferi e ſubſelliis perorantem: *Utique*, inquit, *implicat eos* (Zecchos Aſiæ) *fuiſſe generis Slavici*? Slavos enim idem *Procopius ſupra allatus ait* " *Non ab uno aliquo homine regi, ſed ab antiquo plebeja communique libertate vivere, ac res omnes, quæ vel utiles, vel difficiles ſunt in commune conſilium deducere.* „ *Quantum* (perſequitur) *diſcrimen inter gentes! Zecchi ab olim aliunde impoſito regi ſerviunt! Slavi ab antiquo plebeja communique libertate vivunt! Zecchi imperata facere ab olim debebant! Slavi ab antiquo res omnes, quæ vel utiles vel difficiles ſunt, in commune conſilium deducunt! Romanis Zecchi ſerviunt! Slavis vel ipſi Romani!* Hæc magno ſupercilio plauſuque Lucifer tuus, tanquam omnis memoriæ, judicii, rationisque naufragium feciſſet. Heu mi tenebrarum angele, quam tenaci viſco alas tuas implicuiſti! aucupis prædam & ſpolium te factum eſſe,

Pag. 70. *usque* 74.

Pag. 72.

LUCIFER nemo jam dubitabit. Itane jam verum indubitatumque: Procopium non de aliqua peculiari nobis incognita Slavorum republica, ſed generatim de omnibus ipſius etiam Aſiæ Slavorum nationibus, non de commentitio aliquo interregno, ſed de more antiquo, & veteri patrio inſtituto locutum fuiſſe? ſi jam te ipſo teſte Slavi ab antiquo plebeja communique libertate adhuc Procopii ævo vixere, ſi non ab uno aliquo homine regi ſoliti, ſi res omnes, quæ vel utiles vel difficiles ipſis viſæ, in commune conſilium deductæ, qualenam iſtud fuit imperium? Monarchicum, an Ariſtocraticum, Democraticumve? qui fieri potuit, ut Czechus tuus inter Slavos Boemiæ eſſet non modo ſupremus & primus Dux, ſed etiam Boemia vetus ſuum nomen abjiceret, novumque Czechiæ ab ipſo ſuſcipere gauderet? Si hoc unum tibi inter Tartaros & Slavos diſcrimen, quod iſti communi plebejaque libertate non ab uno homine regerentur, illi Ducibus Regibusque colla ſua ſubderent, quo rurſum effugio defenſurus es Czechum tuum illiusque viæ comites Slavos fuiſſe? Quid tibi reſtat, quam ut Tartaros gente confitearis? An non hic egregio tuo dicto, alias in me vibrato, opportuniſſimus locus eſt: *Frigidum & calidum eodem ore reddis.* Verum in quo dialecticæ ludo hoc nusquam auditum argumentandi genus didiciſti Lucifer, ut idem principium, quod adverſario tuo negaſti, poſtea in ſententiæ cauſæque tuæ robur adferres, atque ex negatis & refutatis illum refellere auderes? Quid agis? quid moliris? quid cogitas? putasne mihi quoque opus eſſe ad ejusmodi fœdiſſimam ſophiſmatum licentiam deflectere? Ego vero Zecchos veteres Aſiæ Slavos gente fuiſſe audacter pronuncio, nec nego olim Reges habuiſſe: ſed cujuscemodi Reges? audi Procopium vel tuis verbis loquentem: *Ponti Euxini littus Zecchi inſederunt, quibus Regem olim Romanus dabat Imperator.* Romanus itaque Imperator dabat, ſeu potius intrudebat Regem veteribus Zecchis; nusquam veſtigium in hiſtoriis deprehendes ab ipſis Zecchis Regem aliquem electum. Dabat nempe Romanus Imperator ea norma, qua Græci Henetis, Ducesque Chrobatis Dalmatiæ, & Franci poſtea ſubactis aliis Slavicis nationibus, qui ut ſupra ex Jordano legiſti, nomen ſolum Regum Ducumque gerebant, ceterum vel ob hoc ipſum perpetuo Slavis inviſi, atque re ipſa haud alia authoritate præditi, quam quod Satrapæ, Comites, Procuratoresque Græcorum atque Francorum eſſent, quo umbratico imperio minime interior rerumpublicarum Slavicarum ſtatus turbabatur. Quin cum & illud formidandum videretur, ne temporum longinqui-

Pag. 71. & 72.

tate

ſtate majores vires acquireret, atque in authoritatem ipſam juſque transſiret, eousque nonniſi id ſuſtinuere Slavi, dum ad ejusmodi vim retundendam vires ſuas impares adverterent, ut vero primum occaſio tempusque data ſint jugum iſtud quale quale demum excutiendi, extemplo ejusmodi larvatos Reges Ducesque ſcenam ſuam abſolviſſe videre licuit, quemadmodum id ingenue de his ipſis veteribus Zecchis fatetur Procopius, ſupra memoratæ enim orationi ſuæ mox ſubdit: *Nunc Romanis nulla in re parent hi barbari.* Quia nempe, ut ſupra memoratus Flavius Joſephus & Marcellinus memorat: *ſervitus quid ſit, ignorabant, omnes generoſo ſanguine procreati.* Haud aliud itaque, quam Ariſtarchi obeliſcos merito reprehenſionem tuam dixerim, cum criminaris a me in Prodromo pag. 58. Procopii textum minus fideliter recenſitum, & verba illa: *quibus Regem olim Romanus dabat Imperator* fuiſſe reſecta, quod *prorſum cato a me factitatum*, garris, *conſilio; Nam me nunquam paradoxorum meorum pertexturum fuiſſe telam, ubi integrum textum recitaſſem.* Sed jam integrum tibi recitavi, integrumque concedo, quid ex illo adverſus ſententiam meam confeciſti? Quid cauſæ mihi fuit catique conſilii, ut verba poſteriora nihil ad argumentum meum conducentia tegerem? ſedes veterum Zecchorum indigitare ibi mens erat, non umbraticos Reges jactare. Quo ſtudio ſi te delectari noviſſem, noviſſem, inquam, te Regum Zecchicorum nomina venari, næ ego vel tibi unum nomine *Cotim* prodidiſſem, de quo Conſtantinus Porphyrogenitus his verbis: (*a*) *Teſtificatur etiam Phlegon in Olympiade XV. Boſphorum ſub dominatu fuiſſe Cotis Boſporiani regis, cui Cæſar juſſit diadema geſtare.* Nihil itaque me *umbræ Regis* terruere, aut impulere ad truncandam Procopii orationem; nihil minori negotio fugatur quam umbra, ſi vel minimam lucem injeceris. Injecta jam a me ſuperiori hiſtoriæ luce, umbræ Regum tuorum penitus evanuere. Sola vera Monarchici regiminis auctoritas vetuſtis tabulis probata terrori mihi eſſe poteſt, fugata nomina regum tuorum rideo, explodoque. Nempe fateatur jam Lucifer tuus: LUCIFER. Pag. 72.

Nocte ſatus, genitore orbus, ſum nomine Momus,
Dente Theonino ſingula rodo lubens. (*b*)

II. Ut veteres Aſiæ Zecchos municipio Slavicæ civitatis penitus exturbes, ad mores illorum hinc atque illinc in veteribus proditos tran- Pag. 73.

(*a*) Conſt. Porphyrog. l. 2. de Themat. (*b*) Had. Junius Emblemate 1.

LUCIFER. tranſis, nullumque non moves lapidem, ut oſtendas eos diſſimillimos fuiſſe a moribus priſcorum Slavorum, adeo ut quantum inter *bubonem & aquilam, harpygias & luſcinias* diſcrimen eſt, tantum imo majus *inter veteres Zecchos, Slavosque* fuiſſe dictites. Quanto auſis mecum certare pignore, ſi evicero non aquilam aquilæ, non luſciniam philomelæ ſimiliorem eſſe, quam eorundem Aſiæ Zecchorum mores priſcorum Slavorum ipſorumque majorum noſtrorum moribus? Luciferi tui pellis pignori ſit, qui vapulet, ſi vicero. Euax! periculum facere liceat: Omnium primo producis quodpiam fragmentum MS, quod Joſephus Innocentius Deſericius ab Hiſtoria ſua Hungarica multum nominatus, Ordinis mei minimi Alumnus, magnoque rei literariæ damno anno primum ſuperiore fatis functus in Bibliotheca Vaticana detexit, atque ſuis laudatiſſimis Commentariis Hiſtoriæ Hungaricæ inſeruit, e quibus rurſum illud eruditiſſimus Vir Georgius Pray S. J. excerpſit, & in Annalibus ſuis Hunnorum in Diſſertatione prævia P. III. p. 316. & 317. ad verbum retulit. In hoc MS. dicitur: *Principem Zecchorum centum habere uxores, regionis vero illius viros caput radere & barbas nutrire.* Hi illi tibi bubonum & harpygiarum mores, qui aquilis Slavis tuis videntur difformiſſimi. Verum antequam altum ingrediar, præfari & quærere ex te liceat, num in Cl. P. Georgio Pray (nam Deſericius noſter nusquam tibi viſus) legeris hoc MS. a quodam Ordinis Prædicatorum F. Richardo ſub Gregorio IX. Papa & ſæculo ineunte XIII. conſcriptum fuiſſe? Eo tempore, ut infra ex Græcis coævis monumentis oſtendemus, jam Zecchorum veterum ſedes, ac finitima Mæotydis Pontique Euxini litora Tartari occupare cœperunt, veteribusque Zecchis partim in montana actis, partim in morum linguæque ſuæ conſuetudinem traductis iſthic pleno jure dominari exorſi ſunt, ut obſcurum videri poſſit, hiſtoriane iſta ſpectet ad tempora anteriora ſeu poſteriora irruptione Tartarorum. At quoniam rem in medio relinquere animus nobis non eſt, & F. Richardus in ſupra fato MS. ſuo dicat: Fratres Ordininis Prædicatorum ex Sichia in Alaniam ulterius progreſſos, *de loco vero illo fratres ſocietatem habere non poterant procedendi propter timorem Tartarorum, qui dicebantur eſſe vicini*, & poſtea: *Qui* (nuncius Ducis Tartarorum) *dixit, quod exercitus Tartarorum, qui tunc ibidem adquinque dietas vicinus erat, contra Alemanniam vellet ire.* Ex his fas eſt conjicere has F. Richardi memorias omnino adhuc ſpectare ad eos paucos annos, antequam Tartari Zecchiam & adjacentes finitimas regiones invaſiſſent, atque demum plane ſe ſe in Europam effudiſſent. Conce-

ce-

cedendum itaque tibi hunc Zecchiæ Principem ejusque populum adhuc ex Zecchorum veterum Slavica gente ac ſtirpe fuiſſe; ſed jam oſtendendum: nec polygamiam, nec capitis tonſuram, nec barbæ cultum alienum fuiſſe a moribus Slavorum, atque ipſorum majorum noſtrorum. Et quidem ut de Polygamia ordiar, audi Aimonium de Samone Slavorum Duce vel a te laudato commentantem: (a) *Habuit quoque* (Samo) *duodecim ex genere Winidorum uxores, ex quibus XXII. filios ac XV. genuit filias.* Quæ eadem in Hermanni Contracti Chronico ad annum 626. narrata reperies. Plurimas ejusmodi pellices adſcribit Crummo Bulgariæ Principi Continuator Theophanis, qui de reditu illius a Sacrificiis loquens, inquit: (b) *Medioque pellicum agmine pertranſito ab eis laudem & honorem excepit.* Quid dicam de Poloniæ Principibus? Legeſis Kadlubecii Chronicon, & quantos uxorum greges pluribus locis offenſurus? Sed quid aliena exempla ſector, an domeſtica non ſuppetunt? Nimis indiligenter a te lectus Coſmas, qui non modo Polygamiam, ſed quod fœdius eſt, uxorum promiſcuum uſum majoribus noſtris concedit. Verba illius ſunt: (c) *Et ipſa connubia erant illis communia. Nam more pecudum ſingulas ad noctes novos promebant hymeneos, & ſurgente aurora trium gratiarum copulam, & ferrea amoris rumpebant vincula.* Quin inductis jam Chriſti ſacris ægre majores noſtros ab Ethnica plurium uxorum conſuetudine receſſiſſe his verbis rurſum teſtatur Coſmas. (d) Nam de Udalrico Duce raptuque Bozenæ loquens, ſubdit: *Hanc continuo mittens Dux tulit in ſua, nec tamen antiqua ſolvit connubia. Quia tunc temporis, prout cuique placuit, binas vel ternas conjuges habere licuit. Nec nefas fuit viro rapere alterius uxorem, & uxori alterius nubere marito. Et quod nunc aſcribitur pudori, hoc tunc fuit magno dedecori, ſi vir una conjuge, aut conjux uno viro contenti viverent. Vivebant enim quaſi bruta animalia, connubia habentes communia.* An non legiſti etiam inter Acta S. Adalberti hanc unam e præcipuis cauſam fuiſſe, quod ſolum verterit, Epiſcopatumque ſuum deſeruerit? An non præeunte verba Severo Epiſcopo Pragenſi hanc tandem peſſimam conſuetudinem ſe depoſituros Gneſnæ ad ipſam tumbam corpusque Divi Adalberti polliciti ſunt majores noſtri, ut vel ipſe Hagecus tuus teſtatur? (e) Vah! an hoc non eſt laureolam in muſtaceo quærere, cum tibi cum æmulo diſceptandum eſt, qui ne elementa quidem hiſtoriæ patriæ callet? Quid vero magis abſonum

LUCIFER.

 quam

(a) Aimonius de geſtis Francorum l. 4. c. 9. (b) Contin. Theophanis p. 431. (c) Coſmas l. 1. Chron. (d) Idem ad an. 1002. (e) Hagec. ad an. 1039.

LUCIFER. quam ex tonſura capitis, aut barba diſcrimen gentium inferre? Quis tam invita Minerva natus, ut ignoret unam eandemque gentem etiam quandoque intra ſæculi unius ſpatium in his variaſſe? Vide ſigilla Ducum noſtrorum ex ordine, quo ſibi ſucceſſerunt, & jam raſo capite mentoque, jam alterutro eorum, jam promiſſa barba paſſisque capillis ſimulacra eorum excuſa ſpectaturus es. Viſurus illam barbam veterum Zecchorum adhuc in ſigillis Caroli IV. filiique Sigiſmundi, eandemque tibi in imaginibus coævis caſtri Carlſteinenſis, quin & in ſaxo pontis Pragenſis explorare fas eſt. An non audiiſti unquam nullum majoribus noſtris ſanctius jusjurandum fuiſſe, quam apprehenſa manu barba? Anne idcirco Ruſſi, multique Pannoniæ Slavi, qui hodie etiam barbas nutriunt, e ſtirpe & republica non ſunt Slavica? An Poloni qui hodiedum capita radunt, idcirco tibi gente Tartari? Sed jam auſculta Balbinum, quæ ævo ſuo in patria noſtra capita radendi inoleverit conſuetudo, ut ſimillima plane fuerit illi Zecchorum Aſiæ, qui, ut tu ex F. Richardo adfers, *ſuper auriculam ſiniſtram paucos reliquebant capillos, cætera parte capitis tota raſa.* Ita vero Balbinus, poſtquam

Pag. 73. præfatus fuiſſet antehac conſuetudinem fuiſſe comam nutriendi; (a) *Ad finem* (inquit) *prioris ſæculi mutata res eſt, meque puero, in Bohemia inſolitum erat capillum alere, attondebantur pene omnes, relicta tamen ad auriculam utramque vel alteram veluti crinium flammula* (Sticzkam *appellabamus*) *quam etiam magiſtri pueris nobis velut additamentum inutile & vanum abſcindere ſolebant.* Quanquam in eo vix Balbino aſſentiri poſſim eam mutationem primum ſæculi prioris, id eſt milleſimi quingenteſimi, fine accidiſſe, habui enim in manibus Tabulam Geographicam Boemiæ ſub initio ejusdem ſæculi & imperio Ludovici Regis noſtri excuſam, quæque nunc in Bibliotheca Illuſtriſſimi ac Excellentiſſimi D. D. Epiſcopi Litomericenſis ſervatur, in qua ſimillima raſura diverſi ordinis homines Boemos ſpectare licet; niſi morem eodem ſæculo abolitum, & rurſum revocatum dicamus. Vide igitur quantum doctrinæ tuæ exiſtimationi Vir Cl. detraxeris, cum hos veterum Zecchorum mores

Pag. 74. cultumque *hircum olere*, & a ceterorum Slavorum uſu tanquam *Harpyias a luſciniis* alienos intemperantiſſime dictitaſti. Quis ſibi perſuaſurus eſt te hiſtoricum enavigaſſe æquor, qui intra portum carinæ gubernandæ uſum non habes? *Navigare vis?* (inquit pervetus Poeta) *procelloſum ante cogites mare.*

III.

(a) Balbin. Miſcell. Dec. 1. l. 3. c. 20. §. 4.

III. Omnium vero indigniſſimum tibi videtur manſuetudine & gloria veterum Slavorum, ut hoſtiis humanis aliquando Deos ſuos placaſſent, quod tamen de Zecchis Aſiæ Ammianum Marcellinum teſtari ais. Dubio huic tuo ex ignoratione hiſtoriæ Slavicæ profecto cumulate reſpondimus in Confutatione Dedicationis tuæ, ubi ex vetuſtis Græcis latinisque ſcriptoribus oſtendimus hoc ipſum ſacrificii genus veteribus Ethnicis Slavis fuiſſe uſitatiſſimum. Sed quandoquidem ibi polliciti ſumus nos alibi examinaturos an hæc a Marcellino commemorata *diritas* proprie ad Zecchos noſtros veteres pertineat, jam hic Hiſtoricos, Geographos, Poetasque Marcellino antiquiores conſulere æquum erit, nec fortaſſe antiquitatum cupidis diſquiſitio iſta injucunda accidet. Antiquiſſimæ ſunt Deæ Dianæ ſeu *Orſiloche* in Taurica memoriæ, adeo ut jam Oreſtes Agamemnonis Mycenarum & Argivorum Regis filius, qui undecim ſæculis ante Chriſtum natum floruiſſe perhibetur, conſulto Delphico Apolline oraculum accepiſſe feratur, ut hoc Dianæ ſeu Orſiloche ſignum tolleret. Ad quam tantam antiquitatem non ſatis idoneum teſtem produxiſti Ammianum Marcellinum quindecim ſæculis poſteriorem, qui Sinchis ſeu Zechis populis eam *diritatem* adſcribit, quod hoſpites quosque hujus Dianæ ſimulacro ſoliti ſint immolare, atque inde Pontus Euxinus nomen *inhoſpitalis* indeptus ſit. Certe vel in eo falſus jam Marcellinus, cum hanc diritatem in hoſpites exerceri ſolitam quaſi ævo ſuo durantem ipſumque mare innavigabile innuit, cum tamen ejus ævo ne veſtigium quidem ſeu fani ſeu ſigni Dianæ ſuperfuerit, imo jam ſæculis tribus ante de maris hujus ſecuritate teſtetur Joſephus Flavius de populis Boſphorianis & Mæotycis loquens: (a) *Nunc vero*, inquit, *militum ſubjiciuntur tantum tribus millibus: & quadraginta naves longæ innavigabile prius mare in pace cuſtodiunt.* Ne dicam in odium Zecchorum meorum veterum oppido a te truncatum Marcellini textum, qui itidem, ut veteres alii, Tauris hanc diritatem adſcribens, non ſolos Sinchos, ſed Arinchos & Napæos hujus quoque feritatis ſocios commemorat, ſic vero ille: (b) *A quibus* (Cherſoneſi coloniis) *per varia regna diducti itineribus modicis Tauri diſſociantur, inter quos immani diritate terribiles Arinchi, & Synchi, & Napæi intendente ſævitiam licentia diuturna indidere mari nomen inhoſpitali &c.* Tauri autem, a quibus regio *Taurica* nomen accepit, vocantur

LUCIFER.

Pag. 73.

(a) Flav. Joſephus de bello Judaico l. 2. c. 16. (b) Ammian. Marcellinus l. 22. p. m. 478.

LUCIFER. tur a vetuſtioribus omnibus illi populi, qui primi hoc Dianæ ſignum mactatis humanis hoſtiis coluere. Agmen inter hos ducit Herodotus Halicarnaſſeus Hiſtoricorum Princeps ſæculis octo vetuſtior Marcellino, qui de Tauricæ incolis ita commentatur: (a) *Equibus Tauri hujusmodi moribus utuntur. Virgini naufragos immolant, & quoscunque Græcos illac delatos hoc modo: Poſtquam preces peregerint, hominis caput clava feriunt, truncum ejus quidam ajunt deturbari de rupe. Nam in rupe prærupta templum eſt eorum ſitum. Cruci affigunt caput. Quidam de capite ſuffigendo conſentiunt, ſed truncum e præcipitio dejici negant, ſed hunc contegi dicunt. Dæmonem cui immolant, ipſi Tauri ajunt eſſe Iphigeniam.* Ovidius crebro rei hujus meminit, ipſisque Tauris facinus hoc adſcribit, nobis hic unicum ejus locum e libris Triſtium proferre libet: (b)

> *Non procul a nobis* (ſcilicet Ponto) *locus eſt, ubi Taurica diræ*
> *Cæde pharetratæ ſpargitur ara Deæ*

Pomponius Mela: (c) *Tauri Iphigeniæ & Oreſtis adventu maxime memorati, immanes ſunt moribus, immanemque famam habent ſolere victimis advenas cædere.* Lactantius: (d) *Erat lex apud Tauros inhumanam & feram gentem, uti Dianæ hoſpites immolarentur, & id ſacrificium multis temporibus celebratum eſt.* Procopius Cæſarienſis, ætate quidem Marcellino poſterior, ſed regionum harum peritia multo perpolitior, utpote qui cum Belliſario has ipſe terras adiit, æque Dianæ fanum non Zecchis a ſe commemoratis, ſed veteribus Tauris adſcribit: (e) *Poſtquam Oreſtes,* inquit, *a Tauris abiit cum ſorore* &c. Jam ſi hanc vetuſtiſſimam Taurorum immanitatem Zecchis Aſiæ populis imputare tibi libuit, oſtendendum erat: hos Zecchos adhuc veterem illum Taurorum populum fuiſſe, non novum, non adventitium. Ego vero cum Cl. Aſſemano, (f) ut omnium Slavorum, ita etiam Zecchorum memorias non tam altas vetuſtasque apud Pontum Euxinum & Paludem Mæotydis deputo, ut ætatem Oreſtis æquarent, quin ſi coloniarum harum Slavicarum iſthic longiſſimum a me defigendum eſt tempus, poſt Trojanum primo bellum ipſis initium dare auſim, poſt quod tot tantasque gentium migrationes accidiſſe memorat Strabo his verbis. (g) *Poſt bellum Trojanum,* inquit, *Græcorum migrationes, tum Trerum, Cimmeriorum* (ii fini-

(a) Herodotus Halicar l. 4. (b) Ovidius l. 4. Triſtium Eleg. 4. (c) Pomponius Mela de ſitu orbis l. 2. (d) Lactantius de falſa religione c. 21. (e) Procopius l. 1. de bello Perſico c. 17. (f) Aſſeman Kalend. Eccleſ. univ. T. I. p. 264. & 265. (g) Strabo l. 12.

finitimi fuere Tauris Zechiæque proprie poſtea dictæ veteres indigenæ) *Lydorum* (quibus finitimi erant Heneti unoque nonunquam nomine comprehenſi) *Perſarum deinde: Macedonum & ad extremum Gallorum irruptiones, conturbaverunt omnia, & confuderunt. Obſcuritatis vero cauſam non mutationes duntaxat præbuerunt, ſed & ſcriptorum diſſenſio de iisdem non eadem dicentium.* Profecto Amazonum memorias (cum Pentheſilea, quæ Trojam Priamo in auxilium venerat, ibique tumulum cum exercitu ſuo invenerat) in Aſia minore hoc ipſo tempore deperiiſſe paſſim ſcribunt authores, ab his autem originem duxiſſe Sauromatas Mæotydis accolas hoc carmine tradit Dionyſius: (a). LUCIFER.

Mæotæ primum tangunt Mæotydis undas,
Sauromatæque truces, gens aſpera Martis in armis,
Sanguis Amazonidum.

Immigrationis hujus porro meminit Strabo, qui tamen Cimmerios Boſphorianos a Scythis depulſos ſcribit, ſic vero ille: (b) *Fuit quodam tempore magna Cimmeriorum in Boſporo potentia, qui Cimmerius Boſporus ab iis dictus fuit. Hi ſunt, qui regiones continentis a dextra Ponti usque ad Joniam incurſionibus vexaverunt. Atque hos quidem Scythæ iſtis e locis expulerunt.* Nemo autem eruditorum ignorat, ut alias oſtendimus, Græcos Latinosque ſcriptores promiſcue vocabulo *Scytharum* & *Sarmatarum* uſos. Ut multo poſterius etiam factum deputem, cum Slavi Ponti Euxini & Mæotydis accolæ tandem etiam imperium ſuum in Tauricam Cherſoneſum protenderunt, atque abhinc Tauros illos veteres ejecerunt. Quare vetuſtiſſimis his monumentis æqua lance penſatis propalam eſt: Taurorum illorum veterum immanitatem tantoopere a te exaggeratam nihil ad Zecchos noſtros, Slavicosque populos multo poſterius has regiones ingreſſos pertinere. Quanquam ſi perſtes induresque in ſententia, Zecchisque hanc qualem qualem maculam inuſtam contendas, nihil adverſum me confecturus ſis, qui in confutatione Dedicationis tuæ luculentis vetuſtatis exemplis probavi, etiam ejuscemodi humanæ victimæ ſacrificiique genus a Slavorum veterum moribus non fuiſſe alienum.

IV. Ita cum animo meo conſtitui nihil diſſimulare, aut ſilentio premere in hac Apologia, ubi ubi peccatum Luciferi tui animadvertero:

(a) Dionyſius in Periegeſi. (b) Strabo l. XI.

LUCIFER. *Tarda licet Nemeſis pœnam differre videtur,*
Attamen a tergo dura flagella quatit. (a)

Pag. 70. Leviora hic quædam tua hoc paragrapho admiſſa perſtringere libet: Et quidem 1. ais: te non credere: *veteres Slavos Monarchico eoque ſumme deſpotico genere fuiſſe dominatos, qualiter omnes Aſiaticæ uti Zinchi, Zichi, & Zecchi fuere nationes, quas Ariſtoteles barbaras & ad ſervitutem natas ſæpius vocitat.* In margine vero apponis: *In Politicis*; ut indigites Ariſtotelem in libris Politicorum hæc aſſerere. Ubi vero is locus in octo libris Politicorum Ariſtotelis eſt? male tibi præluxit Lucifer, nam Zinchorum, Zichorum, aut Zecchorum nomen his octo libris abeſt, nec univerſim is uſpiam Aſiæ populis Monarchicum, ſeu ut tu vocas, ſumme deſpoticum imperium concedit. Si Aſiæ nationes barbaras vocat, nihil extra ævi ſui morem ſcripſit, quo omnes gentes extra Græciam ipſique Romani paſſim a Græcis *barbari* appellati. Erudite hanc in rem Georgius Hornius a te laudatus: *Per barbaros intelliguntur*
Pag. 72. *omnes extra Romanum Imperium populi.* (b) 2do Nimium pompatice de gente Slavica loqueris: *Romanis*, (inquis) *Zechi ſerviunt! Slavis vel ipſi Romani.* Et infra profers locum ex Theophane & Nicephoro, quo dicitur Conſtantinum *annua penſitatione promiſſa* pacem cum Bulgaris facere coactum. Vah! hoccine eſt *Slavis Romani ſerviunt*? Tune Lucifer qui tantus tamque ſpectatus videri cupis juriſperitus, & tota lucubratione meros textus Juris ſpuis, neſcias, quid interſit inter annuam pecuniæ penſitationem & ſervitutem eam, quam hic effingis? adi vel Jordani maxime tibi triti authoris Archi-Pincernatum ſeu ejus Origines Slavicas c. 29. §. 41. & ex vetuſtis exemplis authoritatibusque graviſſimis diſcrimen, quantum inter album & nigrum eſt, deprehendes. 3tio Meliorem uſum illius ex Horatii L. 1. Satyra. 2.
Pag. 74. adagii: *Paſtillos Ruſillus olet, Gorgonius Hircum*, edocere Luciferum tuum par eſt, ut poſthac magis congrue illo utatur, audiat vero de hoc adagio loquentem Eraſmum Roterodamum: *Dicendum vel in duos aliquos diverſis laborantes vitiis, vel in eundem ſui diſſimilem: nempe modo loquaciorem quam ſat ſit, modo impendio taciturnum, interdum pueriliter ineptum, interdum Catone ſeveriorem: nonnunquam profuſum, nonnunquam ſordidum. Siquidem ut vitio dandum, ſi quis hircum oleat, ita adæque vituperandum, ſi quis oleat unguenta. Nam paſtilli pillulæ ſunt unguentariæ.* Vide quam nihil

(a) Flor. Schoonhovius Emblem. 51. (b) Hornius in Arca Noe p. m. 170.

nihil aptius elegantiusque in unum eundemque Luciferum tuum dici poſſit, qui cum Catonis ſupercilio paſſim juveniliter petulcit. LUCIFER.

Ad §. XXV.

I. Malum! quis iſte rerum tuarum & argumentorum ordo? rurſum ad mare tuum Caucaſeum redis, atque ex ipſo locorum ſitu conaris oſtendere iſthic non habitaſſe Slavos. Nam producto Procopii de bello Gothico valde prolixo loco gentes enumeras, quæ Pontum Euxinum ultraque eum coluere, & ſubdis: *En Zichos* (Zechos hic appellat Procopius) *in littore maris Euxini procul hinc in Aſia! en Slavos in ripa Iſtri ſeu Danubii in Europa! viden Zichos in oriente, Slavos in ſeptentrione!* Video, & in cute video Luciferum tuum novum illum Geographiæ Architectum! qui plagas mundi tam ſcite novit diſpeſcere: Procopius Pontum Euxinum deſcribens, ad ejus *ſeptentrionem*, inquit, habent *Antarum populi infiniti*, Lucifer tuus locum hunc explicans, ait: *En Slavos in ripa Iſtri ſeu Danubii in Europa!* Itane reſpectu Ponti Euxini Danubius ſeu Iſter ex plaga ſeptentrionali eſt? Næ ille cum totam hiſtoriam invertit, jam nobis Geographiam orbisque plagas etiam invertat. Si enim Danubius Ponto Euxino ad ſeptentrionem eſt, proculdubio Boriſthenes & Tanais ad occidentem aut plane meridiem illi erit. De aliis hic Slavis Antisve loquitur Procopius, cum Ponto Euxino Tanaique fluvio obtentos commemorat, nempe de illis, quos Plinius l. 6. c. 7. *Antacas* vocat, & quorum ſitum his verbis deſcribit: *Sunt qui circa Mæotin ad Ceraunios montes altiores has tradunt gentes a litore Napæas, ſupraque Eſſedones Cholchis junctos ac montium cacuminibus, dein Carmacas, Oranos, Antacas &c.* De Iſtri accolis agit Procopius libro 3. c. 14. dum ait: *Et vero hi populi, Sclaveni & Antæ ulterioris ripæ Iſtri partem maximam habent.* Hi vero iſthic non fuere indigenæ, ſed advenæ, nec enim in ullo veteriore Geographo aut hiſtorico *Antas* ſeu *Antacas* in ripis Danubii reperturus es, ut itaque Procopius de ævo ſuo ſæculoque ſexto loqui cenſendus ſit. A Danubio vero in ſeptentrionem etiam protenſos tum fuiſſe ipſe non nego. Sed cum hunc errorem tibi condonat Geographorum Schola, condonetne alterum, cum ais? *Videsne Zechos in oriente, Slavos* (imo Antas) *in ſeptentrione!* Avesne cognoſcere quantæ difficultatis quantique roboris hæc tua ſit argumentatio vel uno pede in limen Geographiæ ingreſſis? Simillima eſt illi, ſi dicam: Boemi, Poloni, Ruſſique verſus ſeptentrionem

Pag. 74. Pag. 74. Pag. 75.

LUCIFER. nem ſiti, ſunt Slavi gente, ergo Dalmatæ, Croatæ, Servii, Bulgaresque verſus meridiem & orientem colentes non ſunt Slavi. Oſtendiſtine vel minimo indicio ex Procopio hos *Zecchos* non fuiſſe Slavos, aut inter gentes Pontum Euxinum accolentes aliquas non fuiſſe Slavicas? Oſtendiſtine vel per umbram ex Procopio has ipſas gentes Tartaros aut Tartaricæ ſtirpis fuiſſe? Vah ſummam hiſtoriæ imperitiam! Tartaros aut Tartaricam ſtirpem ad Pontum Euxinum jam his ſæculis quærere, qui longiſſime, ut poſtea demonſtrabo, remoti, ſæculo primum XIII. innotuere, atque in has plagas ſe infudere. Et ut tribus verbis complectar omnia: legiſtine unquam in vetere aliquo Geographo vel Hiſtorico ante ſæculum XIII. vel ipſum *Tartarorum* nomen? ſed de hoc alias.

II. Aliud longe majus offendiculum pedibus meis ex eodem Procopii a te prolato loco opponere campus hic tibi erat. Nam cum is dicat: *Palus* (Mæotis) *autem in Ponti Euxini littus evolvitur, qui illic habitant, Cimmerii dicti olim, jam vocantur Cuturguri*, idem Procopius autem eodem libro c. 5. hos *Cuturguros* Hunnos appellet, non inerme tibi multoque robuſtius ſuperiore argumentum capere fas erat: hos veteres Zecchos ſtirpis & gentis fuiſſe Hunnicæ. Sed quandoquidem umbratici illi Tartari ne per nomen quidem his ſæculis noti vel eo capite alte animo tuo inſederunt, quod illorum tam terrifica tua hypotypoſi magis exacuendam invidiam odiumque popularium meorum adverſus me ſcriptaque mea ſperares, idcirco tam validas difficultates penitus prætermiſiſti, quas jam ipſe mihi hic opponam, diluamque, ut ne hac parte vacillans Zecchorum hiſtoria relinquatur. Et quidem loco illi tuo Procopii quo Cuturguris ſedem ad oſtia Paludis Mæotydis concedit, & quem olim Cimmerii tenuerunt, alium etiam ex hujus libri c. 5 apponam, quo Hunnos a Cherſoneſo uſque ad Boſphorum habitare innuit, verba illius ſunt: *Ab urbe Boſphoro ad urbem Cherſonem ſitam in maris litore, & Romanis jam inde olim ſubditum tenent barbari, utique Hunni quidquid interjacet.* Nec enim quidquam celare velim, quod opinioni meæ de Slavis Zecchis adverſum quaqua demum ratione videri poſſit. Ut autem difficultatem hanc elidam, ante omnia animadvertendum: Procopium copioſe hoc loco diſſerere de Hunnis illis, qui everſo filiorum Attilæ in Europa, transdanubianisque regionibus imperio ad ſuas veteres Aſiæ ſedes rediere, hinc in eundem locum eruditiſſime commentatur Doctiſſimus Vir Georgius Pray (*a*) *Itaque Hunni Utur-*

(*a*) Annales Hunnorum P. 2. Diſſert. prævia p. 195.

Uturguri & Cuturguri: quorum Procopius laudato loco meminit, reliquiæ eorum erant, quos occiſo Ellaco Attilæ filio natu maximo, ac deinceps ſublato quoque Dengizicho in Scythiam retruſos ſub Immacho natu minimo alias commenſtravimus, qui ad id tempus, quo hæc Procopius literis conſignavit, facile in tam frequentem populum excreviſſe poterant, ut ſub diverſis Principibus diverſa item nomina indepti eſſent. Hi itaque reduces, a Cherſoneſo ad Boſphorum & per paludis Mæotydis litora imperium ſuum dilatarunt, ut fuſe hoc capite perſequitur Procopius, nec tamen alias gentes jam prius hic habitantes exturbaſſe leguntur, nam quanquam prius cum Gothis crebro manum conſeruerint, tamen pace poſtea tranſactum, ut Gothi *amici impoſterum ſociique Uturgurorum pari cum ipſis jure ſemper viverent,* ut inquit Procopius; quod multo magis de Slavis iſthic colentibus ſentiendum, qui Hunnorum ante perpetuo ſocii & fœderati erant, nec dubitandum inter Hunnos ipſos reduces plures Slavos fuiſſe veterum ſuarum patriarum ſedium repetundarum illicio tractos. Nam certum eſt his ipſis locis inter Cherſoneſum & Boſphorum Chazaros Slavos ſediſſe, & iſthic S. Cyrillum Slavicam linguam didiciſſe, ut copioſe P. III. Annalium Hagec. p. 32. & ſeqq. probavimus. Nec mirum hoc tempore Slavorum nomen fuiſſe ſuppreſſum, quandoquidem Hunni numero multo majores erant, & imperium in has vicinasque regiones exercebant, quemadmodum ab Hunnorum irruptione in Europam factum, ut perpetuo ſub Hunnorum nomine laterent. Zecchos hos vero gente & ſtirpe alios fuiſſe ab Hunnis manifeſtis verbis innuit Procopius Cæſarienſis, qui eos ab Hunnis diſpeſcit, ſic enim ille: (a) *Ibi cum aliæ gentes multæ ſedes habent, tum Alani, atque Abaſgi veteres Chriſtianorum ac Romanorum amici, Zechi præterea, poſtque hos Hunni cognomento Sabiri.* Quod vero gente ac ſtirpe Slavi eſſent, his partibus, indigitarunt poſtea ſæculo nono ſcriptores quique Græci, cum eos generico *Ruſſorum* nomine impertirentur. Sic Nicætas coævus cognomento David in vita S. Ignatii ad annum 858. ſcribit: *Ea tempeſtate Rhoſſi gens Scytharum a Ponto Euxino ad Stenum excurſione facta omnem circum regionem, omniaque monaſteria deprædati ſunt.* Zonaras: *Gens autem Scythica Ruſſi genibus Taurum* (Tauricam Cherſoneſum) *incolentibus claſſe Euxinum Pontum aggreſſa.* Cedrenus p. 551. eadem prorſus habet, quibus Cl. Aſſemanus ſubnectit: (b) *Ad Ruſſos quod attinet . . . . Tauroſci-*

LUCIFER.

(a) Procopius de bello Perſico l. 2. p. m. 334. (b) Aſſeman. Kalend. Eccleſ. Univerſ. T. I. p. 233.

LUCIFER. *reſcitæ ii ſunt, Cherſoneſum Tauricam incolentes, quemadmodum a Cedreno & Zonara vocantur.* Et poſtea (*a*) *Nam Ruſſorum æque ac Slavorum nomen ampliſſimum eſt.* Non vero alii fuere hi Ruſſi, quam Chazari a S. Cyrillo converſi, ut ex Photii Patriarchæ Conſtantinopolitani literis apud Baronium (*b*) licet cognoſcere. Profecto Agathias Procopio coævus ejusque continuator de diverſis gentibus ad orientalem Mæotydis plagam colentibus loquens his verbis innuit eos generico Hunnorum nomine appellatos. Ita vero ille: (*c*) *Hi vero omnes communiter Scythæ Hunni vocabantur.* Qui imo eodem loco Procopii *Cuturguros* magis ad Slavicam dialectum accedente voce *Cotrigoros* (quod vetuſto Slavico idiomate *ſubmontanos* ſeu *montes accolentes populos* connotabat) appellat. Habemus præterea teſtatum ex Conſtantino Porphyrogenito (*d*) olim etiam Bulgaros Hunnica voce *Onogundurorum* fuiſſe connotatos, ut itaque quemadmodum nos hodie Boemi paſſim Germanorum nomine comprehendi ſolemus, quin gente & ſtirpe Germani ſimus, ita nihil obſtet generico illo Hunnorum nomine Slavicas quasque Reſpublicas fuiſſe comprehenſas. Sane in eo conſpirant pene omnes ſcriptores, ab eo Paludis Mæotydis & Ponti Euxini litore Slavos commigraſſe in Europam. Inter alios pridem memoratos habe etiam Blondum Dec. 1. l. 1. & 8. & Alexandrum Guagninum ita diſſerentem: *Namque Slavi ex Boſphoro Cimmerio per Tanaim & Mæotydem paludem in haſce oras ſe ſe poſt Teuthones effuderunt.* Erudita proinde eſt Innocentii Deſericii noſtri in Commentariis ſuis de Initiis ac Majoribus Hungarorum T. I. l. 1. c. 5. animadverſio: *Dicendum Hunnorum nomen generale atque peramplum variis olim gentibus fuiſſe etiam temere attributum, quæ ſcilicet circum Mæotydem, & intra Imai montis vaſtiſſimum ambitum cis portas Caucaſias coluere, quas Halanos* (Alanos) *plures dixere.* Et poſtea: *Quemadmodum ergo Græci ſepoſitas incognitasque gentes Sauromatas atque Scythas communiter antiquitus vocavere, ita ſubinde nomen quoque Alanorum ac Hunnorum latius extendere.*

Si vero antiquiores hoc Hunnorum ex Europa reditu Slavorum memorias ad paludem Mæotydis & Pontum Euxinum flagitas, liceat mihi telum eripere tuis manibus, illoque rem agere, nam in illo Slavici nominis ſilentio, variaque gentium appellatione nec certa ſtirpe aut origine haud aliud ſuppetit. Pugnaſti vero ſupra multis adverſum me

(*a*) Idem ibid. p. 236. (*b*) Baron. Annal. Eccleſ. ad an. 963. n. 41. (*c*) Agathias l. 5. (*d*) Conſtant. Porphyr. l. 2. de Themat. p. 16.

me paginis armis *Sarmaticis*, & *Sarmatarum* nomine indubie Slavos indigitari contendiſti, adeo ut plures Sarmaticos Duces Regesque pro Slavicis ad tuendum Czechi tui Ducatum obtruſeris, quid ſi jam oſtendero ex legitimis documentis hos ipſos veteres Aſiæ Zecchos in Sarmatia veteri cenſitos, & Sarmatas non modo ex occidentali Mæotydis & Ponti Euxini plaga, ſed etiam orientali ejusque confiniis coluiſſe? Et quidem Plinius de oſtiis fluvii Tanais ita commentatur: (a) *Dein Tanaim amnem gemino ore influentem* (ſcilicet in paludem Mæotis) *incolunt Sarmatæ Medorum Soboles, & ipſi in multa genera diviſi.* At propiora Ponto Euxino anhelas? faxim: Claudius Ptolemæus (b) Sarmatiæ Aſiaticæ ſitum deſcripturus, ita inquit: *Sarmatia quæ in Aſia eſt terminatur a ſeptemtrionibus terra incognita, ab occaſu Sarmatia, quæ in Europa eſt uſque ad fontes Tanais fluvii, & ab ipſo Tanais fluvio uſque ad ejus oſtia in Mæotim paludem, & Mæotydis paludis orientali parte, quæ a Tanai eſt, uſque Cimmerium Boſphorum.* Poſtea vero: (c) *A meridie autem parte, quæ hinc eſt Euxini Ponti uſque ad Coracem fluvium, & ab hinc æque diſtanti linea Colchidis & Iberiæ ac Albaniæ uſque ad latus Hircani maris, quod & Caſpium vocatur.* Concedesne tandem Zecchos veteres in Sarmatia Aſiatica cenſos, quorum ſitum ante per paludis Mæotydis orientalem plagam Cimmerium Boſphorum, uſque ad Ponti Euxini litora pluribus vetuſtis monumentis probavimus. Sed ne hæſites hos Zechos ſeu Zinchos inter Sarmatas recipere, audi Claudium Ptolemæum eodem capite nono Sarmatiæ populos enumerantem: *Inter autem Mæotim paludem & Hippicos montes poſt Siracenos Pſeſſii, poſt Thimeotæ, ſub quibus Tyrambæ. Poſt Aſturicani. Poſtea uſque Coracem montem Arichi & Zinchi.* His vero teſtimoniis luculentiora ſunt Conſtantini Porphyrogeniti. Et quidem c. 53. de Admin. imp. dicit: *Imperante Romæ Diocletiano apud Cherſonitas vero Principe ac Protevonte Themiſto Themiſti Sauromatæ filio, Criſon Boſporianus Ori filius collecta Sarmatarum ad Mæoticam paludem habitantium manu adverſus Romanos arma movit.* Et dein ſubjungit: *De capienda Sauromatarum urbe Boſporo, ac occupandis paludis Mæotydis oppidis conſilium ceperunt.* Denique Scythas a Sauromatis diſtinguens, inquit: *Atque ita ingreſſi Boſphorum ceperunt, cunctaque ad Mæotyda paludem oppida Sarmatarumque familias.* Inſpice tabulas Peutingerianas, & ubivis ab ipſo Phaſi fluvio per Ponti Euxini litora *Sarmatas* lecturus. Satisne jam tibi digni viſi veteres Zecchi, ut inter Sarmatas, atque tuo explicandi more inter Slavos recipias? Quid ni

(a) Plin. l. 6. c. 8. (b) Claud. Ptolemæus l. 5. c. 9. (c) Idem ibid.

LUCIFER. *roſcitæ ii ſunt, Cherſoneſum Tauricam incolentes, quemadmodum a Cedreno & Zonara vocantur.* Et poſtea (a) *Nam Ruſſorum æque ac Slavorum nomen ampliſſimum eſt.* Non vero alii fuere hi Ruſſi, quam Chazari a S. Cyrillo converſi, ut ex Photii Patriarchæ Conſtantinopolitani literis apud Baronium (b) licet cognoſcere. Profecto Agathias Procopio coævus ejusque continuator de diverſis gentibus ad orientalem Mæotydis plagam colentibus loquens his verbis innuit eos generico Hunnorum nomine appellatos. Ita vero ille: (c) *Hi vero omnes communiter Scythæ Hunni vocabantur.* Qui imo eodem loco Procopii *Cuturguros* magis ad Slavicam dialectum accedente voce *Cotrigoros* (quod vetuſto Slavico idiomate *ſubmontanos* ſeu *montes accolentes populos* connotabat) appellat. Habemus præterea teſtatum ex Conſtantino Porphyrogenito (d) olim etiam Bulgaros Hunnica voce *Onogundurorum* fuiſſe connotatos, ut itaque quemadmodum nos hodie Boemi paſſim Germanorum nomine comprehendi ſolemus, quin gente & ſtirpe Germani ſimus, ita nihil obſtet generico illo Hunnorum nomine Slavicas quasque Respublicas fuiſſe comprehenſas. Sane in eo conſpirant pene omnes ſcriptores, ab eo Paludis Mæotydis & Ponti Euxini litore Slavos commigraſſe in Europam. Inter alios pridem memoratos habe etiam Blondum Dec. 1. l. 1. & 8. & Alexandrum Guagninum ita differentem: *Namque Slavi ex Boſphoro Cimmerio per Tanaim & Mæotydem paludem in haſce oras ſe ſe poſt Teuthones effuderunt.* Erudita proinde eſt Innocentii Defericii noſtri in Commentariis ſuis de Initiis ac Majoribus Hungarorum T. I. l. 1. c. 5. animadverſio: *Dicendum Hunnorum nomen generale atque peramplum variis olim gentibus fuiſſe etiam temere attributum, quæ ſcilicet circum Mæotydem, & intra Imai montis vaſtiſſimum ambitum cis portas Caucaſias coluere, quas Halanos* (Alanos) *plures dixere.* Et poſtea: *Quemadmodum ergo Græci ſepoſitas incognitasque gentes Sauromatas atque Scythas communiter antiquitus vocavere, ita ſubinde nomen quoque Alanorum ac Hunnorum latius extendere.*

Si vero antiquiores hoc Hunnorum ex Europa reditu Slavorum memorias ad paludem Mæotydis & Pontum Euxinum flagitas, liceat mihi telum eripere tuis manibus, illoque rem agere, nam in illo Slavici nominis ſilentio, variaque gentium appellatione nec certa ſtirpe aut origine haud aliud ſuppetit. Pugnaſti vero ſupra multis adverſum me

(a) Idem ibid. p. 236. (b) Baron. Annal. Eccleſ. ad an. 963. n. 41. (c) Agathias l. 5. (d) Conſtant. Porphyr. l. 2. de Themat. p. 16.

me paginis armis *Sarmaticis*, & *Sarmatarum* nomine indubie Slavos in- LUCIFER.
digitari contendiſti, adeo ut plures Sarmaticos Duces Regesque pro Slavicis ad tuendum Czechi tui Ducatum obtruſeris, quid ſi jam oſtendero ex legitimis documentis hos ipſos veteres Aſiæ Zecchos in Sarmatia veteri cenſitos, & Sarmatas non modo ex occidentali Mæotydis & Ponti Euxini plaga, ſed etiam orientali ejusque confiniis coluiſſe? Et quidem Plinius de oſtiis fluvii Tanais ita commentatur: (a) *Dein Tanaim amnem gemino ore influentem* (ſcilicet in paludem Mæotis) *incolunt Sarmatæ Medorum Soboles, & ipſi in multa genera diviſi.* At propiora Ponto Euxino anhelas? faxim: Claudius Ptolemæus (b) Sarmatiæ Aſiaticæ ſitum deſcripturus, ita inquit: *Sarmatia quæ in Aſia eſt terminatur a ſeptemtrionibus terra incognita, ab occaſu Sarmatia, quæ in Europa eſt uſque ad fontes Tanais fluvii, & ab ipſo Tanais fluvio uſque ad ejus oſtia in Mæotim paludem, & Mæotydis paludis orientali parte, quæ a Tanai eſt, uſque Cimmerium Boſphorum.* Poſtea vero: (c) *A meridie autem parte, quæ hinc eſt Euxini Ponti uſque ad Coracem fluvium, & ab hinc æque diſtanti linea Colchidis & Iberiæ ac Albaniæ uſque ad latus Hircani maris, quod & Caſpium vocatur.* Concedesne tandem Zecchos veteres in Sarmatia Aſiatica cenſos, quorum ſitum ante per paludis Mæotydis orientalem plagam Cimmerium Boſphorum, uſque ad Ponti Euxini litora pluribus vetuſtis monumentis probavimus. Sed ne hæſites hos Zechos ſeu Zinchos inter Sarmatas recipere, audi Claudium Ptolemæum eodem capite nono Sarmatiæ populos enumerantem: *Inter autem Mæotim paludem & Hippicos montes poſt Siracenos Pſeſſii, poſt Thimeotæ, ſub quibus Tyrambæ. Poſt Aſturicani. Poſtea uſque Coracem montem Arichi & Zinchi.* His vero teſtimoniis luculentiora ſunt Conſtantini Porphyrogeniti. Et quidem c. 53. de Admin. imp. dicit: *Imperante Romæ Diocletiano apud Cherſonitas vero Principe ac Protevonte Themiſto Themiſti Sauromatæ filio, Criſon Boſporianus Ori filius collecta Sarmatarum ad Mæoticam paludem habitantium manu adverſus Romanos arma movit.* Et dein ſubjungit: *De capienda Sauromatarum urbe Boſporo, ac occupandis paludis Mæotydis oppidis conſilium ceperunt.* Denique Scythas a Sauromatis diſtinguens, inquit: *Atque ita ingreſſi Boſphorum ceperunt, cunctaque ad Mæotyda paludem oppida Sarmatarumque familias.* Inſpice tabulas Peutingerianas, & ubivis ab ipſo Phaſi fluvio per Ponti Euxini litora *Sarmatas* lecturus. Satisne jam tibi digni viſi veteres Zecchi, ut inter Sarmatas, atque tuo explicandi more inter Slavos recipias? Quid ni

(a) Plin. l. 6. c. 8. (b) Claud. Ptolemæus l. 5. c. 9. (c) Idem ibid.

LUCIFER. ni etiam Plinio, Claudio Ptolemæo, aut Porphyrogenito coævum teſtimonium produxiſti, quo teſtatum feciſſes: Zecchiam veterem in Tartaria cenſitam, Zecchosque inter Tartaros nomen meruiſſe? Corniculam in Africa quæris, cum ante Sæculum XIII. hiſce regionibus vel nomen Tartarorum exquiris. Nolim tamen, quod alias innui, exiſtimes omnes litus orientale Mæotydis, Boſphori, & Ponti Euxini accolentes Sarmatas a me Slavos reputari, id ajo: Hunnis Gothisque Slavos permixtos fuiſſe, ut jam Parte II. Annalium Hagecianorum adverſus doctiſſimum Compilatorem Actorum Eruditorum Lipſienſium docui.

III. Eo vergunt conſilia tua, ut Zecchos meos veteres cum nomine ac ſermone penitus interiiſſe Lectori perſuadeas. Sic enim ſcribis: *Hos Zingos eruditiſſimus Vir Harduinus exiſtimat deinde degeneraſſe in Cumanos, Cumaniamque incoluiſſe, quorum fortaſſe quædam fuerit colonia, quæ ſubinde Moldaviam occupavit, ſed jam nec veſtigium eorum, ne ſermonis quidem in rerum natura ſupereſt, ſucceſſeruntque eis Circaſſi populus Tartaricus.* Sed quid tu mihi cum tua *exiſtimatione*, cum *fortaſſe*, ariolationibusque Harduini obſtrepis? ego non amo convinci recentiorum dubitationibus, divinationibusque, ſed monumentis veteribus, certisque demonſtrationibus. Quare non etiam ipſa verba Harduini, quibus ait: *Zingos degeneraſſe in Cumanos* adduxiſti? infra enim in ſcholiis hoc ſolum ex Harduino ſuper Plinii hiſt. nat. l. 6. profers, quod provinciam hanc *La Camainie* dictam exiſtimet. Non mihi ad manus eſt hic Harduini in Plinium Commentarius, ſecus fortaſſe illam crebro ſupra agnitam deprehenſamque in fraude fidelitatem Luciferi tui & hic pro merito deprædicare liceret. Ego ex Plinii l. 6. c. 16. lego hos Cumanos longius a Zecchis, imo extra Sarmatiam Aſiaticam fuiſſe ſepoſitos; nam eos inter gentes citra & ultra mare Hircanum his verbis recenſet: *Ab his excelſis per juga Caucaſi protenditur ad Bactros usque gens Mardorum fera ſui juris. Ab eo tractu gentes Ochani, Chomari, Berdrigei, Harmatotrophi, Bomarii, Commani &c.* Nec ignoro quorundam eſſe ſententiam hos Cumanos nomen ſortitos a celebri illo caſtello *Cumania*, de quo idem Plinius l. 6. c. 11. *Ab iis ſunt portæ Caucaſiæ (magno errore a multis Caſpiæ dictæ) ingens naturæ opus montibus interruptis repente, ubi fores obditæ ferratis trabibus ſubter medias amne Dyridiori fluente, citraque in rupe caſtello (quod vocatur Cummania) communito ad arcendas tranſitu gentes innumeras.* Nec me latet ex hiſtoriis: magnam horum Cumanorum partem multo poſterius ad Danubii oſtia immigraſſe: quemadmodum id locupleter in noviſſimis obſervationibus Hiſtoricis Doctiſſimi Peyſſonel c. 23. alibi-

aliбique tractatum invenies. Ut autem veterem Zecchiam occupaſſent, atque ſic Zecchi in Cumanos degeneraſſent, nullibi veſtigium reperio, niſi Tartaros regionum iſtarum hodie incolas aliter Cumanos appellatos dicas, ut pauculi quidam ſcriptores ſentiunt. Quod Schweigertius a te relatus Mengrelios, Albanos & Circaſſos aliter *Comanos* dictos aſſerat, quis cauſam originemque divinet? ego vero infra oſtendam nec hos Mengrelios, nec Albanos, nec Circaſſos proprie ad Zecchos noſtros pertinere. Ceterum quid de Comanorum iſtorum ſitu jam ſenſerit doctiſſimus Vir Joannes Stillingus S. J. operis Bollandiani Continuator, aurem præbe: (a) *Multa*, inquit, *adfert Cangius in obſervationibus ad Willehardouini hiſtoriam p. 336. ut horum barbarorum* (Comanorum) *ſedes aſſignet. Verum ut illi incertis ſæpe vagabantur ſedibus teſte Haitono de Tartaris c. 5. ita auctores non ſatis conſonant in provinciis eorum aſſignandis. Nicephorus Gregoras* (ſæculi XIV. ſcriptor) *l. 2. c. 5. eos circa Danubii oſtia collocat, puta in Moldavia hodierna ac Beſſarabia, atque Tartarorum metu, quos Scythas Hyperboreos vocat, ſedes mutaviſſe, Iſtroque tranſmiſſo per Thraciam vagatos eſſe. Attamen magis ad Septemtrionem & orientem per modernam Moſcoviam diffuſos fuiſſe, probant allati a Cangio auctores, Haitonusque citatus partem eorum ad Caucaſum locat.* Ubi hic Paludis Mæotydis, Boſphori, aut Ponti Euxini memoria, ut ad ea olim Cumanos hos ſediſſe hiſtoricorum quiſpiam prodidiſſet? Illud certe permirum, cum ſcribis horum Cumanorum *nec veſtigium, nec ſermonis quidem in rerum natura ſupereſſe*, cum tamen ante ſæculum unum & alterum adhuc Mengrelios, Albanos, Circaſſosque ex Schweigertio probare connifus ſis, eſſe Cumanos? qui igitur ab eo tempore quove fato exſtincti, doce hiſtoriarum cupidos. Noveris autem Adamum Kollarium a te laudatum non de aliis Cumanis exſtinctis loqui, quam illis, qui ſub Bela IV. ad Tibiſcum ſedes ſuas locarunt, de quo vide Hermann. Suden in gelehrten Criti. Zweyten Theil p. 690. ſupraque laudatum Peyſſonel. Verum quandoquidem hic locus exigit, & poſthac paſſim a Zecchis argumentationem tuam ad Circaſſos, qui Zecchorum nomine poſterius veniunt, detorques, hic jam de veterum Zecchorum fatis agere libet, atque oſtendere non tuo quidem more recentiorum ariolationibus, ſed coævorum teſtimoniis: multo poſterius Zecchiam veterem a Tartaris fuiſſe invaſam, vetereſque indigenas Slavos partim in montana

Lucifer. Pag. 76.

(a) In notis ad vitam III. S. Ludovici Regis c. 21. ad diem 25. Aug.

LUCIFER. depulſos, partim, ut ſub gentium immigrationem fieri ſolet, a novis colonis ad conſuetudinem morum & linguæ tractos. Quare ſit:

IV. Ante omnia ſciendum *Tartarorum* ſeu etiam *Tatarorum* nomen ante ſæculum XIII. omnibus vetuſtioribus tam Geographis quam Hiſtoricis fuiſſe incognitum, latebant illi, ut ex Georgio Pachymere Græco ſcriptore eruere licet ſub vetuſto *Tocharorum* ſeu *Thacarorum* nomine, quos Plinius l. 6. c. 17. inter Scytharum gentes ultra & ſupra Hircanum mare recenſet, & quos Claudius Ptolemæus l. 6 c. 11. in Bactriana ultra Hircaniam & Margianam inter Hyperboreos Scythas reponit, *magnamque gentem* vocat. Hinc non inſcite Peſſina noſter: (a) *Tartari gens monumentis veteribus leviter nota (niſi quis apud Plinium & Strabonem ſub nomine Tocharorum, ſive Tacarorum eos intelligi velit) a Tartare fluvio, qui eam partem irrigat, quæ ab accolis Mongul, a n ſ is Magog, dicti ſunt, alias etiam Mangali appellati.* Græci omnes, ſi Pachymerem excipias irruptiones horum Tocharorum ſeu Tartarorum commemorantes paſſim eos generico nomine *Scythas Hyperboreos* appellant. Frater tamen Richardus coævus in MS. quod primus e Bibliotheca Vaticana protulit, & commentario ſuo illuſtravit Deſericius noſter, jam ante irruptionem, quæ ſub illius ætatem accidit, eos Tartaros vocat. Sic vero ille de vetere Ungarorum regione ad Etil fluvium loquens: (b) *In hac Ungarorum terra dictus frater invenit Tartaros, & nuncium Ducis Tartarorum, qui ſciebat Ungaricum, Ruthenicum, Cumanicum, Theutonicum, Saracenicum, & Tartaricum idioma. Qui dixit, quod exercitus Tartarorum, qui tunc ibidem ad quinque dietas vicinus erat, contra Alemanniam vellet ire.* Quod ad etymon *Tartarorum* attinet, Leunclavius ex Mornæo Iſraelita ait: (c) *Vox ipſa Tatari ſeu Totari lingua Syriaca reliquias ſive reſiduos ſignificat.* Cum quo pene eadem ſentit Abraham Bzovius: (d) *Tartarorum appellationem*, inquit, *derivant aliqui a Totharim q. d. relicti, aut reliqui facti, vel qui ex aliquo agmine ſuperſunt, quemadmodum in exercitu ſæpe eſt quædam pars neglectior atque contemptior*, quod ex Bibliandro hauſit. Tartarici vero imperii principium Martinus Polonus, qui eo ſæculo imo ſub Tartarorum irruptionem vixit, non audet altius quam a Sæculi XIII. initio repetere, ſic enim ille: (e) *Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſecundo, ſicut a plerisque traditur, Tartarorum*

(a) Peſſina in Marte Moraviæ l. 3. c. 6. p. 340. (b) Georg. Pray. Annales Hung. P. 3. p. 318. (c) Joannes Leunclavius in Pandectis hiſt. Turc. c. 22. (d) Bzovius in Contin. Annal. Baronis T. XIII. ad An. 1202. n. 18. (e) Martinus Polonus in Chronologia Rom. Imp. in Henrico VI.

rerum dominium initium habuit. Ad quem annum defigit etiam Bzovius citato loco provocans ad Chronicon Hirſaugienſe, & Lyranus in Apocalypſis c. 20. ad annum vero 1200. Bucholzerus aliique. Ad tempus jam ut veniamus, quo populus hic ſedibus ſuis egreſſus non modo Aſiam ſed Europam ipſam perterruit: Nicephorus Gregoras id ſub Joanne Duca orientis Imperatore, qui ab anno 1222. usque 1255. orientalis Imperii habenas geſſit, (a) accidiſſe memorat. Verba illius ſunt: (b) *Cum Johannes Ducas rerum jam potiretur, Scytharum portio numeroſa, quæ multis hominum millibus conſtabat ab Hyperboreis effuſa, ad Caſpium mare protinus deſcendit. Interim vero Duce eorum Sitziſchane* (quem alii Zingis Chan appellant) *defuncto, ambo ejus filii Chalaus & Telepugas exercituum principatum diviſerunt. Ac Chalaus Caſpia & Jaxarte fluvio lato & profundo, qui e Scythicis montibus ortus Sogdianam perfluens in mare Caſpium irrumpit, ad ſeptemtrionem relictis, per inferiorem Aſiam deſcendit. Sed de his loqui ſuperſedeamus. Nam de Europa prius eſt dicendum. Alter enim Sitziſchani filius Telepugas limitibus imperii ſui conſtitutis, meridiem verſus Caucaſi cacuminibus, & deinceps mari Caſpio, per Maſſagetarum & Sauromatarum terram proficiſcitur: nec eas tantum, ſed omnes gentes, quæ Mæotidem paludem & Tanaim accolunt, ſubigit. Deinde Tanais fontibus ſuperatis impetu adverſus Europæas gentes deſcendit: quæ multæ ac variæ fuerunt. Nam quæ in mediterraneis habitabant, partes quadam ac reliquiæ erant veterum Scytharum in paſtores & aratores diviſæ: quæ autem Mæotidis confinia & Ponti oram accolebant, Zinchi, & Abaſgi, Gothi, & Hamaxobii, Tauroſcythæ & Boriſthenitæ erant: & Myſiæ, quæ eſt ad Iſtri oſtia, habitatores.* Hem *Zinchos ad confinia Mæotidis & Ponti oram* accolentes! hem tempus, quo Tartarorum multitudine inundari! Chronicon vero Hirſaugienſe ad annum 1202. (c) *Tartari cum uxoribus & filiis ab Indiæ montibus egreſſi per vicinas provincias prædas agunt, quibus ſemper fuere aſſueti. Parthos deinde petunt, & pari terrore Mediam, Aſſyriam, Perſiam, Armeniamque & Sarmatas non longo tempore pervadentes circa Mæotydis paludes demum ſedes ſuas firmarunt.* Jam vero ut cognoſcas veteres meos Zecchos alia lingua, aliisque moribus fuiſſe a Tartaris, eosque tandem ab iis in vitæ, morum, linguæque communionem tractos audi Georgii Pachymeris ejusdem ſæculi ſcriptoris luculentiſſimum teſtimonium:

LUCIFER.

(a) Philippus Brietius in Annalibus mundi l. 13. c. 3. ad annum 1222. & l. 3. c. 6. ad an. 1255. *Mortuus eſt hoc anno Joannes Ducas cognomento Batatzes Græcorum Imperator annum ætatis 60. vel 62 Imperii 33.* (b) Nicephorus Gregoras in hiſt. Byzantina l. 1. c. 5. (c) Chron. Hirſaugienſe ad an. 1202.

LUCIFER. nium: (a) *Hic porro Nogas*, inquit, *potentiſſimus Tocharorum* (id eſt Tartarorum) *erat; bellicæ artis longis experimenti multam peritiam adeptus, uſu rerum in tractatione negotiorum tritus. Is cum magnis copiis e genere, cujus erat ipſe, Tocharorum, qui ſe ipſi Mugulios nominant, miſſus a Principibus ejus gentis (Canidas appellant) circa Portas Caſpias degentibus, irruperat in Boreales Euxino gentes Romanis quondam ſubditas, ſed quæ poſt captam a Latinis urbem, & res imperii redactas in arctum, neceſſario neglectæ a dominis, ſui tunc juris erant. Has facile, ac ſine magno certamine prima ſtatim oſtenſione ſui cepit, ſibique ſubjecit. Et animadvertens uberes terras, ac populos ad conſtituendum per ſe regnum idoneos, frænum excuſſit imperii eorum, a quibus erat miſſus, & res agere ſuas inſtituit, proprio Principatu conſtituto. Proceſſu deinde temporis miſcentes ſe ipſis, qui mediterranea illic incolunt, Alani videlicet, Zicchi, Gotthi, & Rhoſſi, quique finitimas hiſce habitant terras, diverſorum generum populi, mores paulatim ipſorum didicerunt, & cum vitæ uſu* (jam aures goſſipio ne obduraveris, aut ne oculis peplum injeceris) *linguam etiam, ac veſtitum eorum uſurpantes in militiæ quoque conſortium aſſumpti, non ita multo poſt exercitus confecerunt innumerabiles, quorum conſcientia uſuque virium in potentiam, immane quantam, Tocharorum gens profecit, adeo ut quocunque ſe verterent, ineluctabiliter cuncta proſternerent.* Simillima narrat idem Pachymeres l. 3. c. 26. Non tamen veteres Zecchi hac Tartarorum invaſione illico nomen ſuum amiſerunt, pedetentim id ſæculo primum ſequente elangueſcere cœpit, quin nova *Tzarcaſſorum* dein appellatione cenſiti paſſim alterum Zichorum ſeu Zecchorum nomen, ut apud Miechovium adhuc & Herberſteinium legere eſt, retinuerunt. Hinc Ducas Michaelis Nepos circa annum 1380. eos adhuc veteri Zynchorum nomine refert: (b) *Themyr Chan*, inquit, *ineunte vere ex Perſia verſus Tanaim movet, collectoque Tauro-Scythurum, Zynchorum, & Abaſgorum ingenti numero, everſiſque oppidis, quæ Boſphoro adjacent, in Armeniam dein & Cappadociam acceſſit.* Laonicus vero Chalcondylas ſæculi XV. ſcriptor (c) jam Zecchos hos veteres *Tzarcaſſos* (hodie Circaſſos dicimus) appellat. Unde vero hoc Tzarcaſſorum nomen, an a civitate & caſtro Tzerkas ad fluvium Locop, qui & Syl nominatur, ſita, obtinuerint, quis certum divinet? I jam mi Lucifer! & ſcenam tuam in de-

(a) Georgius Pachymeres l. 5. Hiſtoriarum c. 4. floruit vero Pachymeres circa annum 1280. oriundus Conſtantinopoli ſed Niceæ educatus, & in Sacerdotum numerum cooptatus. (b) Ducas Michaelis Nepos in hiſtor. Byzantina c. 16. (c) Chalcondylas de rebus Turcicis l. 3.

dedicatione cœptam proſequere. Induc porro lamentantem patriam nostram Zechiam, quod ab illa fœtida, ut conviciaris, Tartarorum camerina originem ſuam trahat. Agnoſcisne tandem te unum ex illis eſſe; qui hiſtorias ſuas non ex veteribus documentis ſed *digitis ſuis ſugunt?* verborum inquam audacia freti hiſtorias tanquam aereas bullas deſpumant, quæ vix natæ inter aerem crepant, & evaneſcunt. Luciani Samoſatenſis librum: *Quomodo hiſtoria ſcribenda ſit*, prius conſulere te oportuiſſet, aut ex Dionyſii Halicarnaſſei *c.* 9. *uſque* 65. *de judicio hiſt. Thucyd.* verum hiſtorici officium cognoſcere, qui vel Ethnici Scriptores te docuiſſent, quanto piaculo fraudique eſſe debeat hiſtorico de temporibus ætate ſua ſuperioribus ſine teſte ac exemplo ſcribere, quam abſurdum novis cerebri figmentis poſteritati imponere. Nam LUCIFER.

Fabula eſt, non hiſtoria, alma veritas cui non præeſt.

V. Sed ut jam pridem Parte II. Annalium Hagecianorum rem tractatam ad incudem revocem, probemque non modo adhuc ſæculis duobus ſuperioribus, ut prodidit Miechovius & Herberſteinius, ſed & hodie etiam veroſimillime in Circaſſia Slavos conſidere, tuo te jugulabo gladio: Pagina 79. Lucifer tuus in ſcholiis N. 48. ita ſcribit: *Idem Leunclavius apud eundem Koczin: Circaſſi hi etiam peculiari nomine dicuntur Quinquemontani id eſt* Petihorſſtj. *Harduinus ſuper Plinii hiſt. Natur. l.* 6. *fol. m.* 660. *ſunt hi porro Sauromatæ, qui nunc Tartari Pettigori (id eſt Quinquemontani) vocantur in Tanais ripis, qua ſpectat Aſiam, quaque proxime in Mæotim effunditur. Vide etiam Dionyſium in Periegeſi v.* 656. *cujus mentem carmine Avienus expreſſit v.* 865. Hactenus verba Luciferi tui ſunt. Jam indubitatum eſt non modo ex allato a te Leunclavio & Harduino, ſed & aliis omnibus Geographis, Geographicisque tabulis hæc quinque montium juga in Circaſſia olim hodieque appellari *Pettigori.* Ex te itaque quærere liceat, cujus idiomatis ſit hæc vox *Petigori* latine *Quinquemontana* ab omnibus explicata? an Tartarica? an Turcica? Quis auſit eam negare proprie Slavicam veterem? Peti (hodie Pěti) nunquid quinque? & *gori* (hodie *hori*) nunquid montes connotabat, unde Circaſſos *Petigoros* propria Slavica dialecto vetere quid aliud connotaſſe dicas quam *Quinquemontanos*? Qui vero accidit, ut hæc Slavica montium & populorum appellatio in Tartariam deveniret, hodieque conſervetur, ſi nusquam ibi ſedere gentes Slavicæ? Næ tu mihi etiam tam certa minimeque corrupta montium aut regionum nomina Turcica aut Tartarica in noſtra Germania indi- Pag. 79.

LUCERIR. gites. Quomodo denique vox hæc ad omnes pene ſingulas & nationes paululum pro genio cujusque gentis deflexa tranſiit, ut plane Germani eos Petigoten, latini Petigoros, Galli Petigores &c. eadem Slavica retenta radice appellarent? Num vero hoc ſolum gentis Slavicæ indicium? an non nomina caſtrorum, locorumque Slavica præterea eſt deprehendere? quid in Ortelii Tabulis Geographicis Baſiligrod Swetepole aliaque Slavici etymi vocabula? An in viciniſſima ſolisque Cimmerii Boſphori anguſtiis ſejuncta Taurica Cherſoneſo non olim hodieque Slavos eſt reperire? ubi S. Cyrillus linguam Slavicam didicit? & quid ſibi vult vox Precop & *Precopenſes*, qua paſſim peninſula hæc, illiusque incolæ indigitari ſolent? *Ipſa Taurica peninſula*, inquit Jo. Antonius Maginus Patavinus, (a) *dicitur Przecop vel Prucuplis Slavonica lingua quaſi perfoſſa, quia Iſthmus, qui peninſulæ adjacet, ſpatio mille ducentorum paſſuum perfoſſus eſt.* Cujus foſſæ jam quoque meminit Porphyrogenitus, cum ait: (b) *ducta foſſa per mediam Cherſonem, regiones, & Boſphori terram.* Nemo autem veteris linguæ Slavicæ peritus ignorat priſcum Precop idem eſſe quod hodiernum Prikop foſſam aut vallum connotans. Quid igitur his arietibus pulſatus ſtatuas, quam Tartaris ſe ſe ſæculo XIII. in veterem Zecchiam vicinasque regiones immittentibus, nihilominus conſervata iſthic fuiſſe plura Slavorum indigenarum municipia, quemadmodum Germanis Brandeburgiam, Luſatiam, Pomeraniam, Sileſiam, aut denique Bulgariam, Serviamque Turcis Slavicæ nationi eripientibus, Slavi tamen hinc atque illinc veterum ſuarum ſedium teſtes relicti ſunt. Nihil igitur cumulatis recentiorum tuorum teſtimoniis profeceris, quæ nihil aliud innuunt, quam hodie Tartaros terrarum harum eſſe dominos, novosque incolas; nemo eorum unquam negavit Slavicam linguam paſſim eſſe intermixtam, quæ ſi fortaſſis quotidie magis magisque antiquatur, quid mirum? fata hujusmodi paſſim in aliis populis ſpectamus indigenis avitasque ſedes tuentibus, qui temporum curſu in mores & linguas novorum uſurpatorum tranſeunt. Ut taceam authores paſſim loqui de Circaſſia ſecundum omnem latitudinem a Palude Mæotydis usque ad mare Caſpium, qua Alaniam etiam comprehendit, accepta, non de Circaſſia proprie dicta Quinquemontana aut Tartaria Petigoriana, quæ præcipua veterum Zecchorum olim portio fuit, & in quam reliquiæ gen-

(a) Jo. Ant. Maginus f. 27. de Tartaria minore. p. m. 232. (b) Conſtantin. Porphyr. de admin. imp. c. 42.

gentis ſe cumprimis retraxere, neque enim unquam docui Zecchos veteres per Alaniam usque ad mare Caſpium fuiſſe protenſos. Sed de hoc alibi nobis locupletior ſermo erit, cum Schweigertium tuum, in quo pondus maximum reponis, explicaverimus. Sane Geographi omnes unanimiter conſentiunt Circaſſorum mores, ritus, formam, lineamentaque a Tartaris eſſe diſſimillima: Audi vel Univerſale Lexicon Lipſienſe voce *Circaſſia*, quæ de Circaſſis ex Olearii itinerario, Herburto, & Samſone narret, quæ vel ipſis Germanis verbis hic exſcribere libet: Die *Circaſſen* halten ſich insgemein in Wäldern auf, damit ſie nicht denen Tartarn in die Hände gerathen, als welche ſie ſehr ſuchen, weilen man viel auf ſie hält, indem die Manns-Perſonen unter ihnen wohl *proportio*nirt, und ſehr ſinnreich in ihren Vornehmen ſind. Uber dieß geben ſie auch vortrefliche Reiter ab. Et infra: Die *Circaſſen* aber werden vor die ſchönſte Leute in der Welt gehalten, welche die gröſte Leutſeligkeit gegen Fremde bezeigen. Introductio vero in veterem & novam Geographiam a quodam A. R. P. S. J. Viennæ adornata pag. 253. Die *Circaſſier Circaſſi* haben gar nichts Tartariſch ꝛc. Vides Circaſſos toto cœlo diverſos a Tartaris? confer jam hos mores, hanc corporis elegantiam, hanc hoſpitalitatem Slavorum ab antiquiſſimis Græcis latinisque laudatam cum iis, quæ de Tartaris apud veteres recentioresque prodita ſunt, & quantum diſcrimen inter hanc utramque gentem deprehenſurus? quis enim hactenus Tartaros niſi ſtatura breves, deformi vultu, ſimio naſo, ut cetera conticeſcam, depinxit? quid de iis memorat Joannes Antonius Maginus? (a) *Sunt autem*, inquit, *ut frequenter Tartari ſtatura mediocri, pectore & ſcapulis ampli, lata facie, naſo ſimi, colore tetri & deformes, oculis intortis & concavis.* Intelligis tandem illam tuam luſcinias inter & Harpygias diſcrepantiam?

Verum id inter cætera omnium maxime admiratione percellere debet animum meum, cum pagina 76. omni pene linea declamas inculcasque hos Circaſſos gente eſſe Tartaros, & aſteriſcis appoſitis ad Authores infra referendos provocas; in Scholiis demum prolata authorum teſtimonia ne uno quidem verbo id, quod in contextu aſſeris, affirment. Citas vero ibidem Salamonem Schweigertium, citas Novum Lexicon L. C. citas Joannem Kotzin de Kotzineto, citas Alexan-

Pag. 76. 77. 78.

Lucifer.

xan-

(a) Maginus Patavinus in novis Geographicis Tabulis, Tabula ſeu §. 28. pag. m. 231.

LUCIFER. xandrum Roſſen, Leunclavium, & Maginum, in quorum verbis ne quidem Tartarorum vocabulum comparet, taceo, ut quis diceret (ircaſſos hos gente, moribus, & lingua eſſe Tartaros. Hæ nempe artes Luciferi tui paſſim ſunt ad incautos irretiendos animos teſtimoniorum qualiumcunque cumulatione; ſpe vero tua excidiſti apud naſutiores eruditioresque, ſi merces tuas tam facili negotio venum diſtrahendas judicaſti. Quare cum tu ne unum quidem vel hujus ſæculi Geographum aut hiſtoricum produxeris, qui Circaſſos ejusdem ſtirpis & linguæ cum Tartaris feciſſet, ego jam ex Parte mea II. Annalium aliquos referam, quos tu, tanquam anguem preſſiſſes, præteriiſti, adjungamque plures, qui teſtatum faciant Circaſſos hos origine & lingua Slavos eſſe, nec alia ratione Tartaros dici, quam quod paſſim Tartarorum jugum ferant, eorumque conſuetudine mores linguamque hauriant. Primus nobis ſit Mathias Miechovius: (a) *Poſt hos* (Coſacos, inquit) *ſuperſunt reliquiæ Circaſſorum verſus meridiem, & ſunt gentes ferociſſimæ & bellicoſiſſimæ genere & lingua Rutheni.* Sigiſmundus Herberſteinius: (b) *Ab oriente meridiem verſus reflectendo circa Mæotydis paludes, & Pontum ad fluvium Cupa, qui paludes influit, Aphgaſi populi ſunt, quo loci uſque ad Merula fluvium, qui Pontum illabitur montes occurrunt, quos Circaſſi, ſeu Ciki* (Zichi) *incolunt. Hi montium aſperitate freti nec Turcis nec Tartaris parent:* (loquitur de ſuo tempore Herberſteinius) *eos tamen Chriſtianos eſſe, ſuis legibus vivere, in ritu, & ceremoniis cum Græcis convenire, lingua Slavonica, qua utuntur, ſacra peragere Rutheni teſtantur.* Idem Slavicas gentes enumerans, inquit: (c) *Poloni item & Rutheni latiſſime imperantes, & Circaſſi Quinquemontani ad Pontum &c.* Eduardus Brerevodus Anglus (d) *Slavonica lingua multis in Europa, aliquibus in Aſia vernacula eſt. Præcipui in Europa ſunt Dalmatæ &c. In Aſia Circaſſii, Mengrelii (olim Colchi & Zichi) & Gazaritæ.* Reinerus Reineccius cum memoraſſet Helmoldum l. 1. c. 1. non omnes Slavicas connumeraſſe gentes, ſubjungit: (e) *Omiſſis ſcilicet ad Borealem plagam Moſchis, ad ortum Circaſſis, ad meridiem Bulgaris, Serviis, Boſſinis, Raſciis, Croatis.* Hofmannus latitudinem linguæ Slavicæ per gentes explicans: (f) *Poloni item*, inquit, *& Rutheni latiſſime imperantes & Circaſſi Quinquemontani ad Pontum &c.* Eosdem Circaſſos Sla-

(a) Mathias Miechovius de Sarmatia Europæa l. 2. c. 1. (b) Herberſteinius rer. Moſcovit. Tit. de Tartaris p. 108. (c) Idem ibid. ſub initium. (d) Brerevodus in Scrutinio linguarum c. 8. (e) Reineccius in Appendice 1. de commun. gentium Germanicarum appellationibus. (f) Hofmannus in notis in Manlium T. I. p. 251.

Slavonica lingua, uti teſtatur Godofredus Henſelius in Synopſi univerſæ Phylologiæ & Harmonia linguarum ſect. 5. c. 3. N. 2. p. 423. Bohorizius in horis ſucciſivis, P. Plancius Hofimannus aliique. Nec vero e domeſticis deſunt, qui idem ſentiant, ſic enim Balbinus ex Petri Kewa Hungari Centuria 7. Rer. Hung. (*a*) *Deinde per omnes illos terrarum tractus longiſſimos Moſcovitarum & Tartarorum Precopitarum, qui Slavica utuntur Conſtantinopolim usque.* Roſa: (*b*) *Lingua Slavonica per Slavoniam, Bohemiam, Moraviam, Sileſiam, Luſatiam . . . ab una parte ad novam Zemiam ſeu Zemblam usque, & Jurgiam mareque glaciale: ab altera ad Circaſſos mareque Caſpium &c.* Et rurſum: *infra per regiones ampliſſimas ad Colchos usque & ſupra nominatos Circaſſos ac Pietihorskios, ſeu quinque montium accolas &c.* Mathias Boleluzky vero ex P. Plancio: (*c*) *Lingua Slavonica non tantum eſt lingua patria in Boemia, Polonia, ſed & in multis aliis ampliſſimis regnis & regionibus Aſiaticis, utpote in Iberia, quam Moſcovitæ vocant Iberskie Zemla, Kurtalniskia, Græſinskia, Kapardinska, Petigorska, Tzerkaska, Igorska & Georgiana.* Similia alicubi refert Peſſina, quæ operoſius exquirere haud operæ eſt pretium. Quid agis tandem Lucifer ad hæc clariſſimorum Virorum teſtimonia? unumne aliquem adverſum tibi producere fas eſt, qui non ſaltem & Slavico & Tartarico ſermone Circaſſos uti confiteretur? Quidni recte hic adſcribam illud Lipſii: *Eſt quoddam genus mortalium, quod ſine ulla alia aſtructione ſola magnitudine audaciæ fidem quærit.* (*d*) LUCIFER.

Ad §. XXVI.

I. Defunctus officio meo videri poteram in probata ſuperiore paragrapho Circaſſorum ſtirpe Slavica, ſed ſententiam meam etiamnum frangere non ceſſas, pugnis ſcilicet caſtelli muros ſubruere niteris. Jam enim in eo non minimum roboris reponis, cum tandem ex Leunclavio, Cluverio, & Rayskio Tartarorum nomen prodis, quo Circaſſos appellant, nomen, inquam, ſolum, non genus, non linguam. Næ itaque omnes gentes etiam, quæ ſub Germanorum cenſentur nomine & imperio Germani, & qui ſub Ruthenorum, Rutheni ſtirpe ac ſermone ſint. Quid vero ait Leunclavius tuus? *Sunt hi porro Sauromatæ, qui nunc Tartari Pettiguri, id eſt Quinquemontani vocantur.* &c. Itane Pag. 78. Pag. 79.

(*a*) Balbinus in MS. de Regni Bohemiæ felici quondam nunc calamitoſo ſtatu. (*b*) Roſa in Grammaticæ ſuæ præfatione. (*c*) Boleluzky in Roſa Bohemica ſeu vita S. Adalberti c. 8. p. 194. (*d*) Lipſius adverſus Dialogiſtam.

LUCIFER ne Circaſſi Sauromatæ ſunt, qui ergo Tartari? quis unquam Geographorum aut Hiſtoricorum Tartaros, ſeu Tocharos ſub Sauromatarum nomine cenſuit? an non Strabo, Claudius Ptolemæus, Plinius longe ultra Sarmatiam Aſiaticam illos inter Scythas Hyperboreos recenſent? an non tu ipſe antea integris paginis propugnaſti, per Sarmatas intelligi Slavos? *Nunc*, ait Leunclavius, *Tartari vocantur*, atque iſtud tibi concedo, concedo tibi etiam, & ſubſcribo Cluverium & Rayskium recte Circaſſos Tartaris accenſuiſſe: An tamen ſequitur eos etiam re ipſa nempe genere & lingua Tartaros eſſe? Habes mox ſupra exemplum de Germanis, habes de Ruthenis, ſi tertium cupis, habeſis de Gallis, ſi quartum, de Turcis: an omnes, qui Germanorum, Ruthenorum, Gallorum, Turcarumque cenſentur nomine Germani, Rutheni, Galli, Turcæque ſunt? Et quid ſi amplius tibi concedo jam omnes Circaſſos intus & in cute eſſe Tartaros, an ſequitur majores illorum Zecchos ejusdem fuiſſe gentis? quomodo Pachymere teſte Zecchi Tartarorum *mores paulatim didicerunt, & cum vitæ uſu linguam etiam*, ſi ejusdem ſtirpis fuerunt & linguæ? Tenes mi Lucifer auribus lupum, neque quo amittas, a te invenis, neque ut retineas ſcis, lucernam projicere opus erit, ut firmius teneas.

II. Reliqua, quæ ſupra ſatis authorum teſtimoniis ſubjicis, haud aliud ſunt quam inutilis rerum repetitio alio verborum lenocinio colorata, bis terve nimirum a te jam alias producta, atque a nobis radicitus evulſa. Pridem enim oſtendimus fruſtra a vicinis Francicis, Germanisque ſcriptoribus repeti Zichorum aut Zinchorum memoriam, cum ne quidem proprii patrii nominis Zecchorum meminerint. Pridem oſtendimus hanc variam Zecchorum, Zichorum, Zinchorum, Sinchorumque ſcriptionem non meram eſſe Grammaticalem cerebro noſtro effictam inflexionem, cauſasque hujus variæ appellationis ſcriptionisque prodidimus, quibus ſi necdum convincitur intellectus tuus, etiam plura valentioraque habe: ſi te judice geminanda ſunt nomina propria perſonarum, gentium, locorumque, quoties varie inflexa detortaque apud diverſos Hiſtoricos Geographosque leguntur, næ tu pro una perſona, loco, aut gente nonnunquam decem & ultra in Hiſtoriam Geographiamque induxeris, & primo fœdius chaos in utramque invexeris. Locorum ſitus inter alia rerum narratarum indicia maxime gentem a gente diſtinguere, aut unam eandemque oſtendere debet. Quis vero hanc accurationem ab authoribus diverſæ ætatis, nationis, linguarumque deſideret, ut voces barbaras alioquin enuncia-

tu

tu difficiles, quoad etymon ſuum ignotas eodem literarum ordine, numero, & dimenſione ſcribant? Confer ſi libet nomina propria earundem perſonarum, populorum, urbium, regionumque præſertim barbararum per ſingulos veteres Græcos latinosque Geographos & Hiſtoricos, quantam (Deus bone!) non vocum differentiam & anagrammata es detecturus? An igitur: *Begamini*, *Bechaimi*, *Behemi*, *Behemanni*, *Boemanni*, *Bethemani*, *Baemani*, *Boimani*, *Bemani*, *Bocmi*, *Bohemi*, *Beheimi*, *Behemitæ*, *Beemitæ*, ut varie hoc nomen in authoribus ſcriptum inveniri teſtatur Goldaſtus (a) non ſunt una eademque gens Boemorum? An *Marabenſes*, *Marachenſes*, *Margenſes*, *Margentes*, *Maravi*, *Maravahni*, *Meravi*, *Marchenſes*, *Marabavi*, *Marachi*, *Marahabitæ*, *Marabbani*, *Maharenſes*, *Marahunenſes*, *Marbitæ*, *Marabi*, *Maraci* non eadem Moravorum gens teſte eodem Goldaſto? (b) An a Cluverio varium detectum Bavarorum nomen (c) *Bojorum*, *Bojoariorum*, *Bayvariorum*, *Baibariorum*, *Boibariorum*, *Bajuvariorum*, unum idemque? Quid *Braezislaus*, *Bruzislaus*, *Vracislaus*, *Breezislaus*, *Brearteczlaus*, *Vorcislaus* non unus idemque cum Duce noſtro Brzetislao? Quis vel hodie hactenus latinorum Germanorumque ſcriptorum veram gentis noſtræ dialectum enunciationemque in ſcriptione vocis *Czechi* aſſecutus eſt? non legis paſſim *Cechum*, *Zechum*, *Tſechum*, *Tſchum*, *Tzechum*, *Zecum*, *imo & Zethum*? conſule Chronici Carionis (d) plures editiones & Zechos jam *Zelczos*, *jam Zelcos*, jam *Zeſkos*, *jam Zekos*, *jam Zeſkios*, nominatos deprehendes. Credis quidem omnium optime hanc vocem per *Tz* ſcripſiſſe Cinnamum, at num is veram genuinamque literæ noſtræ vernaculæ č ſeu cž vim expreſſit? Imo ſi ad genium linguæ accommodanda ſit latina ſcribendi ratio, nova prorſus orthographia latine ſcribendi ſimus *Tſchechi*. Neque ullus perſuadebit mihi Lucifer tuus A. R. P. Athanaſium, ad quem provocas, poſt veteres latinos Græcosque ſcriptores Cleantea vigilantia exhauſtos ideo negaſſe Aſiæ Zecchos eosdem eſſe gente cum Cinnami Tzechis, quia non æque per *Tz* ſcripti reperiuntur, igitur nec *Tſeh* in Manuſcripto tuo Coſmæ idem cum Czecho? Aut Tzani, Zani, Sani, Zanæ, Sanæ, & Suani unus idemque Græcis hiſtoricis populus? de quibus luculenter Procopius: (e) *Tzani olim Sani dicebantur*. An denique Tzarcaſſi Chalcondylæ Tzer-

LUCIFER.

Pag. 81.

(a) Goldaſtus de regno Boh. l. 1. c. 4. §. 3. p. 41. & 42. (b) Idem ibid. l. 1. c. 11. pag. 102. in notis. (c) Cluverius in deſcript. Vindelicii & Norici c. 3. (d) Joannes Carion in Chronico l. 3. (e) Procopius de bello Perſico c. 15. vide etiam Agathiam Scholaſticum l. 5. de imperio & rebus geſtis Juſtiniani Imp.

LUCIFER. Tzercaſſi, Zercaſſi, Zircaſſi & Circaſſi non unius ejusdemque gentis nomen? Sed quem non pœniteat nugis his calamum manumque defatigare, atque ut verbis tuis loquar *puerorum ritu digitis micare*? Norunt Viri eruditi anagrammata vocum propriarum cumprimis barbararum ſubinde linguæ hujus ignoratione, ſubinde enunciandi, ſcribendique difficultate, quandoque ex fugientibus veterum codicum aut minus legibilibus characteribus, creberrime ſcribarum & typographorum oſcitantia profluxiſſe, ut taceam ipſum communem uſum ſæpe nominibus vitium adferre, ut ſapientiſſime advertit Conſtantinus Porphyrogenitus (a) *Communis vero uſus*, inquit, *ſæpe literarum commutatione nomina corrumpit.* Nec denique obſtat, quod hiſtorici quique veteres & Geographi hos Zechos, Zichos, Zinchosve paululum diverſo ſitu locent, at certe nemo extra Ponti Euxini litora, Boſphorum, & Paludem Mæotydis locavit, cauſasque hujus diverſitatis ante explicui, cum Zechos a Nicopſi fluvio, qui in Pontum Euxinum influit, per Cimmerium Boſphorum uſque ad fluvium Bal qui in Paludem Mæotydis ſe exonerat, ditiones ſuas poſterius protendiſſe oſtendi. Minus itaque in Geographis veteribus verſatum ſe probavit Lucifer tuus, cum eam Geographiæ expolitionem, quæ hodie floret, in veteribus expopoſcit; contuliſſet ille Strabonem, Plinium, Ptolemæum & Ethicum, & quantis dimenſionum ſituumque ſpatiis in una eademque gente nonnunquam recedant, advertiſſet, ut candide profiteatur Strabo: (b) *Scriptores antiquos rerum quidem Græcarum notitiam habuiſſe, reliquarum longius poſitarum permultam imperitiam tenuiſſe.* An vero jam ſejunctis nonnihil terrarum ſpatiis a diverſis veteribus Geographis & Hiſtoricis poſita gens una eademque ſit, conciliatis rerum & hiſtoriarum circumſtantiis eruere eſt hodierni orbis literati, nec certe defuerunt Viri quique eruditiſſimi qui hos Zecchos, Zichos, Zinchosve pro uno eodemque populo agnoverunt, ut jam alias docuimus. Iſmael Bullialdus gravis cum primis Commentator in notis ad Ducæ hiſtoriam plane innuit *Sindos* a veteribus quibusque proditos haberi pro iisdem Zechis, Zichis, & Zinchis. Sic vero ille: *Sauromatis ſuccedunt Sindi, qui apud quosdam Zinchi appellantur. Regio Zinchorum* Ζυκχία (Zykchia ſeu ut alii vertunt Zynchia) *appellatur in Bibliotheca Regia MS. libro in formulis ſubſcriptionum & inſcriptionum epiſtolarum Patriarcharum Conſtantinopoleos, & habetur inter Metropolitas, quibus ſcribit Patriarcha:* ὁ Μετρόχωνος κὶ Ζηκχίας (Zekchias) Con-

(a) Conſt. Porphyro. de admin. Imp. c. 29. (b) Strabo l. 7.

Conſtantinus Porphyrogenitus lib. de adminiſtratione Imperii ſub finem de Zinchia hoc adnotatum reliquit: *Tenendum in Zichiæ parte ad fontem &c.* En Zichiam, Zykchiam, Zynchiam, Zekchiam, quibus ſi jam ex Notitia Græcorum Epiſcopatuum addas Zicchiam, & Zecchiam, Plinii Zingos, Priſciani Poetæ Zygios, Marcellini Sinchos & Singos, Procopii Zechos, Miechovii Cikos habebis ejusdem populi variæ ſcriptum deflexumque nomen. *Hoc qui non adverterit*, liceat mihi rurſum cum Pagio dicere, *invertet omnes hiſtorias, & Geographias.* LUCIFER.

III. Næniis his tanquam ex ſcena declamatis, ad magis ludicras progrederis. *Quomodo*, inquis, *Zingi ſunt iidem cum Zigis? aut qua ratione diverſæ nationes Zigi & Zingi unam gentem conſtituunt Czechorum? Niſi dicamus duarum gentium Czechos eſſe abortum, & Zingarorum progeniem.* Papæ! ſententiam quæ utriusque Chori plauſum mereatur, & quæ in ſempiternum tantæ ſapientiæ monumentum æneis tabulis inſculpta in fanum Palladis appendatur. Quis vero, Lucifer! te docuit Zigos & Zingos diverſam eſſe gentem? Harduinus, inquis, quid vero is detexit? civitatem Ζυγόπολις apud Trapezuntum a Stephano ex ipſo Strabone detectam. Hem! quia ad Trapezuntum urbs *Zygopolis*, igitur a nemine alio, quam quibusdam Zygis nomen hoc urbs iſta invenire potuit? quid ſi iſthic etiam fuere Zygi aliqui? an repugnat eos etiam ad Paludem Mæotydis exſtitiſſe? Quid ſi ab his ipſis Zygis, quorum metropolim Zygopolim facit Harduinus, deſcenderunt Zigæ Zigique Paludis Mæotydis accolæ? Nam idem Stephanus (a) vicinam urbem Trapezum ſeu Trapezuntum vocat *Sinopenſium coloniam*; nemo autem veteris Geographiæ peritus ignorat Sinopen maritimam fuiſſe civitatem veterum Henetorum & Paphlagoniæ, oſtendimusque multo ante Slavos ex his regionibus poſt Trojanum bellum altius verſus ſeptentrionem paludemque Mæotydis progreſſos. Quid ſi Zygi hi Herbotii ſupra memorati *Slavi Zingi*? Num Harduini conjecturæ potiores tibi ſint clariſſimo Plinii teſtimonio, qui *Zigas* de nomine inter gentes Mæoticas refert? Libro enim ſexto c. 7. inquit: *Primo Sauromatæ Gynæcocratumeni unde Amazonum regna, dein Euazæ, Cottæ, Cicimeni, Meſſeniani, Coſtoboci* (ſeu ut Ptolemæus habet Ceſtoboci) *Choutræ Zigæ* &c., quos cum alii Sindos vocant, non legiſti ante ex Iſmaele Bullialdo pro eadem Zichorum gente haberi? Quis enim in tam longinque diſſitis regionibus eam accurationem veterum Geo- Pag. 81.

 gra-

(a) Stephanus & Loydius in Lexico voce: *Trapezus.*

LUCIFER. graphorum deſideret, ut ne quandoque hæſitaverint, & varia ejusdem gentis ſcriptione ac appellatione falſi quandoque duplicem ſitum uni eidemque genti adſcripſerint? Nolim quidpiam doctiſſimi Harduini authoritati atque exiſtimationi detrahere; at quantis ſubinde umbris, & ſomniis pulſatus ſit, lege M. Atcerburii Epiſcopi Rocheſtrenſis ejus manibus ſcriptum epitaphium. Quis præterea Deorum Lucifer hanc divinationem menti tuæ indidit, ut *Czechos harum duarum gentium abortum, & Zingarorum progeniem conviciareris*? Quis enim vel tenui hiſtoriæ antiquitatisque cognitione præditus Zingaros fæcem hominum, quæ tribus non ultra ſæculis ortum ſuum debet, cum antiquiſſima, & ante Chriſtum natum jam cognita Zecchorum gente auſit conferre, aut calumnioſe ex illa progeniem majorum noſtrorum derivare? Quis unquam hiſtoricorum eruditiorum docuit Zingaros peculiarem quandam gentem fuiſſe? quis eorum Sæculo XIV. antiquius certum indicium detexit? Legeſis celeberrimi Viri Wagenſeillii Profeſſoris Altdorfenſis, Georgii Hornii, (a) aliorumque de Zingarorum initiis, moribus, ſatisque commentationes, & damnabis calamum, qui ea atredine gentem noſtram inquinare auſus. Nempe fæx iſta hominum, nunquam ab aliquo Geographorum gentis populique nomine nobilitata, nihil erat quam quædam plebejorum hominum colluvies, & ex cujus cujus demum nationis tabulis collecta, quæ in ſilvarum receſſibus ſine domiciliis, ſub nudo jove, hieme ad ignem, ſubque arborum frondibus hoſpitare ſolita aeris injuriis, ſorditie, fumoque tetrum colorem hauſit, & prolium procreatione propagavit, ut Ægyptiorum progenies crederetur, in quorum conſortium nemo candido corpore admittebatur, niſi pinguem ſepiam, atramentumque corpori intereret, ut Ægyptium mentiri videretur. Paſſim etiam hodie ejusmodi exempla in confiniis Moraviæ & Hungariæ, ubi fabrili arte plerumque victitant, ſpectare licet, nam quam hodie candidiſſimo corpore puellam videre erat, poſtridie Zingaro in matrimonium datam fuſco atroque colore fœdam ſis miraturus. Unde non dubitant plerique ipſam vocem *Zingar* haud alio etymo, quam ab Hungarica voce *Sczyn*, quæ *colorem* ſignificat, profluxiſſe, quaſi nempe *homines coloratos* dicas. Vides jam Lucifer, quo technæ tuæ recidant, qui ut popularibus meis ſententiam illam de veteribus Zecchis magis magis-

que

(a) *Sunt colluvies variarum gentium, neque Europam modo, verum Aſiam quoque & Africam pervagantur.* Georgius Hornius in Arca Noe p. 548.

que exoſam redderes, inſulſiſſime ad Zingarorum progeniem detorſiſti. Lucifer.

Sed cadit in foveam praeceps, quam callida forte
Fraus interciſo ſuffoderat aequore furtim.
Fraus deteſtandis vitiorum e peſtibus una
Fallendi verſuta opifex. (a)

Ad §. XXVII.

I. Jam vero argumento tibi eſt, mea linguæ Slavicæ imperitia, quam omnibus ſibilis Lectori explodendam propinas: Quæ illa? Cauſas ingenue narrabo. Ut magis magisque teſtatum facerem olim in vetere Zichia ſediſſe Slavos, detexi Parte II. Annalium meorum Hagecianorum ex Porphyrogenito regionis iſtius locum *Sapaxi* appellatum, quam appellationem is barbaram eſſe innuit, explicatque latine per *pulverem*. Jam cum nemini, qui Porphyrogenitum legit, ignotum eſſe poſſit, hunc Imperatorem Orientis linguæ Slavicæ apprimis gnarum, in libro ſuo de adminiſtratione Imperii vocabula Slavica gentium, regionum, montium, aliarumque rerum ſignificantia paſſim fuiſſe latine interpretatum, merito argumentatus ſum & hanc ipſam vocem *Sapaxi* eſſe Slavicam, eam autem quocunque demum vitio fuiſſe corruptam, ac proinde interjecta ſola litera *r* ſcribendam legendamque eſſe *Sapraxi*, ut vetere illa Slavica connotatione ac orthographia pulverem ſeu pulverulentum quidpiam ſignificaret. Hic igitur mons ille parturiens, hæc cachinnorum ſeges atque materies, ut Lucifer noſter exclamet: *Ridete, quidquid eſt domi cachinnorum!* Sed ne Lucifer multum riſeris, metuendum enim tibi, ne, ut verbis Tertulliani loquar, *riſus tuus rideatur.* (b) Audiamus jam riſuum tuorum capita: Primo quæris: *Unde hoc ſcimus?* (nempe quod Porphyrogenitus literam *r* omiſerit) *aut cur id in Græco non poſuit, præſertim cum Slavicam caluiſſe ſæpius aſſeratur linguam.* Non ſcimus id infallibiliter, neque enim id jactavi unquam, ſed conjicimus id veroſimillime, & prudentia duce (quæ in obſcuris optima magiſtra eſt) rationabiliter concludimus. Nam cum certum ſit, Porphyrogenitum linguæ Slavicæ peritia fuiſſe conſpicuum, cum ex ejus libro etiam teſtatum ſit, illum

Pag. 84.
Pag. 84.

(a) Prudentius in Pſychomachia 4. (b) Tertullianus libro contra Valentinianos.

LUCIFER. illum plurimis locis vix alia, quam Slavica barbara vocabula latina interpretatione explicuiſſe, quidni & hanc barbaram vocem *Sapaxi* Slavicam eſſe, quam latine per *pulverem* reddidit, ex prudentiæ legibus inferamus? ſed obtendis: *Cur Porphyrogenitus hanc literam r in Græco non poſuit?* Ego vero nullus prorſum dubito Porphyrogenitum literam hanc *r* in ſuo Exemplari MS. expreſſiſſe, vocemque genuinam *Sapraxi* filio ſuo, ad quem hunc librum ſcripſerat, tradidiſſe. Sed quis divinus ſpiritus tibi revelavit hanc editionem Porphyrogeniti inter Byzantinos ſcriptores ex ipſo autographo fuiſſe tranſumptam? An in Apographo nulla ſcribæ intercedere potuit oſcitantia? an tranſumptor ob codicis vetuſtatem fugientesque literas aut certe barbaræ vocis ignorationem ceſpitare non potuit? Quid ſi ipſiusmet Porphyrogeniti (ut errare humanum eſt) ſit præcipitatio, aut plane typographi mendum & error? Iſtudne novum & inſolitum, ut ne præſertim in vocibus barbaris anagrammata, hallucinationes, literarum tranſpoſitiones, truncationesque paſſim occurrant? Quanti, *Deum immortalem!* vel in Coſmæ noſtri Freheriana editione vocum Slavicarum anagrammatiſmi, obſcuritates & ſphalmata, quas Menkenius in ſuis emendationibus T. III. ex Codice Dreſdenſi correxit? Tune prudens petas cum omni minima accuratione præter omnem lituram, lacunam, & vitium tam vetuſtum Porphyrogeniti codicem ex ipſiusmet autographi fide ac ſinceritate excuſum? Qui igitur tam infeliciter cecidit, quod tua Luciferi lucubratio ex ipſo autographo deſumpta, te vigilante, curante, corrigente, tam ab hominibus latinæ linguæ gnaris excuſa tot ſcateat erroribus, ut ſi numerare liberet, facile centeſimum numerum ſuperarent? Nolim cum Anſelmo Bandurio dicere: *Græci exteras voces paſſim corruptas ac depravatas proferunt.* Sed ut jam ex ipſo Prophyrogenito oſtendam exemplar, quod in Byzantinis Scriptoribus recenſitum hodie habemus, non a mendis in vocabulorum quorumque Slavicorum tranſcriptione immune eſſe, en habe plura exempla: Capite 9. de adminiſtrando imperio Porphyrogenitus dicit: *Ad primum locum fluminis præruptum veniunt, qui Eſſupe cognominatur, quod Ruſſorum Sclavorumque lingua valet: non dormire.* Effare jam Lucifer, ſignificatne, aut ſignificavit olim *Eſſupe* Slavorum lingua *non dormire*? An non ſcribendum legendumque erat: *Ne ſupi*, ut etiam Bandurius recte animadvertit, ut veterum Slavorum lingua *non dormire* connotaret? Potuit in hac voce initialis litera *n* deſiderari, quidni media *r* in altera *Sapaxi*? Capite 29. & 35. inquit: *Pagani quippe Sclavorum lingua non*

bap-

baptizati dicuntur. Qua in voce mendum eſſe quis non advertat, legendumque eſſe *Pogani*? nam ii olim gentiles & non baptizati dicebantur, unde etiam antiquato literæ *g* uſu hodie gentilem Pohan appellamus. Capite 34. ait *Canal* ſignificare *viam plauſtri Sclavorum idiomate*, cum *Colnich* ſcriptum eſſe oporteat: nam hac ſignificatione *viam carri* reddit Presbyter Diocleas aliique veteres. Quid dicam de voce *Gelandri* quam c. 9. *Slavice ſonum loci prærupti interpretari* ait, cum legendum ſit *Glaſzani*, quod hodiedum apud Dalmatas idem connotat? Quid plura perſequar? hæc ſatis teſtimonio mihi eſſe potuere etiam vocem *Sapaxi* corruptam eſſe. LUCIFER.

Verum ad id quod caput cavillorum tuorum eſt tranſeamus: Oſtenderam eadem Parte II. plurimis ex Loderekeri noſtri Vocabularii Dalmatici vocibus veteres Slavos, atque hodiedum Dalmatas literæ hodiernæ Boemicæ ʒ loco adhibuiſſe literam *x*, atque idcirco Porphyrogeniti vocem *Supraxi* nobis legendam eſſe ſa ſeu ʒapraʒj, ut aliquid pulverulentum connotet. Hoc illud præcipuum Lucifero noſtro riſuum illicium, hoc noſtram linguæ Slavicæ Boemicæque imperitiam cavillandi ſummum argumentum: Nam cenſoria virga nos feriens increpat: vocem praʒj, ut pulverem connotet, non ſcribi per Boemicum ʒ ſed per ſſ. Me hercle! magnæ a me tibi Lucifer referendæ gratiæ, qui me ſcripturam docueris, quam hactenus ignoravi, neſcivi vero te etiam Grammaticæ magiſterio fungi. Sed quod illud tuum tam ſeverum ſupercilium, ut auſtere flagites ab authore Græco ſæculis octo ætate noſtra vetuſtiore eam ſcribendi rationem & orthographiam, quam hodie ſcrupuloſius ipſi nobis affinximus impoſuimusque? Quanta etiam hodie inter literam ſſ & ʒ ſonus enunciationisque diſcrepantia? Ubi oſtendiſti te veteris orthographiæ Slavicæ adeo gnarum, ut plane noſcas, quid olim per ſſ ſeu ʒ ſcriptum fuerit? Ubi oſtendiſti Slavis veteribus literam *x* non æque rite pro ſſ atque ʒ fuiſſe adhibitam? Convenitne etiam hodie inter Grammaticos omnes Boemos Moravosque, quæ voces per ʒ ſeu per ſſ ſcribi debeant? An non vel in libris prelo datis paſſim variam lectionem deprehenſurus es? Visne demum ut omnium Slavicarum gentium olim fuerint, ſintque hodie eædem Orthographiæ leges? Sed inſtas, veteres Slavos noſtrum ʒ non per *x* ſed per *ſch*, noſtrum č aut cʒ per *tſche* reddidiſſe, & probas id ex Sacro Moſcuenſi novi teſtamenti codice a Jordano in Orig. Slav. Sect. 51, p. 118. ex Kohlio recitato. Hem dormitas Lucifer! male eſt lucernæ tuæ, animo pene linguit, revocare & refocillare lumen tuum aliquan- *Pag. 88.*

LUCIFER. tum libet: Quis tibi vero perſuaſit eum Evangelii textum, quem ex Moſcuenſi Codice ac Kohlio latinis literis retulit Jordanus eſſe verum textum hujus laudati codicis? an codicem hunc non Slavicis antiquis literis ſeu Ruthenicis ut vult Lelongius, ſeu Glogoliticis ut vult Kohlius ſcriptum eſſe teſtantur omnes qui eum inſpexere, & profitetur ipſe Jordanus? qui ſcis autem, cum codicem iſtum nunquam videris, aut etiam tibi præſentatum legere haud poſſis, quibus antiquis literis Slavicis redditæ ſint noſtræ hodiernæ ſſ, ž, č, aut cž? itane una litera noſtra ž tribus veteribus Slavicis *ſch*, & č plane quatuor *tſch* ſcripta eſt? Non intelligis textus hujus apud Kohlium, apud Jordanum latinis literis expreſſionem poſterioris cujus cujus demum & veroſimillime germani cujusdam eſſe hominis, qui propriam enunciationem Slavorum aſſequi volens, cum una litera latina id efficere nequiret, tot geminavit, cumulavitque? Legiſſes, ut decuit, attentius Jordanum & deprehendiſſes jam aliam apud Croatas orthographiam, adeo ut literam noſtram ž jam per *ſ*, jam per *z* reddant, imo duriori litera (a) quæ *ſch* exprimat, plane careant. Audire libet quid is commentetur: *Croatæ literam* h *in fine dictionis ſemper, in initio vero potiſſimum ut* ch *latinum, &* chi *elementum græcum, in medio autem promiſcue ut* h *&* ch *latinum:* ch *ut* tſch *germanicum & č bohemicum:* g *ut kappa lene:* ſz *ut latinum & german.* ſ *forte:* z *ut* ſ *lene ſeu bohem.* ʒ*:* ſ *ut* ſch *ſeu bohem.* ſſ *pronunciant. Gallicum lene* ſch *ſeu jota ante* e *&* i *Bohemis* ž, *Croatæ modo per* ſ *modo per* z *ſcribunt, & uſu tantum pronunciatio* ſch *fortis & lenis diſtinquitur.* Si igitur apud Croatas fortis & lenis pronunciatio *ſch* ſolo uſu diſtinquitur, ſique apud illos unica litera *ſ* ſeu z exprimitur, quidni apud veteres etiam Slavos una litera *x* tam per lene noſtrum ž, quam fortius ſſ exprimi potuit, & ſolo uſu diſtingui? Non advertiſti Lucifer authorem eum, qui textum hunc Codicis Moſcuenſis latinis literis reddidit, ſe ſe ad genium linguæ germanicæ accommodaſſe, nam ſi is a Boemo bohemicis apud nos hodie uſitatis literis redditus fuiſſet, næ tu pro tuo

Pag. 89. *ſch* etiam ž Boemicum in voce *ſchiw*, *Tſchelowick*, *Boſchüch* aliisque legeres, ſi vero Dalmatæ tranſumendum ſcribendumque traderes, næ tu illa omnia ab hoc authore per *ſch* ſcripta, per *x* reddita deprehenderes; aſpice vel unam vocem *xiv* apud Loderekerum, & leges illam latine per *vivus* Bohemice per žiwj explicari. (b)

Quod

(a) Jordan. Orig. Slav. P. 4. N. 721. p. 108. (b) Lodereker in Dictionario Septilingui voce *vivus*.

Quod alterum eſt: erraſti graviſſime cum Ruthenicam Moſcuenſemque orthographiam tanquam regulam univerſalem Slavicis nationibus præſtituere attentaſti: Quis enim unquam docuit primigeniam ſinceramque linguæ Slavicæ veteris cognitionem a Ruthenis Moſcoviſque eſſe repetendam? Si legiſti, ut paſſim venditas, Porphyrogenitum, deprehendiſti oppido, quantum jam ſæculo ſuo a ſignificationibus dialectoque ceterorum Slavorum receſſerint Rutheni? Legiſti etiam in eo, quod locis omnibus eos a Slavis ſecernat, quin pene alterius ſtirpis faciat. An non queruntur omnes linguæ Slavicæ periti Ruſſos linguam ſuam non modo Græcis ſed Tartaricis, Scythicisque vocibus literisque deformaſſe? Atque ſi concedam Codicem illum a Kohlio prolatum literis fortaſſe Glogoliticis ſcriptum, at verum textum dialectumque Glogoliticam eſſe pene auſim negare. Lelongius enim hanc prærogativam codici iſti non tribuit; verba illius ſunt: (a) *Biblia veteris & novi teſtamenti Slaveno Ruſſica*, quæ cum Kohlio minime arriderent, ſubjungit ille: *Perperam Slaveno Ruſſicus vocatur hic codex pura & incorrupta Slavonica lingua contextus. Præterea nec Slavenus recte dicitur: Slavi, Slavini, Slavoni dicimus non Slaveni, quod apud nullum ſcriptorem facile reperies.* Sed eum rurſum merito redarguit Cl. Aſſemanus, oſtenditque ex Procopio & aliis Ruſſicis Bibliis, recte etiam Slavos *Slavenos* appellari. Glogoliticæ autem prærogativa cumprimis competit Dalmatis Slavis, qui a ſacri ritus Slavici inſtitutione omnium primi cœpere ſcribere Sacras paginas, atque in illis linguæ veteris puritatem conſervare, qui nimirum tum Sacram Scripturam, tum Miſſalia, tum Breviaria, Ritualia aliaque ad divinum officium pertinentia non modo a Romanis Pontificibus approbata, ſed cum typographia cœpiſſet, etiam excuſa accepere, ut eam rem copioſe perſecutus ſum in Parte mea III. Annalium Hagecianorum. Advertit eam linguæ Dalmaticæ puritatem elegantiamque doctiſſimus Card. Stanislaus Hoſius Varmienſis Epiſcopus, atque idcirco eam hac laude attollit: (b) *Quamlibet autem nos ipſos amemus, tamen illud fateamur neceſſe eſt, Sclavorum aut Dalmatarum linguam eſſe multo elegantiorem, quam ſit noſtra* (Polonica) *ita ut ſi precationes, & ſacras lectiones in vernaculam transferre linguam oportet, in eam potiſſimum transferendæ ſint, a qua noſtra traxit originem, quæ præſtat cæteris etiam elegantiis.* Si itaque firmamentum dubio & objectioni tuæ

(a) Lelongius c. 11. Edit. Pariſienſis. (b) Stanislaus Hoſius in Dialogo de ſacro vernacule legendo.

LUCIFER. quærere libuit, eam ex Dalmatarum non Moſcovitarum vetere Orthographia deſumere neceſſum erat, apud quos literam *x* tam pro Bohemico noſtro hodierno ſſ, quam ʒ uſurpatam inveniſſes. Illi enim mediantibus majoribus noſtris vera Zecchorum veterum Aſiæ ſoboles ſunt, non Moſcovitæ; ex horum Grammatica ſi quod vitium in voce priſca *Sapraxi* ſubrepſiſſe tibi viſum fuit, convincendum emendandumque erat. Porro ſi te authore univerſim Slavis omnibus veteribus uſitatum fuit literam hodiernam ʒ per *ſch* reddere ac ſcribere, effare Lucifer, quibus artibus & effugiis ſalvabis rurſus fidem vetuſtiſſimi (ut ſomnias) Cenotaphii tui, quod Czecho ſcriptum adornatumque ſcalpro plane excudi feciſti, in quo vox Knjʒe non per *ſch* ſed hodierno ſcribendi ritu per ʒ exaratum legitur? ubi alterum, quod Gervaſii eſſe contendis, in quo ʒ per *ts* ſolum ſcriptum legitur in voce *Tſch*? Nempe papilionum ritu lucem affectas, cujus æſtum cum ſatis cognitum non habes, plerumque ipſe tibi alas aduris. Suſpende igitur organa tua Lucifer, nec jactantius arrogantiusque intona imperitiam meam linguæ patriæ, cum praʒj per ʒ, non ut hodie fieri ſolet per ſſ ſcripſi. Orthographia illa non mea, ſed Porphyrogeniti eſt, nec eam ibi corrigere aut novam notam adjicere libuit. Negotium mihi illo loco erat cum Viro Germano, nempe Actorum Eruditorum Lipſienſium Lucubratore, cui præter multas ambages aut orthographiæ Bohemicæ enodationes res ita proponenda erat, ut patriæ noſtræ linguæ ignarus argumento meo convinci videretur, facileque aſſenſum præberet. Manet idcirco inconcuſſa vox *Sapraxi* a Porphyrogenito prodita, teſtis linguæ veterum Zecchorum Aſiæ, teſtis, inquam, eos merito majores noſtros eſſe deputandos, & quamdiu Slavicæ nationis nomen ſupererit, oſtentabit hunc populum Slavicum, non ut tu ſomnias, Tartaricum fuiſſe.

Pag. 129.

Pag 85. II. At vero alium etiam nodum in eodem ſcirpo quæris, urgesque: *Dato namque, non conceſſo*, inquis, *quod Sapaxi, ſic, prout a Porphyrogenito enunciatum eſt, ſignificaret pulverem, quis ex uno alterove vocabulo vicinitate forſan alterius nationis, civitate donato, de univerſa natione judicium feret? quot non voces idem prorſus notantes Slavis communes habent Hunni, quot non ipſi Slavi aut germani ad ſpeciem latina? immo quot non ipſi latini græca aut gothica uſu carnifice recepere, quin tamen nationes hæ inter ſe diverſiſſimæ ab origine ſua permaneant.* Vide Lucifer, quam maledica ſis lingua, ut nihil intactum prætereas, quin id allatres, ammordeasque; quid vero *uſum* conviciaris *carnificem*, quem *rerum omnium*

opti-

optimum magiſtrum univerſa Virorum graviſſimorum veterrimorumque cohors prædicat? ſed hoc miſſo, ad *Sapaxi* ſeu pulverem, qui nimium quantum tuos ammordet oculos, redeamus. Quid vero ageres mi Lucifer, ſi Porphyrogenitus in libro ſuo paſſim Tartarica ſignificantia vocabula latine fuiſſet interpretatus, & poſtea in vetere Zecchia commemorato loco *Sapaxi* dixiſſet id barbare vel Tartarice connotare pulverem, quale tu feſtum ageres? quis tantus tamque aheneus murus, quem parem argumento tuo deputares, iſthic ſediſſe Tartaros, non Slavos? Ego tamen argumentum hoc minoris generis deputavi ſemper, deputoque etiamnum, corollarii adinſtar mihi eſt ad graviora illa magisque convincentia, quæ in Prodromo, quæ in hac Apologia adduxi. Expertus nempe omnem aciem dubitationum, objectionumque tuarum ad Triarios usque eſſe conciſam, deletamque, convictus Slavorum gentem ad Paludem Mæotydis & Pontum Euxinum ſic a nobis vindicatam ſtabilitamque, ut ſoli malignitati & contumaciæ, non rationi locus aliquis adhuc ſuperſit eam allatrare. Sed ne cauſeris ſolam vocem *Sapaxi* in vetere Zecchia ejusque confiniis teſtem eſſe cultæ hic aliquando linguæ Slavicæ, alia porro locorum, fluviorum, rerumque diverſarum vocabula proferamus: Legiſti ſupra voces *Petigoros*, legiſti *Precop*, legiſti ex Agathia *Cotrigoros*, quæ Slavice *Quinquemontanos*, *foſſam*, *ſubmontanosque* connotant, jam plura habe. Communis hactenus quorumque Geographorum fuit obſervatio, quod vocabula terminantia in *iz*, *ic*, *ice*, *ici* paſſim ſint Slavicæ connotationis. Porphyrogenitus vero c. 42. Zechiæ terminos deſcribens, ait: *Sed eſt & Mæotis paludis oſtium quod Burlic cognominatur & in pontum defluit.* Burlic, quaſi vetero Slavice impetuoſum & tumultuoſum quidpiam (a) dicas, Slavicum eſſe vocabulum vix dubitabit quispiam linguæ hujus gnarus, cujus nominis loca etiam hodie in Moravia eſt reperire. Alterum c. 44. ad fluvium Phaſin profert *Altzice*, tertium eodem capite *Abnici*, capite 42. vocat inſulam Zechiæ *Tzarbagani.* Tzar ſeu Tzarn olim Slavis *niger*, bagani eodem Porphyrogenito interprete *non baptizatos* ſignificaſſe ante oſtendi. In eadem regione commemorat fluvium *Nicop*, græce *Nicopſin* dictum; vidimus ſupra

(a) Forte ita appellatum ob aquarum illabentium impetum. Nam de altero Thraciæ Boſphoro ſcribit ſimilia Petrus Gyllius l. 2. c. 13. *Ex ſeptem decurſibus fluctuum, quos ante dixi facere Boſphorum, cum toto fere inquietum, tum maxime duobus locis primo latus orientale transverſo impetu circumſonante percutitur.*

LUCIFER. Precopenſes vicinos a Slavico ſimili *Precap* nomen inveniſſe. Negabisne vero loca c. 44. ad fluvium Phaſin commemorata *Mantzicieri*, *Tzermatzu*, *Muſtati* Slavica eſſe vocabula? quid ille Nicopſeos Capitaneus *Petrona Boila* c. 45. Slavicumne tibi videtur? quid loci nomen *Cybernik* ad Boſphorum? quid locus *Sgora* ad fauces Ponti Euxini a Simeone Logotheta N. 46. prolatus, quo Ruſſorum cladem accidiſſe memorat? ſi Slavorum hic nomen quæris, operam perdis, Græcis Ruſſorum nomen tam latum tam genericum erat atque Slavorum, Slavos illi ſolum ad mare Adriaticum, & ad Viſtulam fluvium appellare ſoliti, reliqui *Roſci*, *Ruſſi* & *Rutheni* illis generico nomine veniunt, unde etiam Porphyrogenitus (*a*) ubivis Slavos a Ruſſis diſtinguit. Quid ſi jam Lucifer te fortuna tam propitio reſpexiſſet vultu, & in vetere Zicchia tot tantaque *Tartarica* locorum nomina tibi ex Porphyrogenito aliisque Græcis ſcriptoribus detegere licuiſſet, quantos tu tympanorum tubarumque non inſtruxiſſes jam choros? Nos vero hæc non certæ demonſtrationis, ſed congruentiæ loco appoſita volumus, ut ſaltem liqueat has locorum appellationes dialecto Slavicæ linguæ non repugnare. Quodſi mihi recipis Lucifer, tibi a riſu temperaturum, aliam etiam congruentiam hic ſubjungam: Quid ſi dicamus eam phaſianarum avium culturam, qua in Germania pene una omnium maxime floret gens noſtra, jam majores noſtros in vetere Zecchia didiciſſe, atque ſecum in Boemiam intuliſſe? Nam cum ex Procopio Cæſarienſi certum ſit Zecchos veteres ad fluvium usque *Phaſin* a fontibus ſuis aliter *Boas* dictum accoluiſſe, inde autem hæ aves originem ſuam teſte Jornande (*b*) habeant, quidni eas ſecum attuliſſe, & hic ad eam culturam, quam hodie ſpectamus, perduxiſſe dicamus? ſed labia comprime, ne cachinnus gutture prorumpat. Ceterum ne quid finxiſſe videar, cum ante dixi Porphyrogenitum creberrime vocabula Slavica græca interpretatione explicare, jam præter ſupra allata loca hæc etiam habe: c. 9. inquit: *Munitionem majorem, quam Ruſſi Aiphar, Sclavi Neaſet nuncupant, quoniam in Saxis munitionis Pelicani nidificant.* Rurſum: *A Sclavis Beruze nominatum, quaſi dicas aquæ Scaturigo.* Rurſum: *Ruſſis Ulborſi, Sclavis Oſtrobuniprach dicitur, ſignificatque inſulam loci prærupti.* Rurſum: *Ruſſorum lingua ſtrubun, Sclavorum autem Na preſi vocatur, id eſt locus præruptus.* Rurſum: *Ruſſi Burupherum, Sclavi Bulne-*

(*a*) Porphyreg. de admin. Imp. c. 9. (*b*) Jornandes de rebus Geticis c. 6. *Ad Phaſin fluvium, a quo phaſides aves exortæ in toto mundo epulis potentum exuberant.*

neprath, quod paludem magnam efficiat, denominant. c. 31. de Belo-ſeu Velo-& Magnis Chrobatis, ſcilicet gente noſtra loquens: *dicuntur lingua Sclavorum, id eſt terram multam poſſidentes.* c. 33. inquit: *Alias dialecto Sclavorum Za chlumi dicuntur ii, qui poſt collem habitant.* c. 34. *Canal vero viam plauſtri Sclavorum idiomate ſignificat.* Quid plura? ſatisne probabiliter conjicere potui etiam Porphyrogenitum per vocem *Sapaxi* ejusmodi Slavicam intendiſſe, cum illam ut priores verbis ſuis explicaverit? Demum omniane ſupra relata vocabula genuina incorruptaque Slavica cenſebis, atque in iis nullum literarum vitium, ſeu Archaiſmum? quid igitur tanto ſcrupulo vocem *Sapaxi* infeſtas? ſed LUCIFER.

Abiſis nugator, nugari nugatori poſtulas (a)

Nusquam legiſti in Horatio: . . . . *Mortalia facta peribunt;*
Nedum ſermonum ſtet honos & gratia vivax.
Multa renaſcentur, quæ jam cecidere; cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula; ſi volet uſus
Quem penes arbitrium eſt, & jus & norma loquendi. (b)

Ad §. XXVIII.

I. Cum ſuperiore paragrapho integra plauſtra quisquiliarum, vocabulorum inquam amphybologicorum latino-germanorum tanquam in forum nundinarium advexiſti, jam etiam hoc paragrapho numerum auges, & latino-Boemica, rurſum germano-latina cumulatim congeris: ſed quorſum hæc inutilis opera? quorſum? niſi ut maculentur paginæ, & *diſtendatur vi eſcarum venter inanis.* Pag. 87.

Non quidquid libro adgeritur, liber eſt . . . .
. . . . *nimia farragine demta*
Deſectisque ſupervacuis pars magna peribit. (c)

Quis negavit unquam inter linguas harmoniam quandam eſſe, & plurima vocabula differentium nationum ſermonumque jam ſono jam ſignificatione affinia eſſe? quam in rem ſi tibi plura exſcribere, molemque libri tui augere libuit, acceſſiſſes Godofredi Henſelii ſynopſim univerſæ Phylologiæ & Harmoniæ linguarum, ſeu Frencelii Sorabicum

(a) Plaut. in Trinummo. Act. 4. Sc. 2. v. 129. (b) Horat. de Arte Poet. v. 68. & ſeqq. (c) Lucius Sectanus ſerm. 3.

LUCIFER. cum Vocabularium, næ Luciferum tuum tantum farcire ac ingroſſare materies tibi ſuppetiiſſet, ut altera mole ampliorem excreviſſe ipſe admiratus fuiſſes. Nobis vero in ejusmodi vocabulis nullum unquam certum firmumque robur fuit, aliis tamen majoris momenti præmiſſis argumentis merito id videri poterant, quod in Rhetoricis loci quidam extrinſeci & adjuncta, quæ rem alioquin ſatis probatam magis magisque confirmant. Verum Vir Cl. incogitantiam tuam non ſatis mirari poſſumus, cum enim hic duobus pene integris paragraphis diſputas, iſtiusmodi vocibus, quæ quandoque etiam aliis linguis communes & ſignificantes ſunt, vim nullam tribuendam eſſe, tamen pag. 56. haud alio argumento probare conniſus es Zizain Slavorum *Pag.* 56. Regalem fuiſſe, quam quod vox Zyza vox vetus Slavica ſit, abundantiam ſignificans. Iſtiusmodi ratiocinatione etiam, ut cætera prætermittam, ſumma confidentia pag. 65. nomen Viri *Gepes* præter ullius vetuſtioris *Pag.* 65. exemplum ad Slavicam linguam traducere conatus, inquiens: *In præſens apud Slavos percrebreſcit proverbium:* Ge Peo, newěř. *Cavis eſt, non crede* (fortaſſis fide) illi. Ita nempe in leges a te ipſo ſcriptas, datasque nemo peccat licentius atque tu ipſe, eam procul dubio tibi interpretationem indulgens, quod Legislatorem lex non ſtringat. Simili plane ratione cum imperitiam meam linguæ patriæ ſuperiore paragrapho omnium deridiculo propinaſti, hic quantum illa excellas, oppido probaſti. Nam inter farraginem illam amphibologicarum vocum & orationum, etiam illam ridiculam latino-Bohemicam profers, quam ipſam vitiare non refugiſti:

Sed lac do ſoli cera perenne poli,
Sedlak do Soly Dcera pere neboli.

Cum Ænigmatis de ape hæc verba ſint:

Non ſum nupta viro, ſed ſum caſtiſſima virgo,
Sed lac do ſoli cera ſerena poli.

Quam quantum rideat, quantisque erroribus obnoxiam oſtendat, Vir ut nobilitate patria ſummoque regni munere inclitus, ita doctrina clarus, poſtea ex ejus ad me data epiſtola cogniturus es.

II. Tandem ad Salamonem Schweigertium pertingis, quem *Pag.* 89. multo prius oculatum auritumque teſtem jactas linguæ & morum Tartaricorum in vetere Zecchia. Nam eum anno 1576. in Circaſſia moratum fuiſſe, ex eaque profectone *Itinerarium ſuum terræ ſanctæ* magna

gua accuratione conſcripſiſſe ais. Ad perſuadendum igitur Lectori LUCIFER. ſolam linguam Tartaricam iſthic in uſu eſſe, profers ex illius Itinerario primum verſum Pſalmi primi ſermone *materno* ſeu Tartarico exaratum, *qui*, ut ais, *ad An.* 1579. *in ea plaga quam Zingi, Zigi, Zechi, Zichi alias inſidebant, & jam a Circaſſis Tartaris incolebatur, plane florebat.* Magna contentione adniſus ſum, ut Schweigertii mox memoratum Itinerarium ipſe oculis explorare poſſem, quod cum fruſtra Pragæ per Bibliopolas & pleraſque Bibliothecas quæſivi, tandem Viennæ in Bibliotheca Cæſarea reperi, unde quæpiam exſcribi feci. Editio illa Bibliothecæ Cæſareæ in quarto eſt anno 1613. Norimbergæ apud Catharinam Lanzenbergerin excuſa, cujus præſidio jam velum illud mantellumque, quod hiſtoriæ Circaſſorum injeciſti, detrahemus. Et quoniam authorem eum (quod nos multo ante ex præclaris aliis exemplis fidelitatis tuæ ſuſpicati ſumus) ubivis licentioſiſſime truncaſti, omiſſis nempe illis, quæ opinioni tuæ adverſa videbantur, nos jam omni fidelitate illum ſermone germanico, quo ſcriptus eſt, Lectori trademus, illa quæ mutilaſti, parentheſi incluſuri, ut, quæ prætermiſeris, noſcat. Et quidem jam pag. 76. quæpiam ex Schweigertio truncata oratione *Pag.* 76. profers, quæ hic itaque reſtituere ac redintegrare convenit, habentur autem in dictæ editionis Itinerario pagina 84. his verbis: Die Georgianer wohnen zwiſchen der Meotiſchen und Hircaniſchen See, alſo daß an der Hircaniſchen See die Albanier, an der Meotiſchen See die *Colchi*, und zwiſchen dieſen beyden die Georgianer mitten innen liegen. (In Hiſtoriis werden ſie Iberi genannt von dem Fluß Ibero in Hiſpania, da ſie ihren Urſprung, und erſte Ankunft her haben, von denen ſollen ſie, weilen ſie nicht genugſamen Platz in Hiſpania gehabt, an dieſer Gegend ſich niedergelaſſen haben. Andere halten dafür, daß die Spanier von ihnen ſeyn herkommen.) Hem ipſis Ovidii Metamorphoſibus magis admirandam gentium ſcenam! qui factum, ut hi Circaſſi vel uno oculi noſtri in Schweigertium vibrato ictu ex Tartaris in Hiſpanos transmutati ſint? Itane Hiſpani etiam illa lues, ſcabies & camerina Tartarica, quam locis omnibus exagitas? Hiſpaniane vetus illa fuit Tartarorum ſedes, & infelix illa lerna, quæ tot Tartaricas hydras ad Paludem Mæotydis effudit? Hem tandem vel utroque clauſo oculo palpamus cauſas truncati & lineolis interpolati apud te Schweigertiani textus, non tu Hiſpanos ſed Tartaros in Circaſſia hac quæſieras. Sed proſequamur authoris verba: Die *Colchi* werden jetziger Zeit Mengreli, und die Albanier Circaßi in ihrer Sprache genennet.

LUCIFER. Alle dreŋ Völker ſeŋn Chriſten, und erkennen den Patriarchen zu Conſtantinopel für ihrer Kirchen Oberhaupt, haben doch ihre eigene Biſchöf, und *Metropolitäs*, mehrentheils ſtimmen ſie mit den Grichen überein, in etlichen haben ſie ihr beſondere Weiß von den Grichen unterſchieden; ihr Gottes-Dienſt verrichten ſie in ihrer Mutter-Sprach, denn ſie haben ein eigene Sprach, ihrer Caloirorum oder Münch einer ſchrieb mit in ein Buch auf mein Begehren das A. b. c. auf folgende Weiß. Hic ſequitur alphabetum, quod in margine *Ibericum* ſeu das Iberiſche Alphabet appellatur, ſupra quamlibet Ibericam literam illius enunciatio germanicis literis expreſſa eſt. Denique in eodem Itinerario pag. 85. ſequuntur a te allati verſus Pſalmi primi eadem Iberica lingua cum ſubſcriptione Monachi illius & anni 1579. Jam ex his Sſchweigertii verbis habemus 1mo eum ne Tartarorum quidem nominis meminiſſe. 2do Ex tribus recenſitis populis ſolos *Albanos* ab eo vocari Circaſſos, quem tamen populum minime ſpectare ad veteres Zecchorum ſedes ipſe mox principio luculenter teſtatur, cum dicat eum Hircanum mare accolere, Alſo daß an der Hircaniſchen See die Albanier . . . liegen, quouſque veterem Zechiam protenſam fuiſſe nuſpiam diximus. Sunt autem Albani hi, ſeu Albania regio, non alii populi quam *Alani* & provincia vetus *Alania*, quorum jam Strabo aliique veteres meminere, & cujus ſitum accurate deſcribit, & a Zichia diſterminat Porphyrogenitus his verbis: (a) *Zichia eſt ad ſpatium milliarium trecentorum, ſupra Zichiam Papagia regio jacet, ſupra Papagiam Caſachia* (Slavorum Coſacorum itidem vetus ſedes) *ſupra Caſachiam mons Caucaſus, ſupra montem Caucaſum Alania regio.* Hem quantis terrarum ſpatiis Albania hæc ſeu Alania a Zichia remota ſit! Tu vero Hircanum mare a Palude Mæotydis tam modico telluris intervallo definiiſti, quaſi terno leporis ſaltu excurri poſſet. Hæc Albania proprie hodie vocatur *Zuirie*, ut in Univerſali Lexico Lipſienſi (b) aliisque Geographis legere licet, improprie ſolum vocatur *Circaſſia*, ut mox infra oſtendemus. 3tio Alteram gentem vocat Schweigertius Georgianam, quæ media ſita ſit inter Mengrelios ſeu Colchos & Albanos ſeu veteres Alanos. Georgiam hanc proprie dictam, veterem eſſe Iberiam nemo Geographorum dubitavit hactenus, & non obſcure id innuit Schweigertius, cum illam a flumine Hiſpaniæ *Ibero* repetit, & gentis hujus linguam Ibericam vocat. Neque vero hi ullo quoque modo

(a) Conſt. Prophyrogenitus de admin. imp. c. 42. (b) Univerſale Lipſienſe Lexicon voce Albania.

modo ad Zichiam veterem pertinent, aut hunc terrarum tractum pro- **Lucifer.** prie dictum unquam ad eam ſpectaſſe docuimus, nam & ii a Zichis noſtris amplis terrarum ſpatiis disjuncti erant; *Iberum Aſianorum* (inquit Procopius de bello Perſico l. 1. c. 12.) *Sedes Portas Caſpias contingunt a ſeptentrione, ſiniſtra Lazicam ab occaſu, dextra ab ortu populos, qui Perſis parent. Chriſtiani ſunt inter omnes, quos eo nomine cenſeri ſcimus, ſacrarum legum ac ceremoniarum tenaciſſimi, quamvis Regi Perſarum jam inde antiquitus ſubditi erant.* Nec Iberos unquam Slavos fuiſſe diximus, non ignari ab omnibus Græcis pro gente maximam partem Perſica agnitos, de quo clarum habemus in Juſtini legatione teſtimonium. (*a*) *Paratus ſum*, inquit, *abſtinere ab omni Perſamenia & Iberia, tametſi Perſæ, qui Perſamenium & Iberiam incolunt, velint mihi parere.* Non etiam neſcii, multo aliam a Slavis originem illis tribuere Porphyrogenitum, dum ita commentatur: (*b*) *Iberes gloriantes originem ſe ducere dicunt ab uxore Uriæ, quam Rex & Propheta David adulteravit, ſiquidem ex liberis inde natis deſcendere credi volunt, cognatique eſſe Regis ac Prophetæ Davidis, ac propterea etiam Sanctiſſimæ Deiparæ, quod ex ſemine Davidis ea oriunda ſit. Eapropter etiam Iberum magnates ſine ullo impedimento cognatas ducunt, veterem ſe legem obſervare exiſtimantes, & Hieroſolymis nationem ſuam ortum trahere dicunt.* Poſtea vero dicit ante quadringentos ſeu quingentos annos Hieroſolymis eos huc immigraſſe. E quibus ſimul conjicere licet: Schweigertium in hac Iberia fuiſſe, atque iſthic a nonnemine Monacho Ibero in librum ipſius inſcriptos fuiſſe verſus primi pſalmi cum Alphabeto Iberico, minus tamen certam notitiam hauſiſſe, cum omnes Alanos, Iberos & Mengrelios eadem prorſus Iberica lingua (niſi fortaſſe in ſacris) uti docuit, alii profecto terrarum harum exploratores Geographique ei minime conſentiunt. 4to Tertiam denique gentem vocat *Mengrelios*, quos aliter Colchos, ſcilicet ab antiquitate, appellatos dicit. Mengrelii iſti veroſimillime illi ſunt, quorum ſub nomine *Murgule* jam meminit Porphyrogenitus his verbis de Iberia loquens: (*c*) *Quamvis*, inquit, *finitima eſſet regioni Acampſe & Murgule.* Sed neque hæc regio proprie dictorum hodie Circaſſorum ſedes dici poteſt, cum enim regionis hujus a ſeptentrione terminus unanimiter a Geographis conſtituatur Abcaſſia, ſeu vetus Abasgia, minus recte ſub his finibus definitur proprie dicta Circaſſia Quinquemontana ſeu Peti-

(*a*) Juſtini legatio ad Perſas l. 8. inter [illegible]zantinos ſcriptores T. 1. p. m. 112. (*b*) Porphyrog. c. l. c. 44. (*c*) Con[illegible] Porphyrog. de admin. imp. c. 46.

LUCHER. goriana, ut ita Schweigertio nequaquam ſermo ſit de proprie dicta Circaſſia, in qua veterum Zecchorum reliquias ſuperſtites eſſe diximus. Proprie autem dictam Circaſſiam illam deputamus, quæ lævæ fluvii Copæ, Locop ſeu Sil ripæ adſita paſſim *Petigoriana* & *Quinquemontana*, item *Ruſſica* dicitur, de qua ita M. Joannes Jacobus Schatzen: (*a*) Das Rußiſche *Circaſſien* (*Circaſſia Ruſſica*) welches in *Circaſſien* an ſich ſelbſt (*Circaſſiam propriam*) Petigorien (*Petigoriam*) und Cabarden, *Cabardanium* eingetheilet wird. Et in qua recte Beyerus (*b*) veterem Zichiam nempe infra fluvium Copa reponit, quo nempe ex planis ad Mæotydem campis ſub irruptionem Tartarorum magna Zecchorum veterum pars ſe recepit. Petigorianos iſtos jam veroſimillime intellexit author vetuſtiſſimus Tabulæ Peutingerianæ, qui hoc pene terrarum ſitu ſub nomine *Dacpetorianorum* eos commemorat. Et de quibus recte Miechovius. (*c*) *Ex montibus Circaſſorum Piaciborsky ſeu Quinquemontium fluit magnus fluvius &c.* conformiter nempe Theophani & Nicephoro, qui Slavos ab hoc ipſo fluvio Copa, Coba, ſeu Couba repetunt. Quod vero plures regiones Circaſſiæ nomine cenſeantur, audiamus Joannem Schatzen ſuperiora perſequentem: Es giebt ſonſt noch zweyerley *Circaſſien*, deren eines dem Cham der Crimmiſchen Tartaren, das andere aber einigen freyen Tartarn zugehöret, davon hier die Rede nicht iſt. Pagina vero 53. plane tertium Circaſſorum nomen prodit. Nam ad Tartariam Ciſ-Caſpanianam ait pertinere: Die freyen Völker, welche um und auf dem Gebürge *Caucaſus* wohnen, und die unter dem Nahmen der *Circaſſen*: Abasgier, Alaner, und Dageſtaner bekannt ſeynd. Improprie igitur extra Quinquemontanam regionem aliæ Circaſſiæ nomen ferunt. Imo ſi etiam in proprie dicta Circaſſia hodie Slavicæ linguæ uſus non ſupereſſet, quis tamen certam argumentationem tuam deputet a præſentibus populorum moribus regionumque ſtatu & lingua ad priſca illa ſæcula ductam? Moretne hodiedum Hebræa, Græca, Romanaque lingua in illis gentibus & provinciis, in quibus olim familiam ducebat? ſatis fuit ante ex Georgio Pachymere oſtendiſſe veteres Zechiæ indigenas ſub Tartarorum irruptionem pedetentim *mores & cum vita uſu linguam* eorum aſciviſſe, ſatis fuit ex Miechovio & Herberſteinio palam feciſſe adhuc eorum ævo & ante duo ſæcula hac regione Ru-

(*a*) Schatzen in Rudimentis Geographicis pag. 547. (*b*) Beyerus Tom. IX. Commentar. Petropolit. in mappa ſua Geographica. (*c*) Miechovius in Sarmatia Aſiana Libro 1. c. 7.

Ruthenicam ſeu Slavicam linguam præcipue fuiſſe dominatam, quæ ſi jam ab eo tempore nonnihil defloruiſſe comperta eſt, at certe penitus non interiit, nam noviſſime hoc ſæculo conſcriptus excuſusque liber de imperio Caſani, Aſtracani & Georgiæ univerſim Circaſſos præter Tartaricum ſermonem paſſim Ruthenici gnaros eſſe docet, (a) & doctiſſimus Peyſſonel Gallus oculatus & auritus teſtis harum regionum in Obſervationibus ſuis Hiſtoricis ſuperiore anno Pariſiis excuſis Circaſſorum a Georgianorum, Turcorum, vicinorumque populorum lingua diſtinguit. (b) Quin imo ſi teſte Timoſthene referente Plinio antiquiſſimis temporibus trecentæ nationes diverſarum linguarum hæc confinia habitarunt, quidni & in hoc gentium numero etiam Slavi fuerint? (c) Recte nempe idem Peyſſonel etiam hodie variarum veterum gentium veſtigia hic supereſſe memorat. (d) LUCIFER.

Ad §. XXIX. & XXX.

I. Enecas me argumentorum tuorum repetitionibus, & tanquam ad equuleum rapis, cum toties ad eandem lyram retrudis. Quidni tandem aliquando ſtridiſſe ſatis eſt? Et quidem Porphyrogeniti de Slavorum Ariſtocratia teſtimonium, in quo argumento facile viginti paginas multo ante perdidiſti, necdum tibi exhauſtum: poſteaquam nempe §. 23. monuiſti Lectorem: ne exiſtimet Monarchicum imperii genus a te Slavis concedi, poſteaquam ſequente §. 24. non modo ſimillimo Procopii loco integram vim omnemque authoritatem ac latitudinem conceſſiſti, ſed ex eo etiam loco Regibus olim inclitos Zecchos veteres Slavicæ eſſe ſtirpis negaſti, & ſumma verborum emphaſi hoc unum veluti diſcrimen inter Slavos, & Tartaros ſtatuiſti, quod illi non *ab uno aliquo homine regerentur, & plebeja communique libertate viverent.* Quis ab Etruria aruſpex conjiciat, quid Lucifer tuus velit, & quorſum ejus vergant conſilia? qui cum prius Slavorum Ariſtocraticum regimen totis capitibus impugnat, negatque, demum illud

Pag. 90.
Pag. 70.
Pag. 72.

(a) Der allerneueſte Staat von Caſan, Aſtracan, Georgien c. 5. N. 9. (b) M. De Peyſſonel Obſervations Hiſtoriques & Geographiques ſur les peuples barbares c. 13. (c) *Reliqua litorum (* nempe *Ponti Euxini) feræ nationes tenent: Melanchlæni, Coraxi urbe Colchorum Dioſcuriade juxta fluvium athemuta nunc deſerta, quondam adeo clara, ut Timoſthenes in eam CCC. nationes, quæ diſſimilibus linguis uterentur, deſcendere prodiderit.* C. Plinius ſecundus l. 6. Hiſt. Nat. c. 5. (d) Obſervations hiſtoriques Geographiques ſur les peuples barbares.

LUCIFER. illud concedit, rurſum hic ad vomitum ſuum redit, & Porphyrogeniti verbis in frigidiſſimos ac violentiſſimos ſenſus detortis ait *Zupanorum ſenum* apud eum proditum nomen pro regulis & Ducibus, quales illi XIV. Boemorum ſub Ludovico Pio baptizati erant, accipiendum eſſe, ſecundo textum Porphyrogeniti *non generice, ſed ſpecifice ſolummodo de Slavis, qui ab initio Conſtantinopolitano Imperatori ſubditi erant,* eſſe ſumendum. Sed pridem culices hos aculeis ſuis infeſtos tenui flabello diſpulimus, cum oſtendimus hoc Slavorum Ariſtocraticum regimen usque ad Francorum nimium quantum viribus auctam potentiam (ut Slavi in tot familiarum capita diſperſi merito nominis ſui interitum metuerent) perduraſſe, cum teſtatum fecimus non modo Porphyrogenitum, ſed Procopium, aliosque veteres de Slavis univerſim loqui. Et qui tandem Slavi illi, *qui ab initio Conſtantinopolitano Imperatori ſubditi erant?* Nunquid Dalmatiæ, Croatiæ, Serviæ, Zachlumitæ, Terbunitæ, Pagani &c, quos ipſe Porphyrogenitus recenſet? hi igitur omnes ab initio a Zupanis ſeu *ſenioribus* populi te ipſo concedente gubernati? An igitur Borga ille ſeu Borgæ pater a te ſupra allatus ſub hoc Ariſtocratico Slavorum iſtorum regimine plena poteſtate Princeps aut Dux eſſe potuit? Ubi memoria? ubi ingenium? ubi conſilium tuum Lucifer? Verum quis nauteam bibere non malit, quam argumenta toties aſciata & reaſciata iterum iterumque cum tædio reaſciare. Innui crebro & repeto: expunge ex hiſtoriis Slavorum Procopium & Porphyrogenitum, quid enim inani ſudore dexteram fatigas in exterorum Slavorum rimandis conſuetudinibus & patriis inſtitutis? Chriſtannum noſtrum dilue, explica, infirma, everte, doce, quæ mens illi fuerit, cum ante Przemyſlum nullum Principem, nullum Rectorem genti noſtræ conceſſit. Sed tanquam baſiliſci obtutum hoc Chriſtanni teſtimonium loco omni fugis, ac ſilentio premis. Noveris autem ficulnea eſſe omnia argumenta tua, niſi Chriſtanno vetuſtiores patrios ſcriptores in medium proferas, ex iisque falſum convincas. Quod niſi præſtiteris, haud aliud fatum tuum erit, quam hoſtis incauti caſtellum obſidentis oppugnantisque, qui ſubinde noctis & tenebrarum beneficio juxta poſitas foſſas, minorisque momenti valla, exturbatis præſidiariis, ingreſſus, ſub ortum ſolem emiſſis e caſtro globorum imbribus ac fulminibus maximo ſuo diſpendio ac ignominia ejicitur. Caſtrum, caſtrum, inquam, cauſæ tibi expugnandum, reliqua ſua ſponte in victrices manus caſura

Pag. 92. & 93.

ſura & deditionem factura ſunt. Sed quid præterea hoc Paragrapho velis, exploremus. Lucifer.

II. Indignabunde lamentaris: Porphyrogenitum a me tam mutilum, adeo capite pedibusque reſectis truncum adductum, ut vel ipſum cor ſauciaverim, nec abſque commiſerationis ſenſu a te ſpectari poſſit; quare lacunam hanc expleturus ejusdem Porphyrogeniti textum tota ſua latitudine recitas, & pro innata ſugillandi virtute ſubjungis: *Verum audeat fortaſſe quiſpiam iſtud, ut veros aut integros ſcriptorum textus adducat, impetrare ab eo ſcriptore, cui propoſitum eſt e conſilio receptæ veritati adverſari?* Hæc quidem non tua Vir Cl. ſed Luciferi tui maledicentia, qui ſcripta mea omni fide deturbaturus etiam auſit dicere mihi *e conſilio propoſitum eſſe receptæ veritati adverſari*, cui hoc unum conſilium eſt hiſtoriam patriam revocare ac reducere ad ſuos veteres puroſque fontes, id eſt a fabulis ad veritatem. Quæ autem hæc impudens criminatio, ut integra capita Porphyrogeniti exſcribam? an propterea infidelitatis culpa vapulem? Quid ſi tu iſtud omni loco præſtitum cupis, non tam citandi, quam exſcribendi erunt integri authores, quod quidem tibi inopia rerum pulſato & operis ſolam molem quærenti per me liceat, mihi materiarum ſegete pene obruto nihil opus eſt ejuſcemodi longis centonibus annales meos ſarcire. Quæ ad propoſitum argumenti ſunt, fideliter ex veteribus excerpo, reliqua huc non ſpectantia, omnium hiſtoricorum recepto more, transmitto. Peſſimo autem conſilio tuo Lucifer! hunc integrum prolixumque Porphyrogeniti textum produxiſti, ipſe enim flammas in tectum tuum injeciſti. Ad Analyſim jam illum revocemus, quandoquidem tam prolixa oratione lectoris oculos fatigare merito refugimus, ſimulque indignam cenſuram tuam excutiamus: 1mo Corripis verba Prodromi mei cum Porphyrogeniti textum his verbis ordior: *Principes hæ gentes non habent.* (a) Et ſubdis: *en Sceleton! . . . cum dicendum erat: Principem hæ gentes (uti integer textus a nobis mox relatus ſonat) "non habent.,,* Quid cum ſtomacho hoc incorruptum juſtumque vocabulum *Principes* culpas, redarguisque? Ubi oculi? ubi ſenſus tui erant, cum hæc ex eadem Porphyrogeniti Veneta, quæ inter Byzantinos ſcriptores excuſa eſt, editione exſcripſiſti? Accede iterum hunc codicem, & vigilantioribus jam utere oculis, lecturus c. 29. idem verbum: *Principes.* Et ne fortaſſis errorem typi obtendas, lege Græcum a dextero latere ad-

Pag. 91.

(a) Prodrom. Annal. Hagec. p. 55.

LUCIFER. Pag. 92. adjectum textum, reperturus ibidem pluralem ἄρχοντας id eſt: *Principes.* Similiter hallucinatio eſt in voce *& Comitanſem*; Porphyrogeniti enim verba ſunt: *Imperator Caſarianum cum Sacerdotibus miſit.* Denique in poſtrema a te prolata Porphyrogeniti oratione etiam verſute truncata ſunt verba: *ex eadem ſtirpe*, ſic enim hoc c. 29. leguntur poſteriora tua: *Ex eo tempore in hodiernum uſque diem Principes ipſis ex eadem ſtirpe, & non aliunde leguntur.* 2do Falſum eſt, quod ais: *In hoc teſtimonio habemus primo Slavos, dum nempe ex Sarmatia Europaea in ulteriora Danubii ſe ſe effuderunt, paruiſſe Romano ſeu Conſtantinopolitano Imperatori.* Nuſquam ſimilia præmiſit, aut alicubi poſterius narravit Porphyrogenitus, nihil ille de Sarmatia Europæa, nihil de illa ex interioribus Slavorum in ulteriora Danubii effuſione. Incunabula Slavorum Dalmatiæ recenſurus, ait eos a Belo-Chrobatis ſeu Magnis Chrobatis, ſcilicet gente noſtra, tum uſque ad Danubium excurrente originem trahere, eos confugiſſe ad Heraclium Imperatorem, ejuſdemque Heraclii juſſu Abares ex Dalmatia ab iis fuiſſe ejectos, quæ verbis Porphyrogeniti in Parte mea II. Annal. Hagec. p. 11. enarrata reperies. 3tio ais: Dalmatas *leges proprias, quibus regerentur, habuiſſe.* Neque ego iſtud impugno Leges hæ autem Slavorum Dalmatiæ pro baſi & fundamento habebant formam reipublicæ Ariſtocraticæ, quemadmodum ceterorum Slavorum, perduraruntque etiam ſub Comitibus ſeu Satrapis tam Græcis, quam Francis uſque ad Baſilii Macedonis imperium, quo tandem Principes proprios veroſque ex ſua gente & ſtirpe eligere cœperunt, ut jam ante docui. 4to Inquis: Dalmatas *Principes ſuos domi natos atque ex ſtirpe, quam maxime amarent, non aliunde legiſſe.* Ita ſane! prorſum aſſentior. Sed quando Dalmatiæ Slavi *Principes hos domi natos* eligere cœperunt? Sæculone V. aut VI. quo Czechus tuus in Boemiam venire potuit? Nunquid Porphyrogenitus id accidiſſe ait ſub Baſilio Macedone, qui inter annos 867. & 886. habenas imperii orientalis geſſit? & qui, ut ex hiſtoria Eccleſiaſtica legere eſt, Bulgaris aliiſque vicinis Slavis Sacerdotes Græcos ſubmiſit? Negavine vero a Caroli M. imperio Slavos ab Ariſtocratico ſuo regimine ad Monarchicum tranſiiſſe? ut jam hic poſterius Boemis aliiſque Slavicis rebuspublicis exemplum in Dalmatis habeas, qui facile 60. annis primum poſt Caroli M. imperium primum Principes ſibi eligere cœperunt. 5to Ais: *Tempore Michaelis Balbi Conſtantinopolitani Imp. hoc eſt inter an. 820. & 829. Romani Imperii habenas, quibus obnoxii erant* (Dalmatæ) *tandem excuſſiſſe.* Iſtud vero ſumme erroneum: Nam eo plane tempore

Dal-

Dalmatæ obnoxii erant Francis, ut qui tum Francorum Clientes habenas Romano Græci imperii excutere potuerint, non videam. Perſtiterunt Slavi Dalmatæ ſub Francorum dominatione a Caroli M. imperio, uſque ad Caroli Craſſi & Arnulphi regimen, ſub quibus tandem Franciçæ tyrannidis pertæſi omnes Francos cum eorum Principe Cotzilim e medio ſuſtulerunt, ac paulo poſt ſe Græcorum imperio rurſum ſubmiſerunt, eâ tamen conditione, ut non amplius a Satrapis Græçorum aut Francorum, quemadmodum alias factum, vexarentur, ſed jam eis liceret Principes ex ſtirpe & gente ſua quos vellent, & amarent, eligere. Profecto anno adhuc 870. Slavos Dalmatiæ clientes fuiſſe Ludovici II. Imperatoris, legitur ex ejus epiſtola ad Baſilium Macedonem data, (a) qua paſſim *Sclavoniam noſtram* & *Sclavenos noſtros* appellat, queriturque ipſos a Græcis domi ſuæ direptos, dum *cum navibus ſuis apud Barim in procinctu communis utilitatis conſiſterent.* Quare & ſatisfactionem petit, & Baſilium de uſurpato *Auguſti* titulo ſarcaſtice pungit, denique ad eum deponendum ſerio monet. Non itaque *Tempore Michaelis Balbi*, ut tu ſumme erronee ſcribis, ſed ſtatim poſt Heraclii mortem Slavi Dalmatiæ jugum Græcorum excuſſerunt, quod clariſſimis verbis docet Porphyrogenitus, tu vero id omne truncaſti, quod opinioni tuæ minus velificare comperiſti, non enim Porphyrogenitus c. 29. a te relato narrationem ſuam orditur a Michaele Balbo, ſed ipſo Heraclio, ut jam verbis ipſius teſtatum faciam: *Ab imperio autem*, inquit, *Heraclii Romanorum Imperatoris, uti cum de Croatis & Serviis agemus, dicturi ſumus, univerſa Dalmatia, nec non finitimæ illi gentes Croatæ, Servii, Zachlumitæ, Terbuniotæ, Canalitæ, Diocletiani, ac Arentani, qui & Pagani nuncupati ſunt, ditioni Romanæ ſe ſubtraxerunt; quippe cum Romanum imperium per imperantium tunc temporis ignaviam atque ſecordiam, maxime Michaelis Amorienſis Balbi tantum non exſpiraſſit &c.* hic jam ſequuntur verba tua e Porphyrogenito hauſta, in quibus ſocordia illa Michaelis Balbi non reſpicit Slavorum Dalmatiæ a ditione Græco Romana ſubtractionem, cum ante Michaelem Balbum Dalmatæ Slavi jam Francis paruerint, ſed totius imperii Græco Romani diſcrimen, in quod iſtius Imperatoris ignavia inductum eſt; aut ſi Dalmatiam tamen reſpicit, valet tantum ad maritimas Dalmatiæ civitates, quæ Michaelis Balbi ſocordia inſuper amiſſæ ſunt, ut hæc Porphyrogeniti verba intelligenda eſſe monet Pagius. (b) 6to Ais: *Quosdam ex ipſis*

LUCIFER.

(a) Apud Martin. Bouquet. T VII. ſcript. Franc. p. 577. (b) Pagius in Critica Baronii ad an. 826. n. 21.

(Dalmatis) *baptizatos jam alias fuiſſe, nempe inter An. 610. & 641. quo vixit Heraclius, imperante jam tunc Croatis Principe Porga nominato, alios baptiſmi gratiam tempore Baſilii, ſeu circa A. 867 deſideraſſe.* Sub Heraclio non omnes Dalmatiæ Slavos Baptiſmi lavacro tinctos fuiſſe ipſi jam in Annalibus noſtris, tum hac Apologia docuimus, ſub Baſilio tandem Macedone converſionem potiſſimorum Slavorum tam Dalmatiæ, quam Pannoniæ Moraviæque accidiſſe ibidem oſtendimus, ſed ſerius hic ſecundus Dalmatarum baptiſmus quam anno 867. evenit, cum mox ſupra oſtenderimus adhuc anno 870. Dalmatas Regibus Francorum fuiſſe obnoxios. Porga vero ille Slavorum Dalmatiæ Princeps, ut jam multo ante probavimus, non amplius fuit, quam Bellidux, aut Satrapa Græcorum, quem Heraclius pro temporum illorum more in Provincia Græcis ſubjecta ordinavit, ad res imperii iſthic curandas providendasque, quemadmodum idem poſtea hic fecerunt Franci conſtitutis Comitibus & Ducibus regionum, cum quorum procuratione interior Reipublicæ Ariſtocraticæ Status integer illæſusque perſtitit, nec enim uſquam legitur Porga hic ab ipſis Slavis Dalmatiæ electus, quin ejusmodi electionis, & Principum Slavicorum libero populi ſuffragio ad ſolium evocatorum initium primum a Baſilii Macedonis imperio repetendum eſſe monet ipſe Porphyrogenitus. Porro quam ejusmodi Satrapæ ſeu Principes a Græcis intruſi grati Slavis fuerint, quodque eorum præcipuum munus fuerit, colligere licet ex ejusdem Porphyrogeniti querela: (a) *Joannes Protoſpatharius*, inquit, . . . *Prætor ad Imperatorem per literas retulit Milengos, & Ezeritas* (Slavos) *defeciſſe, neque aut Prætori, aut Imperiali mandato obedientiam ultra exhibere, ſed quaſi liberi, ac ſui juris eſſent, neque Principem a Prætore accipere, neque cum eo ad bellum proficiſci, aut officium denique ullum fiſcale præſtare velle.*

7mo Alium præterea locum ad probandos adverſus Slavorum Ariſtocratiam Principes ex ejusdem Porphyrogeniti c.22. producis, quo ait: *Sciendum vero, quod Crobatos reliquosque Slavorum Principes Raguſini ſuis navibus in Longobardiam* (nempe ad Barin urbem a Saracenis tentam expugnandam) *transmiſerunt.* Ego prudentia & hiſtoria in concilium vocata quid per hos *Slavorum Principes*, quam *militiæ Principes* intelligam, non invenio, qui enim expugnandis urbibus deſiderantur, milites? an legislatores & Monarchæ? Tum ſi illi Slavorum Principes veri atque depoſito jam regimine Ariſtocratico legitimi, electique fuere a Slavis,

nihil

(a) Conſt. Porphyr. de admin. imp. c. 52.

nihil adverſantur ſententiæ meæ, cum hæc Baris urbis expugnatio anno 870. (a) atque idcirco multo poſt Caroli M. imperium acciderit; vafre vero rurſum Lucifer tuus Chronologicam notam Porphyrogeniti de *Ludovico Franciæ Rege* prætermiſit, ut ſic fucum imperito lectori faceret hanc Principum Slavicorum memoriam ad vetuſtiora tempora pertinere. Ego autem his Principum nominibus, maxime a ſæculo exeunte VIII. minime terreor, quin vel ipſe jam tibi ex Porphyrogenito locum prodam, quo Slavos maritimos quosque poſt excuſſum illud penitus Michaelis Balbi circa annum 826. jugum partim Magiſtratibus partim Regulis paruiſſe docet. Sic vero ille: (b) *Sui juris atque liberi facti, ſuis duntaxat Regulis ac magiſtratibus parebant. Plerique vero, majoris defectionis ſpecimine etiam baptiſmum ejuraverant, ut nullum erga Romanos amicitiæ ac ſubjectionis pignus retinerent.* LUCIFER.

III. Unum hoc paragrapho reſtat diſcutiendum: Sugillas nempe ſententiam meam, quod per *magnam Chrobatiam* Porphyrogeniti Boemiam explicaverim, atque hoc meo telo cauſam meam configere ſperas; quod Chrobatia jam ſæculo ſeptimo ſupremum Principem habuerit. Subjungis enim: *In Chrobatia autem idem Porphyrogenitus ſupremum Principem inter annum* 610. *&* 641. *liquidis verbis teſtatum habet, uti & hic & ſupra §.* 20. *adductus loquitur.* Verum conſulat jam quis verba tua ex Porphyrogenito pag. 92. 93. & §. tuo 20. prolata, ubi hunc ſupremum *Magnæ Chrobatiæ* Principem eſt reperturus? An non hic Conſtantinus Porphyrogenitus de Chrobatis Dalmatiæ finitimis, & qui in Illyricum ſe immiſerant, loquitur? An non loquitur de temporibus ſub Baſilii Macedonis & Ludovici II. imperio? Ne autem dubium hoc aliquantum intricatum prætermiſiſſe videar, enucleandum hic cenſeo; quæſtionemque movendam: num Magna Chrobatia ſeu Boemia inter annum 610. & 641. jam ex mente Porphyrogeniti *ſupremum Ducem* habuerit, ut tu pag. 59. & 94. contendis? Conſtantinus Porphyrogenitus poſtquam Belo - Chrobatorum ſeu Bohemiæ Slavorum in Dalmatiam immigrationem narraſſet, eorumque ſitum explicaſſet, ſubjungit c. 30. *At a Chrobatis, qui in Dalmatiam venerunt, pars quædam ſeceſſit, & Illyricum atque Pannoniam occupavit, habebantque etiam ipſi Principem ſupremum, qui ad Chrobatiæ tantum Principem amicitiæ ergo legationem mittebat.* Nihil hic locus ad Belo-Chrobatos ſeu Boemos ſpectat, Porphyrogenitus enim hic de Chro- Pag. 94.

(a) Pagius in Critica Baronii ad an. 870. N. 31. (b) Porphyrogenitus in Vita Baſilii Macedonis N. 52.

LUCIFER. batis loquitur, qui ſe a Dalmatis ſeparantes in Illyricum & Pannoniam tranſiere, his, non Boemis, dicit fuiſſe *Principem ſupremum*, qui ad Chrobatiæ novæ ſeu Dalmaticæ amicitiæ ergo legationem mittere ſolitus. Nempe habuere a Caroli M. imperio exactisque Hunnis hi Pannoniæ & Illyrici Slavi plures Principes a Francis impoſitos, quorum plures legere eſt in vetuſto authore de Converſione Bojoariorum & Carentanorum, cujus hæc verba ſunt: (a) *Poſtquam ergo Carolus Imp. Hunnis ejectis Epiſcopatus dignitatem Juvavenſis Eccleſiæ rectori commendavit .... cœperunt populi ſive Slavi, ſeu Boiarii inhabitare terram unde illi expulſi ſunt Hunni* (nempe ex Pannonia) *& multiplicari. Tunc primus conſtitutus eſt confinii Comes Gonterannus, II. Werenbarius, III. Albricus, IV. Goteſridus vel Geroldus. Interim vero dum prædicti Comites orientalem procurabant plagam, aliqui Duces habitavere in illis partibus ad jam dictam ſedem pertinentibus, qui* NB. *Comitibus præfatis ſubditi fuere ad ſervitium Imperatoris, quorum nomina ſunt: Prinniblauuga, Cemcias, Hroymar, Etgar*, tum Rathbodum, Privinnam, ultimo filium ejus Chozil ſeu Hezilonem commemorat, qui tandem a Slavis his cum univerſis Francis interemptus eſt. Jam ſi hæc ipſo Porphyrogenito vetuſtioris authoris verba cum Porphyrogenito concilies, conjicere merito licet Chrobatorum illorum Dalmatiæ partem primum ſub Caroli M. imperium atque poſt expulſos ex Pannonia Hunnos illuc conceſſiſſe, qui ſcilicet cum regionem Francorum imperio ſubjectam occupaverint, Comitum Ducumve iſthic a Francis deſignatorum imperium venerari debebant; hi itaque Principes illi ſupremi ſunt, ad quos amicitiæ ergo legationem miſiſſe Chrobatiæ Dalmaticæ Principem Porphyrogenitus ait. Neque vero uſpiam ille vel minimo indicio innuit hunc *ſummum Principem* inter annum 610. & 641. Chrobatis Pannoniæ præfuiſſe, ut tu contendis. Porphyrogenitus enim hoc capite præter Chronologiæ ordinem complectitur promiſcue memorias annorum diverſorum, & ſæculis quatuor imo quinque differentes. Nam mox ſupra nominato de *ſupremo Chrobatiæ Principe* loco præmittit verba de Othonis Magni Regis Franciæ imperio, quem demum ſæculo primum X. floruiſſe conſtat, vocat autem illum *ſupremum Principem*, quia eodem teſte mox laudato Anonymo de Converſione Bojoariorum & Carentanorum jam *Ratbodus Slavus gente terrarum illarum a Francis ordinatus Comes ſeu Dux ſuſcepit defenſionem termini*, ut non præter meritum ſupremi Principis titulum meritus videatur. Cete-

(a) Apud Freherum rer. Boh. p. 18.

Ceterum cum hanc meam *Magna Chrobatia* per Boemiam Moraviamque explicationem ſarcaſtice rides, atque cum cavillo ſubjungis: *Quas quidem paleas alio otio excutiemus*, præmonendum te ducimus, ut tempori oculis tuis de tutamento proſpicias, ne ventus tibi pulverem palearum iſtarum in oculos inſpergat, cœcutientemque reddat. Ego ſane Parte II. Annalium Hagecianorum alibique, rem hanc tam claram expeditamque Lectori tradidi, ut neminem, niſi ſumme refractaria mente, quæ vel veris cedere neſcia eſt, futurum deputem, qui auſurus ſit contravertere Porphyrogenitum per ſuam Belo-ſeu Magnam Chrobatiam Bohemiam intendiſſe. Si tamen hæc vellicandi impugnandique porro contumacia animo tuo inſederit, noveris me interea ferrum chalybemque Cyclopibus traditurum, ut jam procuſa arma invenias, quibus probe retundi poſſis. LUCIFER. Pag. 94.

Atque his Radii tui I. reflexionem primam abſolvimus: orbis eruditi ſententiæ relinquentes, num digni deputemur, *qui tacitis literatorum virorum judiciis verberemur? aut noſtro errore excruciemur?* quemadmodum indigniſſime id Lucifer in nos declamat. An non potius Lector omnis pro ſapientia ſua confeſſurus ſit: a nobis nihil temere, nihil præter veterum documentorum fidem in Annalibus noſtris fuiſſe aſſertum, in hac vero Apologia, ſic omnia adverſarii noſtri argumenta enervata, & radicitus evulſa eſſe, ut poſthac caput erigere non auſura ſint? Miraturus imo ille ſummam Luciferi confidentiam, qui cum integra ſophiſmatum myriade, intempeſto aliena carpendi & calumniandi pruritu, authoritatum veterum ſeu arbitraria interpretatione, ſeu interpolatione, corruptione ac mutilatione, ſeu denique ſubleſtorum quorumque ſubtruſione in arenam adverſus nos deſcendere auſus ſit; agniturus ille nullum verius illo Lipſii effatum eſſe: (a) *Nihil tam probum, quod non vellicare malignitas poſſit.* Quam malignitatem ſi ſuis locis ſubinde verbis aſperioribus accepi, ſi tot injurias mihi intentatas pro merito cum Lucifero expoſtulavi, ſi illas invidiæ odiique flammas hinc atque illinc ſatyrico aceto reſtinxi, veniam dabis Vir Cl. juſtæ meæ animadverſioni, quid enim a te in utroque jure verſatiſſimo, quam æquum juſtumque exſpectem? qui minime ignoras, quanta innocue læſo ſatisfactio competat. Adeo ut non dubitem a te etiam probandam hanc qualem qualem auſteritatem ſtyli mei, cum ipſe ſcias advertasque fabrum illum tuum ac expolitorem præ- Pag. 95. & 115.

ſcrip-

(a) Juſtus Lipſius in Defenſione Poſthuma c. 1.

LUCIFER. ſcriptos ſibi a te modeſtiæ limites omni pagina licentiſſime prætergreſſum, cum ipſe Reverendiſſimo ac Excellentiſſimo D. D. Epiſcopo Litomericenſi (me aliisque Viris gravibus præſentibus) te comiter ſimul & ſerio de temperando ex hujus ſæculi politices legibus ſtylo præmonenti coram ſanctiſſime receperis, a te nihil niſi modeſtiſſimum adverſus me profluxurum.

CON-

Lucifer.

CONFUTATIO
RADII I. REFLEXIONIS II.
§. I. & II.

I.

Nemo non ſuperioribus lectis agniturus eſt Vir Cl. Luciferum tuum ex arena inferiorem receſſiſſe, ſimulata tamen ſtrage argumentorum ſuorum is ovanti ſimilis ad reflexionem ſecundam inter novos tubarum clangores progreditur. Augur vero vanus haud tibi ſum mi Lucifer, aleam hanc multo etiam infelicius priore tibi caſuram. Nam univerſa arma, quæ hac reflexione adverſum me ſtringis, tanquam arundinea aut plumbea ſint, omni impetu, firmitate, atque acie carent, nec aliud pretium habent, quam quod ſplendore quodam & verborum ampullis turgida oſtentent: *Pag. 95. & ſeqq.*

Pyrgopolinicem te unum in terris vivere
Virtute, & fama, & factis invictiſſimis. (a)

Manuſcripta enim omnia, quæque demum in fulcimentum Czehi tui hac Reflexione adducis, & quibus ſententiam meam de veteribus Aſiæ Zecchis penitus deturbatam inſolenter gloriaris, ſeu ſubleſta & commentitia ſunt, ſeu verborum tuorum lenocinio verſutæ antiquitatis fallaci larva induta. Authoritates vero aliæ paſſim ex libris hodie prelo datis deſumptæ tam novæ atque recentes, ut ne unam quidem earum deprehenderim, quæ Dalimili ætatem & ſæculum XIV. ſuperaret. Quæ omnia tam teſtata facient confutationes meæ, ut in rebus adeo perſpicuis nulli poſthac argumentationi quærendæ, aut conjecturæ capiendæ locus futurus ſit. Atque ut ne tibi aut alteri novæ criminationi argumentum ſit, a me aliquid tuorum prætermiſſum, ſingu-

(a) Plautus in Milite Glor. Act. 1. Sc. 1.

LUCIFER. ſingula rurſum ex ordine Paragraphorum tuorum perſequar, ac enervabo. Illi autem inutili teſtimoniorum cumulationi præambula quædam adhuc argumenta, pridem confixa, præmittis, quæ etiamnum excutienda atque elidenda. Et quidem

Pag. 96. II. Nervum quem ſuperiore Reflexione nimio altius intendiſti, jam jam lente remittis. Nam cum ante Czechum tuum omni amplitudine Ducem, & quidem inter Ethnicos noſtros primum tuitus es, eique illam ex Diotogene majeſtatem, & tria Regis ſeu Ducis opera: *Exercitus ducere, jus reddere, & Deos colere*, vendicaſti, jam tibi perinde eſt, ſeu Czechus tuus Dux ſeu Ductor, ſeu Zupanus, Princeps, Bellidux, Imperator, ſive denique Judex audiat, quod quidem legi naturæ conforme eſſe dictitas. Sed verba tua audiamus: *Sententia*, inquis, *Czechum primum Bohemorum Ducem; aut quod nobis moribus antiquis perinde eſt Ductorem, aut Zupanum, aut Principem, aut Belliducem, Imperatorem, ſive denique Judicem ſtatuens legi naturali eſt conformis . . . ſane lex ipſa naturæ, quæ ratio eſt omnium hominum mentibus inſita, quum bonum reſpiciat univerſorum populorum, quatenus homines ſunt ſocietate inter ſe gaudentes; non valet bonum iſtud commune procurare; niſi etiam, ut ſunt, quos regi neceſſe eſt, diſponat quoque, qui regere debeant.* In quorum verborum fulcimentum in margine ad plures Juris Canonici Civilisque textus provocas. Hei mihi! teneor miſer! deprehenſus ſum, quæ me teget orci galea adverſus tam valentes ictus? Temeritati ſane mihi ſtultitiæque ſit maximæ legi naturæ totque venerandis Juris Canonici Civilisque legibus obſtrepere. Quin imo an non merito Lucifero tuo id Plauti ingeram: *Elephanti corio circumtentus eſt, non ſuo, neque plus ſapientiæ habet, quam lapis.* Nam ſi etiam naturæ legi conforme concedam ſocietati humanæ expedire rectorem & Principem, quis tam Æſopicus Gallus, ut hiſtoriam, mores, & geſta peculiaria gentium præſertim barbararum ad legem naturæ, Canonicas, Civilesque leges exigat, atque ex earum principiis facta quæque ſingularia gentium refellat, negetque? An nulla unquam gens legibus naturæ difformes conſuetudines habuit, aut adverſus illas quidquam admiſit? Næ ſi tu omnia, quæ adverſus leges naturæ a gentibus Ethnicis acta ſunt, minus vera, falſaque depures, næ inquam plurima ex hiſtoria tam eccleſiaſtica, quam profana tibi expungenda ſunt, & immenſæ in utramque lacunæ inducendæ. Quanta porro, ne quid aculeatius dicam, incogitantia! Jus civile atque Canonicum ethnicis Slavorum moribus tanquam graculo fides accommodare? In quo vero Jure Naturæ legiſti

Lu-

Lucifer, ut *neceſſe ſit, qui regi, & regere debeant?* ſi vel prima Juris naturæ capita inſpexiſſes, legiſſes oppido omnes pari conditione ac libertate natos, quin juri naturæ eſſe conformiſſimum, ut eadem conditio & libertas cuique homini integra infractaque perpetuo perſiſtat. Te igitur primo poſt homines natos Juris Naturæ Magiſtro ac Doctore Juri Naturæ adverſum eſt: non ab uno aliquo homine regi? res omnes, quæ vel utiles vel difficiles ſunt, in commune conſilium deducere? nullum Principem pati? nonniſi a ſenioribus populi regi? aut plane plebeja communique libertate vivere, ut inquit Procopius? Ubi igitur Democratico, Ariſtocraticoque regimini in orbe locus erit? An non Athenæ, an non Roma ſub populari regimine maxima felicitate ſummisque reipublicæ incrementis uſæ? Totus igitur orbis olim hodieque Monarchico regimini paruit? Quid ait Porphyrogenitus de populis pedetentim Græcæ Romanæque Reipublicæ ſubjectis: (a) *Alii quidem populi Democraticæ, alii regiæ adminiſtrationi ſubjecti fuere?* Quid Appianus Alexandrinus: (b) *Peones nullas urbes habent, agros duntaxat & villas per cognationes poſſident. Neque judicia communia illis adſunt, neque Principes, qui cæteris præſint. Ipſi centum millia virorum ætate ad bellum integra utique habebant, verum imperio carentes minime in unum congregabant.* Quid de omnibus Ponti Euxini & Mæotydis accolis Flavius Joſephus: (c) *Apud quas nimirum olim neque domeſticus aliquis Dominus noſcebatur.* Quid de Achæis Polybius: *conati rempublicam Democratico more adminiſtrare.* (d) An itaque hodie etiam Helvetæ Juri naturæ adverſantur, cum populari imperio utuntur? Quodſi autem Czechum tuum a Ducis majeſtate ad Zupani judicisque officium demittis, eumne unum ſolumque univerſæ præfuiſſe Boemiæ auſis affirmare, poſteaquam Porphyrogenitus cuique Reipublicæ Slavicæ plures ejusmodi *Zupanos ſenes* concedit, & Theophanes *tribuum & familiarum capita* appellat? qui factum, ut ab eo uno inter æmulos paris juris conditionisque tam vaſta regio nomen ſuum mutuaverit? Si belliducem ſolum aut ductorem coloniæ ſtatuis, oſtendendum, qui ſuffecerit tam potentem Marcomannorum populum terris exigere; docendum, unde, & quo tempore venerit, conciliandæ veterum hiſtoriæ, removendum quidquid opinioni tuæ adverſum opponi poteſt, enervandus cumprimis Jornandes, qui Slavos univerſim non a Lucifer.

(a) Conſtant. Porphyrog. de Thematibus l. 1. (b) Appian. Alexand. in libro hiſt. qui Illyricus inſcribitur. (c) Flav. Joſephus l. 2. de bello Judaico c. 16. (d) Polybius Megapolit. l. 2. hiſt. §. 13.

LUCIFER. quibusdam Ducibus, judicibus, aut coloniarum ductoribus, ſed locis & familiis nomen accepiſſe claris verbis teſtatur; de Viſtulæ fluminis confiniis enim loquens, inquit: (a) *Introrſus* (in Scythia prima) *illi Dacia eſt ad coronæ ſpeciem arduis alpibus emineт, juxta quorum ſiniſtrum Latus quod in Aquilonem vergit, & ab ortu Viſtulæ per immania ſpatia venit, Winidarum natio populoſa conſedit, quorum nomina licet nunc per varias familias & loca mutentur, principaliter tamen Sclavini & Antes appellantur.* Hæc præ Jure tuo naturali, præ Canonum Codicisque placitis tibi adſtruenda corroborandaque erant. Sed

Aliud eſt loqui multa, aliud id loqui quod expedit.

Ad §. III. & IV.

Pag. 97. I. Cum multa de imperandi neceſſitate, æquitate, commodis, atque decore ſuperiore paragrapho pompatice pronunciaſti, jam Slavos ais *ab illa univerſarum gentium, confuſis ad turrim Babel linguis, migratione regali regimine ſeu Monarchia addictius longis ſæculis regnatos* (Vah doleo ſortem tuam Priſciane!) *fuiſſe pronum eſt conjicere.* Sed unde id pronum eſt conjicere? Luciferne tuus diphteram Jovis inſpexit, ut, quæ ante millenaria annorum geſta ſunt, ſciat, præſertim cum nemo hactenus certum prodiderit, ſub quo nomine aut populo a turris illius Babel confuſione Slavi latuerint, aut quas orbis plagas tenuerint? Veroſimillime Lucifer tuus ea Plautini vernulæ ſcientia præditus eſt: *Quod quisque in animo habet, aut habiturus eſt, hic ſcit, quid in aurem rex reginæ dixerit, ſcit, quid Juno fabulata eſt cum Jove, quæ neque futura, neque facta ſunt, tamen ille ſcit.* Quid igitur Procopius tam gravis author impoſuitne poſteritati, cum Slavos *ab antiquo plebeja libertate omnia in commune conſilium contuliſſe* ſcribit? quibus vocibus *ab antiquo* quid aliud innuere voluit, quam ab *hominum memoria?* ab eo tempore, quo gentis hujus nomen resque prodiræ? Nunquid Lucifer hac antiquitate & hominum memoria vetuſtiorem penitioremque cognitionem habes? *Itane tu ille es* (verbis Lipſii adverſus Dialogiſtam mihi uti liceat) *qui cenſuram nobis ſine ſuffragio geris?* State firmæ non modo nationes Slavicæ, ſed omnes cæteræ gentes hoc tubicine & fulcro, habeteque illum tanquam teſtem a tabulis Jovis, qui primus omnium vobis detexit ſtatim

(a) Jornandes de rebus Geticis c. 5.

tim ab ipſa linguarum confuſione populos omnes Monarchico imperio fuiſſe addictos, Regesque tuliſſe. Quid vero tu omniſcie Lucifer non erudiiſti ſciendi cupidum orbem, eamque hiſtoriæ a condito orbe lacunam expleſti, ut docuiſſes, qui gentium illarum Principes, & Duces poſt confuſionem Babylonicam primi fuerint? An igitur Hebræus populus horum omnium nominatiſſimus etiam Reges habuit, Monarchicoque addictus fuit regimini? Lege gentium incunabula, & eas paſſim ab infimo Democraticoque imperio auſpicatas intelliges, talis erat forma (ut communis hiſtoricorum eſt perſuaſio) filiorum & poſterorum Japheti, qui Europam, talis Chami, qui Africam, Syriam & Arabiam, talis Semi, qui Aſiam incoluiſſe perhibentur, talis Hebræorum, talis poſterius Græcorum, & ipſorum Romanorum. Quid vero hac tua quatuor paragraphorum longa lacinia aliud quæris, aliud intendis quam Monarchiam, Reges & Principes ipſis populis pene eſſe priores ac antiquiores? Nusquam legiſti Balbinum, qua verborum acrimonia acceperit Goldaſtum ſimillime prope argumentantem, & quo calculo hanc Balbini ſententiam probaverit Schminkius? (a) Vis verba ipſa Balbini? hem habe verbis cujusdam Anonymi declam. 6. loquentem: (b) *Exanguis, informis, clauda, & malefulta probatio:* „ *Libertas non hominum ſolum ſed ferarum volucrumque ſenſibus fixa* (ait ille) *& ingenita primum ſpolium fuit. Et alius* (nempe Quintilianus Inſtit. l. 3. c. 19.) *Liberos natura omnes genuit: Quomodo igitur antiquior Principatus? Monarchia, fateor, Democratia melior, ſed non prior. Reſpublica non eſt propter Principem, ſed Princeps propter Rempublicam. Vide, quæ de regno ad Arcadium ſcripſit ſanctus æque ac doctus Antiſtes Syneſius, quæque alii magiſtri Politicorum docuerunt.* Hactenus Balbinus noſter adverſus Goldaſtum. LUCIFER.

II. Porro ut tuæ de veterum Slavorum Monarchia elumbi opinioni aliquod firmamentum adſtruxiſſe videreris, ſuſpicaris illa apud ſeptentrionales Slavos culta Vitislai ſeu Suanteviti, & Radegaſti idola haud aliunde habere originem, quam quod uterque hic, poſtea Deus, olim Rex fuerit, qui populos Slavorum in unam civitatem coegerit, hocque merito inter Slavorum Deaſtros relatus ſit. Verum unde hujus conjecturæ Vir Cl. ducis principium? Ex Weleslavino, inquis, & Stredovskio: authoribus tam novis tam recentibus, quam hodie excluſi pulli eſſe ſolent. Quis autem tibi, non ajo nomen, ſed vel um- Pag. 100.

(a) Schminkius in Goldaſt. l. 6. c. 3. (b) Balbin. Dec. 1. l. 3. c. 22. §. 4.

LUCIFER. bram Critici concedat, ut poſteaquam pagina 100. veram integramque idoli Suanteviti hiſtoriam ex Helmoldo aurito, oculatoque terrarum iſtarum teſte retuliſſes, tamen nugis illis commentisque Weleslavini (qui Suantevitum hunc jam anno 106. Soraborum Regem fuiſſe venditat) majorem fidem tribuendam exiſtimaveris? Itane Weleslavinus in rebus his tot ſæculis remotis pari tibi authoritate ac fide imo majori eſt quam Helmoldus? Quis vetuſtior Weleslavino unquam docuit Suantevitum hunc ſeu Vitoslaum Regem aliquem fuiſſe? ubi ſæculo II. Sorabi in his regionum confiniis? Verum hoc ubivis mirum ac ſingulare palatum tuum, ut præ vetere & defæcato vino muſti fermenta appetat. Simile inſulſum commentum eſt de Radegaſti Rhedariorum Slavorum idolo, cujus principium Stredovskius cum aliis nonnullis a Radegaiſo nominato in hiſtoria utraque Rege repetunt, quemque illi corrupto nomine paſſim Radegaſtum vocant. Radegaiſus non fuit Slavorum ſed Vandalorum Rex, ut ex Chronico Marcellini, M. Aurelii Caſſiodori, & Zoſymo legere eſt. Helmoldus creberrime hujus idoli meminit, nec tamen uſpiam id originem ſuam ab hoc Radegaiſo aut alio Rege trahere docet. Quin indubitatum eſt nomen hujus idoli non aliunde profluere quam ex etymo Slavico, Rade Gaſt, nempe *oraculi luco*. Rade enim Slavis *conſilium & oraculum*, Gaſt & Goſt, *lucum* connotabat, (*a*) ut itaque Rade Gaſt, nihil aliud ſit quam *conſilii ſeu oraculi lucus*, in quo nempe a Slavis reſponſa petebantur, ut ipſe Helmoldus l. 1. c. 2. & 21. teſtatur, & a quo demum ipſum idolum eo in loco cultum nomen invenit. Nam de luco hoc ſeu venerabili ſilva fidem nobis facit Ditmarus l. 6. dum ſcribit: *Urbem Radegaſti undique ſylva ab incolis intacta & venerabilis circumdat magna.* Et paulo infra: *Hanc ad bellum properantes ſalutant, id eſt conſulunt Deum urbis de bello prudenter ſuſcipiendo & gerendo, conficiendoque proſpere.* Huc accedit, quod nuſpiam legatur Slavis in more fuiſſe, ut homines in Deorum numerum aſſumerent, quin contrarium prorſus docet Helmoldus, qui ab uno illo Deo, quem in cœlis colebant, ceteros omnes Deos originem trahere, atque ex illius ſanguine procedere perhibet his verbis: (*b*) *Non diffitentur Slavi unum Deum in cœlis ceteris imperitantem, illum præpotentem cœleſtia tantum curare ajunt, hos vero* (nempe minores) *diſtributis officiis obſequentes de ſanguine ejus proceſſiſſe, & unumquem-*

que

(*a*) Abraham Frencelius de Diis Soraborum Sect. 2. c. 2. §. 7. p. 125. 126 noſtris Dalmatisque poſterius dictum guſt, unde hodiernum noſtrum huſtý denſum, ſpiſſum, huſtyna tesqua, ſpiſſa ſilva. (*b*) Helmoldus l. 1. c. 73.

quē eo præſtantiorem, quo proximiorem illi Deo Deorum. Sapientiſſime Lucifer.
itaque ex his argumentatur Abrahamus Frencelius: (a) *Cum itaque Radagaiſus,* inquit, *homo fuerit, & non de ſanguine Deorum; fieri non potuit, ut in Deum eveheretur. Denique nuſquam in hiſtoria occurrit, quod Slavi Deos Germanorum, quales Priſci Vandali fuere, in numerum ſuorum Deorum ſuſceperint, quippe quod Germanos resque eorum odio plusquam Vatiniano, & cane pejus ac angue averſarentur; ea de cauſa nec Radagaiſus Teuto a Slavis pro Deo habitus eſt: nec etiam haberi potuit, quia ab ipſiſmet Vandalis hoc eſt Teutonibus pro numine agnitus cultusque non fuit. Proinde ſimilitudo nominum Radegaiſi & Radegaſti errorem omnem peperit, quo Radegaſt idolum a Radegaiſo ortum trahere dicitur.* Hem mi Lucifer! quantum inter lucigerulum & Criticum interſit? & quantum tibi adhuc ex critices legibus diſcendum reſtet? Auctor tibi ſum; veteres hiſtoricos, & fontes adi, ex illis hiſtoricam veritatem hauri, ex illis recentiores corrige & emenda, non veteres ex recentioribus.

Ad §. V.

I. Tandem, quod nemini non admirationi ſit, Slavos ab imperioſo illo Monarchicoque ſupercilio ad Democratici Ariſtocraticive regiminis ignobilitatem demittis. Verum dum argumentum iſtud Pythagorica quadam gravitate pertractas, rurſum tam novam omnibusque hiſtoricis incognitam ſententiam (ſive tempus, ſive rem ipſam ſpectes) procudis, ut vadem me tibi præbere liceat, tecum commorituram, nec ullum unquam hujus paradoxi aſſeclam & ſectatorem habiturum, quemadmodum neminem tibi præeuntem habuiſti. Sed verbis tuis quamquam longioribus rem ipſam dare libet, ut narrationis monſtra primo ſtatim obtutu detegantur, eaque felicius faciliusque profligandi locus & campus nobis ſit. Ais itaque: *Poſteaquam labentibus ſæculorum curriculis in eam multitudinem gentes Slavorum fuiſſent multiplicatæ, quæ occupando illi vaſtiſſimo terrarum ſpatio, quod priſci Sarmatias dixere, par eſſet, in diverſas tribus diſpeſci, atque ita monarchicum regimen Ariſtocratia temperare eos oportebat ad inſtar tribuum Iſraeliticarum . . . quod quidem inter Slavos bonum felixque fuit uſque ad annum, quantum conſtat a nato Salvatore 334. Hic dum Gothorum validiſſima gente acri bello diu multumque fatigarentur, nec ſpes adeſſet victoriæ, coacti ſunt ſervos ſuos ad arma* Pag. 101.

 ciere,

(a) Abraham Frencelius de Diis Soraborum Sect. 2. c. 2. §. 6.

LUCIFER. *eiere, eorumque in profligando Gothos uti opera, & tunc quidem Gothos feliciter vicerunt, ſed non multo poſt a propriis ſervis victoriam Gothicam in arrogantiam & rebellionem vertentibus, victi, patriisque ſedibus extruſi ad vicinorum Romanorum opem confugere, auxiliumque adverſus ingratos ſervos implorare coacti ſunt, ex quo auſpicia ſua cœpit Democratia ſeu populare regimen Slavorum, non tamen diuturnum eſſe potuit. Romani enim Slavorum a perduellibus ſervis male habitorum miſeratione commoti, arreptis in belli ſocietatem, ad quos ſe receperant Slavi, Victofalis, triplici agmine in terram ſervorum iſtorum irrupere, eosque obſtinate reſiſtentes, ac tandem gravi cæde fractos ad obſequium veterum dominorum ſuorum reduxerunt, quo autem dominos inter & ſervos animorum concordia firmior evaderet, ad electionem Regis proceſſum eſt, fuitque electus Zizais, qui jam antea eorum regalis, ſeu optimatum Princeps erat, ſicque rurſus Monarchia Ariſtocratia temperata a Slavis fuit reſtituta.* Hem ex ipſo Delphico tripode hiſtoriam! an non orbis hiſtoricus obſtupeſcat tanta oraculorum portenta? Quantam non ſummi arcani myſteriique rem hactenus ignorantiæ tenebris conſepultam in lucem produxiſti, cum tandem Ariſtocratiæ & Democratiæ apud Slavos cœptæ, ac pene momento temporis rurſum in Monarchiam delapſæ veram epocham annumque 334. detexiſti. Nemini quam tibi eam hiſtoriæ lucem debebit orbis eruditus, quæ eo majori omnium admiratione digna, quod eo, de quo agis ſæculo IV. ne quidem Slavorum nomen ulli cognitum fuerit, hodieque inter literatos omnes varium bellum ſit, ſub quonam tum gentium nomine Slavi latuerint. Unde vero mi Lucifer hic tibi cœleſtis divinusque adflatus, ut ſcias Sarmatas hos (de quibus prope ſimilia narrat Ammianus Marcellinus, & ex cujus apud Jordanum excerptis hæc fere hauſiſti) fuiſſe Slavos, aut ſaltem potiſſimam horum Sarmatarum partem? Auſusne Jordanus (qui in his Sarmatis Slavicæ genti vindicandis totus eſt) ipſos remota omni dubitatione Slavos pronunciare? quid igitur P. 1. c. 6. § 22. p. 16. de his ipſis Sarmatis ait? *Cujus gentis*, inquit, *ſpecificæ & linguæ Sarmatæ illi fuerint, nec ex Tacito, nec Ptolemæo, nec Ammiano liquet. Aſt cum populi totius Scythiæ ſeu Sarmatiæ Europeæ potiſſima ex parte ut latius c. 14. dicetur Germanicæ fuerint originis, æque idem de Sarmatis his, & multo magis, quoniam Quados pro ſuperioribus* (nempe Regibus) *agnoſcebant, dicendum eſt:* Redi ad §. ubi viſurus unico vocabuli Marha Slavici æque ac Teutonici indicio Jordanum hos Sarmatas Slavos feciſſe, cogniturus eos veroſimilius Marcomannorum quandam coloniam fuiſſe, cumprimis quod ipſe Ammianus Marcellinus illos Quadis armatura & moribus.

bus ſimiles dictitet. (a) Imo certum ſit primum poſt Conſtancii II. imperium Hunnos adjunctis ſibi Slavis in has Pannoniæ transdanubianæ plagas immigraſſe. (b) Recte itaque ſcribit Jordanus, quem utinam uti in aliis ubivis exſcripſiſti, in his quoque audiiſſes: (c) *Sarmatarum nomen non ſolos*, inquit, *Slavos comprehendit, nec Græcæ vel Slavicæ ſed Celticæ eſt derivationis, populos in latis campis ſeu locis campeſtribus inter montana Scytharum habitacula mediis degentes connotat, idque contra - diſtinguendo Sarmatas proprios a Scythis propriis: namque laxe ſumpta hac nomina pluribus ſcriptoribus Synonima ſunt.* Verum LUCIFER.

II. Nihil magis ambio, quam me clementem a te prædicari, ut clementiam tuam ſimillimo officio penſaſſe videar: Itaque ſit: Sarmatas hos limigantes, de quibus loqueris, fuiſſe Slavos gente ac lingua, quod tu inde Ariſtocratiæ, Democratiæque inter Slavos cœptæ, aut paulo poſt denuo collapſæ argumentum es exſculpturus? Slaviſne his limigantibus comprehenſa fuit Slavorum univerſitas, ut ex iſtorum ſolorum facto ſeu rectius fatis univerſorum Slavorum formam regiminis metiaris? itane quia hi variam reipublicæ viciſſitudinem ſub Conſtantio experti, viciſſitudo hæc ad Slavos omnes terris diſſitiſſimos ſpectabat? Quid Ruſſi ſeu Roxolani a Tanai per immenſa terrarum ſpatia in Aquilonem diffuſi? quid Bulgari veteres ad Wolgam fluvium? quid Slavi ad Paludem Mæotydis & Pontum Euxinum? illine omnes Sarmatarum limigantium nomine a Marcellino intellecti, ut tam confidenter ex horum ſolorum reipublicæ mutatione audeas univerſo Slavorum generi certam Ariſtocratiæ, Democratiæque epocham defigere? Nusquam legiſti in Dialectica tua, quam ad hiſtoriam ſcribendam tam neceſſariam pluribus locis prædicas: Vitium eſſe dialecticæ, ſi quod in hypotheſi dictum ad theſim & communem aliquem locum referre, malamque a partibus ſeorſim ſumptis ad totum, & a particulari ad univerſale argumentationem eſſe? Ignoſce enim vero Vir Cl. quod auſim dicere, ſeu Marcellinum a te non ea attentione, qua decuit, lectum, ſeu te illius mentem minime aſſecutum: ſi enim omnem eam Marcellini narrationem de Sarmatis limigantibus (qui primum ſervos ſuos in Gothos armarant, ac poſtea eorundem ſervorum in

(a) *Ammian. Marcellinus l.* 17. Auguſto inter hæc quieſcenti per hiemem apud Sirmium, indicabant nuntii graves & crebri permixtos Sarmatas & Quados vicinitate & ſimilitudine morum armaturæque concordes Pannoniam Mœſiarumque alteram cuneis incurſare diſperſis. (b) Ammian. Marcell. l. 31. (c) Jordan, Orig. Slav. P. 1. c. 12. §. 4.

LUCIFER. in ſe converſis armis, avitis ſuis ſedibus expulſi ſunt) a capite ad calcem meditate per omnes partes volvas, evolvasque, ne quidem ſcintillam alicujus Ariſtocratici regiminis excutias. Nam Marcellinus omnibus locis de bello inter Sarmatas *dominos* (quos aliter *ingenuos* ac *liberos* vocat) ac inter *ſervos* eorumque mancipia exorto loquitur. Hos *dominos*, ſeu rectius patresfamilias narrat a propriis ſervis victos, patriis ſedibus exutos apud Conſtantium præſidium, & novarum terrarum incolatum impetraſſe. Quorum *dominorum*, ſeu *liberorum* ac *ingenuorum* nomine cum tu *Principes* ſeu Zupanos Slavorum, atque idcirco Ariſtocratiæ principium intellexiſti, tantum hallucinatus es, ut qui maxime; nihil enim niſi patresfamilias, eorumque cognatos & liberos intendit Marcellinus. Quis enim prudens ſibi perſuadeat tam immenſum Principum in hac gente fuiſſe numerum, ut trecenta millia hominum, quemadmodum ſcribit Marcellinus, æquaret? Quod alterum eſt, & multo etiam magis ſuperiore latus tuum ferit, eſt, quod ſcribat Marcellinus: eodem tempore, quo ſe ſe *ſervi* & mancipia adverſus Dominos ſuos in libertatem vindicarunt, ſciſſam fuiſſe Daciæ Sarmaticam rempublicam, adeo ut *ſervi* juris ſui perſiſterent, ſuoque Marte Romanis bellum intentarent, contra *domini* ſeu *Sarmatæ exules & liberi* partes Romanorum amplecterentur, illi Democratica quadam forma ſub plebejo regimine uterentur, iſti accepto Rege Zizai Monarchicum regimen auſpicati viderentur. Qui igitur tibi in mentem venire potuit, ut ex hac ſciſſa Sarmatarum republica, eoque puncto temporis, quo apud unam factionem ſpecies quædam Democratiæ, apud alteram ſpecies Monarchiæ erat, certam cœptæ aut everſæ apud Slavos Monarchiæ epocham eliceres? Tum quantillum temporis ſpatium huic novæ reipublicæ formæ deſtinabis, cum certum ſit unius alteriusve anni ſpatio univerſum id geſtum? In eo etiam maxime falſus, cum ſcribis ſervos *tandem gravi cæde fractos ad obſequium veterum dominorum ſuorum reductos, concorditer poſtea ad delectionem Zizais fuiſſe progreſſos.* De ea

Pag. 102. re enim ne verbo quidem meminit Marcellinus, quin ſolis dominis & liberis Zizaim Regem datum fuiſſe memorat, qui ne ipſe quidem diu ab illis toleratus, cum paulo poſt ſervis arma rurſum in Romanos vertentibus, eisdem ſe junxerint, perſtante Zizai in fide erga Romanos, ac propterea procul dubio in exilium acto. Male igitur hos Jordani centones conſuiſti, ipſum Marcellinum in fontibus legere oportuit atque ex ipſius libris, non fragmentis apud Jordanum inciſim repertis, judicium de Sarmatis his ferre. Si plura hanc in rem

cupis

cupis, adi ſuperiorem locum, ubi de hoc Zizai locupletius tractavi, & cogniturus ab ipſo Jordano ne Regem quidem agnitum, (a) prius autem *regalem* id eſt Regis filium ſeu cognatum, non ut tu minus perite *Optimatum Principem* vocas, fuiſſe. Illud poſtremo ex te quærere liceat, ſi cum Zizai ſæculo ineunte quarto jam rurſum cœpit Monarchicum inter Slavos regimen, qui Procopius, qui ſæculo VI. floruit, adhuc ævo ſuo Slavis Democraticum regimen concedere potuit, aut dicere illos *ab antiquo* hanc plebejam libertatem tueri? ſentisne tandem te incidiſſe in pedicas, e quibus te nulla effugia, nulla verſutia eripere poſſint? Sed quid Oreſti pallium texo, multo ante oſtendi luculenter, nihil minus ferri poſſe, quam ut hi Sarmatæ Slavi gente fuiſſe credantur. Lucifer. Pag. 103.

Ad §. VI.

I. Mira materiarum argumentorumque tuorum connexio! poſteaquam ſuperiore paragrapho oſtendiſſes Slavos ſæculo IV. ab Ariſtocratico ad Democraticum, a Democratico rurſum ad Monarchicum imperium rediiſſe, ejusque viciſſitudinis primum illum umbraticum Sarmatarum Regem Zizaim teſtem produxiſſes, jam dicis etiam Boemiam noſtram Ducibus & Principibus quibusque fuiſſe inclytam, quorum e numero ſint Sigoveſus ille Bojus, tum formidabiles illi Marcomannorum Quadorumque Reges vel a me ipſo allati & probati. Me hercle! juſta rerum conſecutio! quidni igitur Sigoveſus, illique Marcomannorum & Quadorum Reges e domo & ſtirpe Slavicæ fuere reipublicæ? ſed utinam tu vel unum Czecho tuo teſtem ex prima antiquitate adduxiſſes, quot quantosque ego ad Sigoveſum, ad Marcomannorum Quadorumque Reges in hiſtoria tuendos in Prodromo meo attuli, næ tu controverſiam adverſus me motam tribus verbis, præ farragine illa, abſolvere potuiſſes. Ab his tranſis ad primorum Slavorum Boemiæ heroicam animi fortitudinem, & explicato patriæ noſtræ a montium quadam catena Silvarumque ambitu inexpugnabili ſitu ſubjungis: *Acerrimam itaque gentem noſtram oportuit fuiſſe, laborisque duriſſimi tolerantem, quæ non duntaxat cor ipſum veteris Germaniæ aggredi, ac ex ipſo invictæ Germaniæ corpore evellere auſa fuerit.* Et hoc quidem veteris Germaniæ cor, hanc montium catena Silvarumque ambitu, & po- Pag. 103. Pag. 104. & 105.

(a) Jordan. orig. Slav. P. I. c. II. §. 24. p. 35.

LUDOVER. puli Marcomannici immenſa multitudine ſecuram regionem ex ipſo invicto Germaniæ corpore evellere auſus profugus Czechus tuus *cum ſexcentis* non ultra *capitibus*, ut numerum iſtum prodit Hagecius in Proœmio ſuo. Quid ais? credisne *ſexcenta capita* paria fuiſſe, ut formidabiles illos mox a te commemoratos Marcomannorum Quadorumque Reges ex his præruptis acceſſuque arduis latibulis proturbare potuerint? exſpecto, quid reſpondeas, & quo acumine hanc difficultatem expungas? ſubjiciam aliquid, nam laboras, ſcio, nec enim tam exilis numerus ipſi tibi probari poteſt, præcipue cum neſcias Hagecium ob id ipſum a Cromero aliisque non mediocriter jam olim traductum. Quid igitur? multo majorem numerum in Czechi tui comitatu, eumque ab armis machinisque bellicis optime inſtructum fuiſſe tacite mihi innuis. Sed heus cave Hagecium tuum corrigas, atque vel unum ſexcentis ejus capitibus adjicias, author eſt, ut propugnas: *privilegio munitus ab invictiſſimo Romanorum Imperatore Ferdinando I., probatus ab inclytis Regni Ordinibus, ſcriptor pragmaticus, lege publica receptus*, atque ut pluribus locis innuere videris, falli neſcius, cujus verbis & fidei aliquid derogare ipſo piaculo majus eſt. Verum admodum ſciendi cupidus ſum, quot tu tandem capita Czecho tuo conceſſurus ſis, quæ ſuffecerint ad binum populum tam potentem avitis ſuis ſedibus proturbandum? Ego vero auſim dicere, ſi Czechus tuus omnem Dalmatiam, atque eam, quæ poſterius dicta Croatia eſt, ſecum rapuiſſet, vix parem futurum fuiſſe Marcomannis, Quadis, ceterisque Germanis iſthic populis exturbandis. Nusquam legiſti ex Tacito, Vellejo Paterculo aliisque vaſtiſſimos Marcomannorum, Quadorumque fines ab ipſis pene Danubii fontibus ad Daciam usque protenſos? *Eaque* (inquit Tacitus (a)) *Germaniæ velut frons eſt, quatenus Danubio protenditur.* Nunquam regum illorum metuendam potentiam, quibus magis formidandos nusquam habuit Romanum imperium audiiſti? quid de Maroboduo Marcomannorum Rege apud ſenatum diſſeruit Tiberius? (b) *Non Philippum Athenienſibus, non Pyrrhum, aut Antiochum populo Romano perinde fuiſſe metuendos.* Quid ii usque ad Hunnorum irruptionem perpetuo leguntur bellis Romanis inclyti, adeo ut latini ſcriptores querantur nunquam Marcomanniam Quadiamque in provinciam redigi potuiſſe. Igitur Czechus cum ſexcentis illis capitibus ſuis tam formidabilis viſus huic utrique genti, ut quam quatuor ſæculorum curſu immenſisque

que

(a) Tacitus de moribus Germ. ſect. 42. (b) Idem Annal. l. 2. ſect. 63.

que exercitibus Romanorum potentia frangere non potuit, ille ſolo ſuo obtutu fugaverit, profligaveritque? Quod portentum naturæ effinges Czechum tuum, ut Marcomanni Quadique leoninos ſuos animos tam ſubito in damarum, leporumque timiditatem converterint, & avitas ſuas ſedes tam florentes, tam illuſtres, tot ſæculis tentas puſillo hominum ceſſerint? Alio Vir Cl. alio Hercule opus fuit ad hydram hanc debellandam, alio Antæo ad gentem hanc humi allidendam: Attila nempe illo Europæ domitore, cui utrumque imperium orientis atque occidentis vectigal erat, cui cum immenſo ſexcentorum millium, ut coævi produnt, exercitu venienti, nihil inacceſſum, nihil impervium eſſe potuit, huic Marcomanni Quadique, qui Jornandi Scytharum, & Scythiæ nomine veniunt, cedere coacti, hine eum eo titulo nobilitat: *Hunnorum omnium dominus, & pene totius Scythiæ gentium ſolus in mundo regnator.* (a) Hic Hunnis Slavisque ſilvoſos illos ac impervios in Boemiam acceſſus aperuit, hic Germaniæ, non quidem *cor*, ut tu ſcribis, ſed *frontem*, ut Tacitus appellat, eripuit, maxime eo permotus, quod jam ante ſub Rova Hunnorum Rege ſuo Præceſſore, ut narrat Priſcus in excerptis legationum, ad Romanorum partes acceſſerint, cauſamque communem cum illis adverſus ingruentem Hunnici imperii tyrannidem fecerint. Lucifer.

II. Unum corollarii inſtar hic adjiciendum: In ſcholiis hujus Paragraphi profers duplex fragmentum orationis meæ, alterum ex Parte mea II. Annalium Hagecianorum pag. 23, quo ſuſpicor tenues illas traditionis reliquias de *Boemo* a Coſma prolato, veroſimilius ad Bojum Sigoveſum, qui primus Hercyniam ſilvam occupavit, referendas eſſe. Alterum ex Prodromo meo pag. 53. quo dico: Coſmam vix quidem notitiam habuiſſe de Bojis Bojemisque a Livio, Tacito, Vellejo Paterculo, Plinio, Strabone relatis. Quas duas orationes velut ſumme contradictorias Lucifer tuus tanquam præco e lapide prædicat, indignisque modis ridet, inſulſiſſime enim ſubjungit: *Si hoc non eſt una eademque fidelia duos dealbare parietes, utrisque pedibus certe eſt claudicare, ac velut araneus ex ſemet cuncta fingere.* Idem vero jam quoque Collega tuus in Introductione ad ſacram Bohemiæ hiſtoriam cavillatus eſt. Sed quod horum cavillorum argumentum? quæ contradictio? Equidem pronuncio, repetoque: vix Coſmam de veteribus Bojis aut Bojemis notitiam habuiſſe, ſecus enim ille certiora nobis de Pag. 204.

(a) Jornandes de rebus Geticis c. 34.

LUCIFER. initiis gentis noſtræ ex ſuprafatis authoribus attuliſſet, atque minime ad fabuloſas illas ſenum narrationes provocaſſet. Nec tamen contradictio eſt, ſi per Coſmæ *Boemum* Bojum Sigoveſum explico, cujus nempe ſcintilla aliqua adhuc relicta fuerit in fabuloſis illis ſenum relationibus. Quod ſi imo P. II. Annalium meorum in præfatione prævia (quem locum Collega tuus opponit) dico: Coſmam per Boemum vix alium quam Bojum Sigoveſum intendiſſe; conformiter ante dictis hæc accipienda ſunt, atque tropice, ut Coſmas hic pro Coſmæ narratione, ſeu illis ſenilium relationum reliquiis ſumendus ſit, ad cujus nempe ævum hæc obſcura involucriſque quibusdam obſita de Bojo Sigoveſo pervenerit notitia, tecta nempe ſub nomine *Bojemi*. Quam quidem conjecturam non aliam ob cauſam attuli, quam ut ſaltem aliqua ratione principis hiſtoriæ patriæ fides ſalvetur, quem, ubi ubi licet, tueri partium mearum eſſe deputo. Non autem iſtud *velut araneus*, ut ais, *ex memet ipſo finxi.* Plurima mihi fuere momenta, ut id animo meo perſuaderem. Cum enim Coſmas hiſtoriam ſuam ordiatur a prima patriæ noſtræ memoria, cum narret *Boemum* illum ſuum primum omnium hominum poſt diluvium in Hercyniam ſilvam, antequam ullo aratro adhuc tentata eſſet, ingreſſum, ab eoque regionem nomen *Bojemiæ* ſortitam: quorſum *Bojemum* illum trahere, & explicare mihi licuit, quam ad Sigoveſum Bojum, de quo nobis ſimillima prodidit Livius, aliique veteres, & quem ſcintilla illa relationum ſenilium, non ſub proprio amplius ſed gentili Boji ſeu Bojemi nomine conſervavit?

Ad §. VII.

Pag. 106.

I. Nova confidentia ad arma fallaciſſima homineque veri ſtudioſo indigniſſima rurſum provolat Lucifer tuus, ut nempe orbi literato teſtatum faciat ſe meris fraudibus & Sycophantiis mea evertere conatum, quibus veritate, argumentiſque hiſtoricis enervandis ſe nullo modo parem credidit. Et quidem poſtquam hoc paragrapho dixiſſet: magnis mihi artibus opus fuiſſe, ut rejecto inter fabulas Czecho Slavos Boemiæ Democratico ſeu populari regimine uſos fuiſſe imperitis perſuaderem, audacter ſubjungit: *Quod quidem tanto impetu egit* (Gelaſius) *ut Part. 2. fol. m. 33. in præſidium ſuæ unius conjecturæ Witichindum quoque vocare non obmiſerit: verum priſci moris ſcriptor, & nonniſi germanam veritatem loqui ſuetus cum Gelaſio non convenit, ſed totus noſter*

eſt

eſt; ſic autem illum adduxit: " *Tranſeunt ſane dies plurimi*, *his* (Germanis) *pro gloria*, *& pro magno lato que imperio*, *illis* (Slavis) *pro libertate*, *& ultima ſervitute varie certantibus*. *Ex quo infert* (Gelaſius) *penes Bohemos Democratiam fuiſſe*. Tum vero prolixa verborum ambage Lucifer per plures paginas adverſum me perdita opera demonſtrat, Witichindo longe ab his & Democratico regimine ſenſum fuiſſe. Verum quo nomine hanc rurſum effrontem Luciferi tui compellem audaciam? qui res mihi imputare non vereatur, quæ ne per ſomnium quidem unquam mihi in mentem venere, qui confidenter projecto rubore ad opuſcula, ad paginas meas provocare auſit, quæ eorum, quæ ille temere garrit, ne verbum quidem complectuntur. Imprudensne ille animo verſatus opuſcula mea nemini præterquam ſibi eſſe in manibus, aut a nemine altero legenda & conferenda? Itane ille ingenio inquieto & turbido unum ſtudium aliena inique rodere, & torquere in alium & diverſum a vero ſenſum? Quid mihi ſupereſt, quam ut rurſum ad vigiles fallique neſcios æqui Lectoris oculos provocem, oremque ut Annalium meorum Partem II. pag. 33. adeat, exploretque, num ibidem ſupra memoratum Witichindi locum in firmamentum regiminis Democratici allegaverim, aut ex eo argumentationem deduxerim *penes Bohemos Democratiam fuiſſe*? Sed ut rerum hoc loco & pagina narratarum quandam epitomen Lectori tradam, loquor ibidem de Slavorum conſtantia, qua libertatem ſuam tueri ſoliti, in cujus firmamentum, ſupra memorata Witichindi verba attuli. Nam cum Hagecius ſub finem anni 644. tam de regiminis forma, quam libertatis prærogativa veterum Bohemiæ Slavorum loquitur, ego in commentariis meis lit. *b.b.* utramque hanc partem illuſtro, ac veteri authoritate communio, regiminis quidem Democratici formam authoritate Procopii atque Ditmari, libertatis vero defenſionem ſupra allato Witichindi textu, diſparavi tamen ſic ſejunxique utrumque locum, ut eum nihil ab elephanto differre autumem, qui legitimum prioris abſolutum ſenſum adjecto puncto, novæque orationis exordium non cognoſcat. Nam his demum verbis alterum membrum ordior: *Quod ad libertatis defenſionem attinet*, *his verbis complectitur Witichindus*: " *Tranſeunt ſane dies plurimi his &c.* quæ verba mea ſunt pagina 33. ad quam Lucifer provocat. Ad libertatis itaque defenſionem non Ariſtocratiam firmandam hæc Witichindi oratio a me allata eſt. An non ego igitur majori jure ac veritate dicere, atque in Luciferum tuum retorquere auſim illam ſummæ injuriæ in me hoc loco vibratam contumeliam: *Nonne hoc eſt cornicum* Lucifer. Pag. 105

 nicum

Lucifer. nicum oculos configere? pro auro ſcoriam, pro grano paleam venditare? ut præter cenſuram illud Juris-conſultis receptum merito hic valeat: „*Inſtrumentum falſum in uno, falſum in omnibus.* Apageſis Lucifer, cum Sycophantiis tuis & ludificationibus, quod tu maligne licentioſiſſimeque præter recti & æqui ordinem peccas, in alterum retrudis, & macula tua veritatis honeſtatisque ſtudioſorum hominum opera inquinare temere præſumis. Quis malignitatis tuæ non agnoſcat id unum fuiſſe propoſitum ac conſilium, ut meæ operumque meorum exiſtimationi lethale vulnus infligeres. Sed quemadmodum virtus univerſim, ita & veritas premi quidem, opprimi nunquam poteſt.

Pag 106. uſque 108. II. Ab hac probroſe mihi aſſuta Witichindi lacinia laxatis omnibus ſtyli frænis in Monarchici regiminis encomia laudesque excurrit Lucifer, contra imperii Democratici formam tam atro colore depingit, ut reipublicæ unicuique nihil ea deteſtabilius, nihil ad perturbandam ejus felicitatem proclivius eſſe contendat. Sed quis unquam problema illud movit: *Præſtetne gentes Monarchico an Democratico uti regimine?* quod tanto œſtro pro Monarchia declames? Politicorum diſceptationi hæc transmitte, quibus integrum ſit alterutri palmam concedere. Nos iſthic hiſtoricas veritates, non artes præceptaque politicæ, non dialecticæ captiones, & ampullatæ eloquentiæ ſpumas quærimus. Is unus quæſtionis noſtræ cardo eſt: num antiquitus Slavi Democratico Monarchicove regimine uſi fuerint? quæ quæſtio cum puri facti ſit, nihil aliud ad eruendam illius veritatem, quam teſtes legitimos ex illa ipſa antiquitate expoſcit. Habes vero pro regimine Democratico tum in Annalibus meis tum apologia hac teſtes omni exceptione majores, & ipſa antiquitatis prærogativa inclytos: Joſephum Flavium, Procopium, Theophanem, Porphyrogenitum, Ditmarum, Helmoldum, & quod præcipuum eſt: ex noſtris Chriſtannum & Coſmam. Quos mihi tota lucubratione ſua adverſos teſtes ſtitit Lucifer tuus pro Monarchia veterum Slavorum? ſi umbraticum *Regis* aut *Ducis* titulum excipias, ne unum quidem tam recentem, tamque neo-piſtum, quam placentæ eſſe ſolent, quæ hodie furnum deſerunt. Amabo! ubi dices audaculo Lucifero tuo eſſe cerebrum ſuum? in ſincipite, an calcaribus? cum nobis de facto diſceptatio eſt, provolat ille ad arma Politicæ, in eo totus ut præ authoritatibus legitimis dialecticæ tricas, rationis & prudentiæ congruentias acervet: hisque armis arcem cauſæ impetere ac expugnare laboret. Quid vero illud eſt, quam cervos hamo, & piſces canibus venari? Jam Parte III. Annalium meorum has artes in

Col-

Collega tuo merito reprehendi, damnavique, ſed tu vindicias illi in Lucifer. Præfatione tua ſcripturus antiquum obtines, & hanc philoſophandi rationem ratiocinandique licentiam non modo præcipuum hiſtoriæ fulcrum jactas, ſed vel eo ipſo, quod eam damnem, hiſtorici nomine indignum dictitas prorſus immemor illius tritiſſimæ inter Criticos regulæ: *Ratio cedit autoritati.* Dicam quod res eſt: Laboris & infinitæ operæ negotium merito vobis videtur vaſtiſſimos veterum hiſtoricorum codices excutere, atque ex his probandis rebus momenta argumentaque cum tædio exquirere, rationem aliquam facile atque præter ſtudium intellectus atque prudentia vobis ſuppeditat; hinc eſt, quod ratione magis quam veterum teſtimoniis pugnare veſtro inſideat animo. Quid ni igitur cum Juſto Lipſio in plena indignationis verba erumpam, atque idem in Luciferum tuum, quod ille in Dialogiſtam ſimilium ſectatorem evomuit, exeram: *Tu tuique ſimiles aliquot, & illos* (nempe hiſtoricos veteres) *& omnem veterem literaturam velletis exſtinctam. Noctua non fertis hunc ſolem. Atque ut olim Philiſtæi Hebræis fabros omnes ferrarios atque opifices armorum ademerunt, ne bellare poſſent, aut rebellare, ſic vos hæc doctrina tela, quæ jugulant vana veſtra doctrinarum.* Sed quam præterea hoc paragrapho rurſum Lucifer tuus fraudis & Sycophantiæ ſtropham luſerit, audiamus:

III. Cum in regiminis Democratici vituperio contemtuque, in Monarchici vero laudibus pene tres paginæ abſumuntur, ne Lucifer videretur ſententiæ ſuæ deſtitutus patronis, inter cæteros provocat ad Henr. Cornelii Agrippæ de vanitate ſcientiarum c. 55. unde tanquam e viſceribus exſectum cor in ſcholiis profert, fragmentum inquam violenter evulſum, quo perſuaderet lectori Agrippam ſecum facere, cum is triplicis imperii laudes & vituperia proferat, atque in medio relinquat, quodnam eorum ſit præferendum. Verba Agrippæ hoc capite ſunt: *Ad hanc Philoſophiam pertinet etiam Politica, quæ eſt ars adminiſtrandæ reipublicæ. Ejus vero tres ſunt ſpecies videl. Monarchia, quæ eſt unius regimen: Ariſtocratia, quæ eſt paucorum, ſed nobilium, divitum, ſeu optimatum: Democratia, quæ eſt plebis ſive popularis. Verum quæ iſtarum præferenda ſit, inter ſcribentes nondum convenit. Nam qui Monarchiam antecellere diſputant, naturæ exemplis opinionem ſuam muniunt, dicentes quod ſicut in univerſo unus eſt ſummus Deus &c.* Hic ſequuntur verba pro Monarchiæ laudibus a Lucifero deprompta, ſed jam audire libet ſua proſequentem Agrippam, & pari imo majori laude Ariſtocratiam, Democratiamque extollentem. *Qui vero*, inquit, *Ariſtocratiam extollunt* Pag. 108.

LUCIFER. *lunt, ajunt nihil melius rebus magnis adminiſtrandis, quam plurium optimorumque in unum conſentientium conſultationibus. Nam ex pluribus optimis neceſſe eſt optima conſtare conſilia: neminem autem ſolum ſatis ſapere, ſolius Dei hoc munus eſſe. Huic quoque opinioni ſubſcribunt Solon, Lycurgus, Demoſthenes, Tullius, & ferme omnes illi veteres legislatores, etiam Moyſes; quibus conſentit etiam Plato, eam rempublicam & civitatem inquiens in optimo feliciſſimoque ſtatu videri conſtitutam, quæ a ſapientibus regeretur: cui ſi placet, adjiciamus etiam a nobilibus, ſiquidem hæc opinio eſt multorum conſenſu firmata.* Tandem etiam ad Democratiæ prærogativas progreditur verboſius: *Qui autem popularem*, inquit, *rempublicam prætulerunt, hanc omnium pulcherrimo nomine appellarunt iſonomiam, hoc eſt juris æquabilitatem. Nam omnia illic in commune referuntur, & conſilia omnia a multitudine, cui haud dubie omnia inſunt, capiuntur certiora. Denique vox populi, vox Dei: hinc quicquid omnibus placet, quicquid communis populi conſenſu ſtatuitur, hoc tanquam a Deo ipſo ordinatum, optimum atque juſtiſſimum eſſe præſumatur, neceſſe eſt. Hoc denique regimen tutius eſſe ajunt, quam optimatum, ex eo quod minime ſubjaceat ſeditioni: populus enim nunquam vel raro inter ſe diſſidet, optimates autem maxime & ſæpiſſime. Præterea in populari regimine omnis ineſt æqualitas ac libertas, nullorum tyrannide oppreſſa, ubi pares bonorum gradus, nec quiſquam vicino præſtat, ſed unusquisque & omnis multitudo per vices imperat, & imperatur. Hanc igitur præ cæteris laudarunt Othanes Perſa, Eufrates, & Dion Syracuſanus, & nos videmus hodie hac Democratia Venetos & Helvetios præ omnibus Chriſtiani orbis principibus maxime florere, prudentiaque & potentiæ, divitiarum & juſtitiæ laudem, atque victoriæ palmam obtinere: quando & Athenienſium reſpublica olim latiſſime potentiſſimeque imperans ſola Democratia regebatur, omniaque agebantur a populo & apud populum. Atque Romani olim omnes hus adminiſtrationes perpeſſi, maximam imperii partem ſub populari Democratia adepti ſunt, nec unquam pejus habuere, quam ſub regibus & optimatibus, peſſimeque ſub Imperatoribus, ſub quibus omnis eorum potentia naufragium fecit. Itaque* (concludit author) *quæ iſtarum trium melior potiorque, non facile dijudicari poteſt, cum quæque ſuos aſſertores habeat & impugnatores.* Hem quantum Lucifer! Agrippa Monarchiæ tuæ patrocinetur. An non pleno jure tuum in me alibi detortum evomere liceat: *Impetrarine poteſt, ut author hic fideles nobis depromat textus?* Tantundem a vero alieniſſimum eſt, cum Pag. 107. priore pagina ſcribis: *Quin imo ſi ſcriptores Veneti diligentius exquirantur, aut veritas ipſa hiſtorica Henetorum Adriatici maris accolarum æqua mente expendatur, non minus Henetos ſive Venetos ſuos a prima ſui inſtitutione*

unius

unius imperio paruiſſe, æque ac ſumma totius orbis regna . . . fiet perſpicuum. Lucifer. Nam quos Hiſtoriæ Venetæ ſcriptores legiſti, ut tanta confidentia id auſis pronunciare? De veteribus illis Henetis, qui Troja capta huc navibus advecti feruntur, pauciſſimæ inter ſcriptores vetuſtos memoriæ, nec uſpiam proditum, qua imperii forma uſi ſint. De Venetis poſt Attilam has inſulas excolentibus omnium hiſtoricorum unanimis conſpiratio eos ducentis triginta amplius annis ſub poteſtate tribunitia ſtetiſſe, ac demum circa annum 709. primum reipublicæ Ducem Paulatium Anafeſtum accepiſſe. Ita nempe paſſim Lucifer tuus ad turbam ſcriptorum provocat, cum ne unum eorum inſpexerit, hique toto cœlo ab ejus ſomniis recedant. *Glorias*, inquit Satyricorum nonnemo, *jactant librorum, gloria qui egent ſua, quique libros nunquam inſpexerunt.*

Ad §. VIII.

I. Necdum logomachiæ tuæ, quæ pene tertiam lucubrationis partem exhaurit, adverſus veterum Slavorum Democratiam finis. Quid ultra hac inani futilique diſceptatione quæris? an ſi Democratiam hanc profligaveris, memoriam Czechi, Joannis regis primum imperio exortam, ſæculo illi vindicabis, cui gens noſtra ſua in Bohemia debet incunabula? quid niſi ſementem in aquam aut in ſaxa eſt jacere? Quid toties coctam & recoctam cramben rurſum ſaturis faſtidioſisque ſtomachis apponis? Verum importunitate tua vincor, ut denuo ex illa aliquid delibem, ne cauſeris ſapidiſſima eſculenta tua a me intacta perſtitiſſe. Cum itaque ſuperiore paragrapho nihil præter imperii Democratici contemtum, & Monarchici prærogativas utilitatesque quibusdam verborum, exemplorum teſtimoniorumque parergis compſiſti, hic ſubjungis: *Haud diſſimili regiminis forma Slavos illos vetuſtiſſimos ſeu homines, ſive bruta fuerint olim regnatos, juſta ratione cenſendum.* Vah! Pag. 109.

Apinas tricasque, & ſi quid vilius iſtis. Mart.

Adhucne juſta ratio, hoc inquam Architæ crepitaculum in hiſtoricis rebusque facti nobis aures atterere audeat? nec authoritas, hiſtoriarumque veritas illius ſtridores compeſcat? Itane ea omnia quæ citra ſeu adverſus *juſtam rationem* in hiſtoriis veteribus proferuntur vana ſunt, & mendacia, ipſaque fide tot ſæculis cuſtodita deturbanda? Quidni

LUCIFER. igitur *juſtæ rationi* tuæ cedat Flavius Joſephus, Ammianus Marcellinus, Procopius, Theophanes, Porphyrogenitus, Ditmarus, Helmoldus, ipſeque Chriſtannus, & Coſmas noſter, qui veteribus Slavis nonniſi Democraticum imperium concedunt? Quidni tuæ *juſtæ rationis* gratia hos tam graves vetuſtosque ſcriptores fallaciæ mendaciique condemnemus? Quidni *juſta tua ratio* certiorem de rebus tam antiquis tibi dedit cognitionem, quam his auritis oculatisque teſtibus? Quidni denique, ſi juſtæ tuæ rationi omnium gentium mores admetiendi, nulla unquam in orbe exſtitit Democratia? Vides mi Lucifer, quam hæc vel tua juſta ratio omne rationis lumen in te exſtinxerit. Sane Æſopus vatidico afflatus ſpiritu in neminem alium quam te lucernamque tuam fabulam ſuam de lucerna his verbis diſtrinxit: *Oleo ebria lucerna lucens gloriabatur, quaſi præ ſole ſplenderet clarius. At venti ſpiraculo confluente ſtatim exſtincta eſt. Rurſus autem accendens quispiam dixit: Luce lucerna & tace: aſtrorum lux nunquam deficit.* Ita nempe ebria juſta ratione lucerna tua præ ſole veritatis hiſtoricæ magis exſplendeſcere quærit, ſed confluente ſpiraculo venti, Viri, inquam, critices rei periti eam exſtinguunt vel uno admoto flatu: *Ratio cedit veritati & authoritati*; monentque ut luce tua contentus taceas, ac memineris aſtrorum (veritatis inquam & authoritatis) lucem in hiſtoriis nunqam deficere. Sed fruſta imperatur tibi ſilentium, Arabicum enim tibicinem aut Dauliam cornicem

Pag. 109. imitaturus rurſum ingrato ſtridore obſtrepis: *Quis tam vaſtos*, inquis, *variosque Slavorum populos uno eodemque regimine fuiſſe dominatos ſibi perſuadeat? ut plerosque egregios ſcriptores neceſſe ſit decipi, qui ex unico loco Procopii Cæſarienſis, ſæculi initiantis ſexti Chronographi de univerſis Slavorum Europam Aſiamque inundantibus gentibus conjecturam faciunt, omnesque Slavos per tot ac tam immenſa orbis terrarum ſpatia diſperſos diviſosque iisdem moribus, legibus, & regimine uſos credunt.* Vah! *plerique egregii ſcriptores decepti ſunt* a Procopio, & *conjecturam faciunt.* Sed quid non dicis *omnes*? Nam ne unum quidem deprehendiſti, qui veteribus Slavis Monarchiam adſcriberet. Qui autem tu unus præ omnibus ſapis? illi quia authoritatem veterem pro fundamento aſſerti ſui allegant, decepti ſunt, tu quia hariolationes tuas monſtraque quædam juſtæ tuæ rationis ſequeris, verum dictatorio calculo ſtatuis? An Monarchia, an Ariſtocratia non æque juſtæ rationi conformis atque Democratia? Et quomodo egregii illi ſcriptores falſi deceptique in re clariſſima? Qui illi conjecturam feciſſe dici poſſunt, cum Procopius manifeſtis verbis dicat: *Slavinorum nationes*, cum Porphyrogenitus omnibus ad mare Adria-

Adriaticum Danubiumque recenſitis populis Slavicis ſubjungat: *Quemadmodum reliqui Slavorum populi?* Verum cicada vocalior etiam inſtas, urgesque: *Procopius ſæculi ſexti initiantis Gothorum Chronographus Slavos Boemiæ ne per ſomnium quidem viderit, quis enim? bonusne an malus genius Græculo iſti procul hinc diſſito de Slavis Boemis denſis Hercyniæ ſylvæ ſepultis tenebris ſomnium aut viſionem fecit: quis ritus, mores, regimenve revelavit?* Atque iſtud mirum, & ut cum Comico loquar: *miro mirius*, quod tu per bonum an malum genium, per ſomnium & viſionem, an juſtam rationem tuam hanc Monarchiam veterum Boemorum a te non terrarum ſpatio, ſed, quod majus eſt, ſæculorum tredecim intervallo diſſitam tamen videris. Itane hiſtorici, itane Geographi fide ſua careant, quiqui eas terras non adiere, de quibus ſcripſere? Qui ſcis ſeu Livium, ſeu Strabonem, ſeu Claudium Ptolemæum, ſeu Tacitum, ſeu Vellejum Paterculum, ſeu Plinium unquam vidiſſe patriam noſtram? an non illi pari terrarum ſpatio a gente noſtra remoti fuere atque Procopius? qui tamen iſtis ſitum Hercyniæ ſilvæ Bojemiæque, qui majorum noſtrorum mores, bellaque explicantibus credis, Procopio non credis? An etiam Chriſtannus & Coſmas nunquam viderunt Boemiam? quid igitur prior dicit: *Slavi Boemiæ . . . ſine ullo Principe vel rectore vel urbe . . . terram ſolam incolebant.* Quid alter: *Nemo . . . . cui querimoniam ſuam deploraret, judicem nec Principem habebat.* Quid mihi ſupereſt, quam ut illud Libanii in te evibrem: (a) *Nonne tu Lucifer, tubicen Arabicus es, vel etiam quid importunius? turture loquacius, pica, luſcinia, cicada, Dodonæum ſuperas æs; illud enim admoto quidem a ventis flagello reſonat, tranquillo aere ſilet, atqui tuam linguam nihil poteſt compeſcere, non bruma, non æſtas, non ventus, non ſerenitas.* Qui unam garrulitate tua quæris gloriæ laureolam, ut gaudeas

Digito monſtrari, & dicier hic eſt.

LUCIFER. Pag. 111.

II. At at relicta tandem juſta ratione tua & conjecturis ad authoritatem progrederis, & omnia ſuperiora tanquam levidenſia per axillam deſpiciens ad caput rei venis, oſtenſurus Procopio minus certam de Slavicis nationibus cognitionem fuiſſe, ſic enim contemtim cum ſupercilio ſcribis: *Ut ex his ſoliorum rumuſculis ac meris ampullis me ocyus expediam, unicum juvat Theophanem Procopio opponere, qui cum pro armis Procopii: cytharas, pro barbara ferocia muſices lenocinia Slavis attribuat, pronum* Pag. 110.

(a) Libanius declamat. 6.

LUCIFER *num eſt cogitare, neque a Procopio univerſorum Slavorum mores fuiſſe depictos, neque Slavis generatim attentis unigenos eosdemque mores aut regimen ubique ac ſemper fuiſſe.* Infra vero in Scholiis locum ipſum ex Theophanis Chronogr. ad A. 950. producis, quo narrat tres Slavinorum genere ortos nullo ferro vel gladio accinctos, ſed cytharis tantummodo inſtructos ab Oceani ſeptentrionalis finibus egreſſos a Romanis captos eſſe, qui faſſi ſint: *cytharis circumduxiſſe, in regione quippe ferri neſcia natos, armis non aſſuetos ſe tegere.* Iſtud igitur tibi eſt: Theophanem Procopio oppoſuiſſe. Sane Sorbona digniſſimam argumentationem! Næ tu igitur Lucifer orbi literato perſuaſurus es: hos Slavos Oceani ſeptentrionalis accolas, dum exercitus in hoſtes movebant, cytharas armorum loco ſecum circumduxiſſe, atque hoſtium ſuorum voces atque pedes prælii loco ad cantum & ſaltum prolexiſſe ſono cythararum ſuarum, cum dicas illos *pro armis Procopii cytharas, pro barbara feracia muſices lenocinia adhibuiſſe.* Quantæ hæ næniæ affutiæque, ab armorum genere, quod pro regionum diverſitate plerumque varium eſt, quodque viciſſitudini perpetuo obnoxium, argumentum ad interiorem reipublicæ ſtatum imperiumque deducere? Quo loco vero Procopius mentionem fecit armorum ferreorum Slavis uſitatorum, ut tam audacter ei Theophanem opponere audeas? de armis enim Slavorum breviter hæc Procopius: (a) *Cum pugnam invadunt, multi pedibus tendunt in hoſtem, ſcutula ſpiculaque geſtantes manibus. Loricam non induunt, quidam nec ſubuculam habent nec pallium, ſed cum femoralibus tantum ad virilia uſque aptis hoſti ſe offerunt ad certamen.* Ubi hæc tanta ferrea arma? & quid ſi alibi fortaſſe arma hæc ferrea innuit, omnibusne Slavicis nationibus ferreorum armorum uſum eſſe dixit, ut omnes nationes Slavicas Democratico imperio regi ſolitas? Quin fave Lucifer, ut quidpiam tibi ſecretiſſime in aurem ſuſurrem: Theophanis vox *cytharas* jam non paucis eruditis viris ſuſpecta & mendoſa viſa, cui ſubſtituendam volunt vocem *Cindaras* ſeu *Zindaras*, quæ ſignificabat quoddam piloſum veſtimenti genus inſtar jubbæ, de qua apud Rochum Pirrum Siciliæ Sacræ p. 187. *Veſtis una Zindari adinſtar jubbæ*, adeo ut viri hi tres faſſi ſint ſe Zindaris ſeu piloſis veſtimentis circumduxiſſe, quia nati in regione ferri neſcia, ſcilicet pro more illorum ſæculorum minime ferro tecti comparebant. Profecto cauſalis *quippe* apud Theophanem innuit *cytharas* pro quodam tegumento accipi debere, qualis enim inſtru-

(a) Procopius de bello Gotthico l. 3. c. 14.

ſtrumenti muſici cum tegumento connexio? Haud aliter atque ſi dicas: ideo inſtrumenta muſica eos ſecum tuliſſe, quia ferrea tegumenta non habeant. Quis cauſalem hanc non explodat? LUCIFER.

Quod alterum eſt: ſi ſapuiſti Vir Cl. Teſtimonium Theophanis mox ſupra commemoratum maxime lectoris viſui ſubducendum erat, in ſcrinia occulendum, atque, ut ne unquam in lucem prodiret, ex ejus Chronographia expungendum erat. Nihil enim magis Ariſtocraticum veterum Slavorum imperium confirmat, nihil magis Procopii teſtimonio vim roburque addit, nihil magis opinionem tuam de Monarchia jugulat, quam is ipſus Theophanis a te in Scholiis relatus locus. Quid enim ajunt hi tres ab Oceani litoribus miſſi Slavini ad Orientis Imperatorem? *Chaganum* (gentis Hunnorum) *legatos ad ſe miſiſſe, & tribuum præfectos muneribus ſollicitaſſe, ut ſibi ſuppetias adverſus Romanos ferrent, ſe vero a familiarum capitibus miſſos, qui eos apud Chaganum excuſarent, quod ob viarum remota intervalla manum auxiliarem ei præſtare nequeant.* Ita Theophanes ad annum IX. Mauritii. Jam oſtende Lucifer Reges Ducesque Slavorum ſeptentrionalium in his Theophanis verbis. Ad quem miſit Chaganus Hunnorum legatos? an ad Monarchas? Reges? aut Duces Slavorum? minime, ad *tribuum præfectos* inquit Theophanes. A quo miſſi hi tres Slavini ad Chaganum? an a Rege aut Duce ſuo aliquo? minime, *a familiarum capitibus* inquit Theophanes. Qui vero hi *tribuum præfecti* aut *familiarum capita*, quam Zupani illi & ſeniores populi a Porphyrogenito nomine proditi, qui imperium Democraticum cum Ariſtocratico mixtum apud veteres Slavos efformabant? Credesne jam Theophani a te ipſo allato, cum ſidem *Græculi* illius, ut contemtim vocas, Procopii tantoopere vellicas? Credesne Virum hunc Perſicis, Vandalicis, Gothicis, Slavicisque bellis cum Belliſario inclytum, tot præclaris legationibus functum etiam de longius poſitis Slavis tam certam potuiſſe habere notitiam atque Theophanem? Credisne tandem illum ſaltem per *ſomnium* & *viſionem* aliquam, ut ais, vidiſſe Slavos Boemiæ Hercyniæ ſilvæ tenebris ſepultos, cum longinquiores maris Balthici accolas Slavos viderit Theophanes? Porrige, porrige Vir Cl. herbam, & Procopii manibus fidei ſuæ, authoritatis, integritatisque vindicias ipſe manu tua ſcribe. Appone inquam veritati teſtimonium, & illius libro tertio de bello Gothico, quo ait: *Sclavinorum nationes non ab homine aliquo uno reguntur, ſed ab antiquo plebeja communique libertate vivunt, & idcirco res omnes, quæ vel utiles ſunt, vel forte difficiles in commune conſilium deducuntur:* Subſcribe ver- Pag. 110.

Gg 3 bis

LUCIFER. bis tuis: VIS CONSCIENTIÆ ET VERITATIS COGNITIO ME W. P. D. AD PALINODIAM CANENDAM COMPULIT. INTEGRÆ FIDEI HIC GRÆCUS SCRIPTOR EST, NEC VERBIS HIS PROCOPII QUIDQUAM CERTIUS VERIUSQUE.

II. Fruſtra ſum, operamque perdo commotum mare & aquilones turbulentos verbis frangere, aut ad quietem dare. Furit perpetibus flatibus inſtar Boreæ Lucifer, novasque procellas movet: *Cl. Gelaſius*, ait, *plane falſus eſt, qui non Procopii hujus duntaxat, ſed Porphyrogeniti ſaculi medii decimi ſcriptoris textum, eumque talem, qualem ſupra Rad. 1. §. 29. ſpectavimus, nobis Slavis aſſuere, Democraticumque regimen Bohemis in uſu fuiſſe contra torrentem omnium probatorum ſcriptorum, fracto jam Part 1. §. 19. conatu, chronologia, antilogia, ipſaque ratione repugnante, contendere non dubitavit.* Utinam quantum verbis ſupercilium, aſperitasque, tanta inſit veritas! Egone is floccorum mango, laciniarumque ſarcinator, qui Procopii & Porphyrogeniti textum genti noſtræ temere aſſuere auſus ſim? An non illum aſſuit primus omnium patriorum ſcriptorum Chriſtannus? an non hiſtoricorum noſtrorum Alpha Coſmas? an non Procopio Porphyrogenitoque ſimillima uterque de gentis noſtræ incunabulis prodit? Quis vero ille probatorum ſcriptorum torrens, quem jactas, & adverſus quem Democraticum veterum Slavorum Bohemiæ imperium tueor? illos nempe deputas, qui Czechum primum Ducem Bohemiæ adſtruxerunt? ſed qui ego hos probatos authores ea in re agnoſcam, quam ſine probationibus & tabulis ſcripſere, qui cum nullum vetus certumque monumentum exhibuerint, aliquando *Czechum* in rerum natura exſtitiſſe? qui illis fidem habeam eum primum Ducem fuiſſe Bohemiæ? *Sed fractus eſt*, inquis, *jam conatus meus Parte tua I. §. 29.* fractus nempe conciſusque Pyrgopolinicæa Luciferi tui machæra & gloriationibus, quibus ſi unum culicis aculeum morſumque opponas, palmam victoriamque luto merſam riſurus ſis. Spectavimus Ædepol hoc Radio tuo I. §. 29. quam terriculoſa & cruenta Pyrgopolinicis tui Luciferi fuerit ſcena, ut merito cum Plauti Artotrogo dicere liceat:

Perjuriorem hoc homine ſi quis viderit,
Aut gloriarum pleniorem, quam illic eſt,
Me ſibi habeto, ego me illi mancupio dabo. (a)

Quæ porro illa Chronologia? quæ antilogia? quæ ratio? quas Slavorum veterum Democratiæ repugnare contendis? Chronologiæ contradi-

(a) Plaut. Mil. Glor. Act. 1. Scen. 1.

dictionem opponis, quod *a Porphyrogenito ſcriptore medii decimi ſaculi tempora ſibi præſentia narrante conjectura patrocinium fruſtra rogetur.* Sed jam ante legiſti explicatum Porphyrogenitum emendatumque, eum non de præſentibus, ſed præteritis temporibus fuiſſe locutum. Et quid ſi Porphyrogenitus de temporibus ſibi præſentibus locutus, etiamne Procopius ſæculi medii ſexti hiſtoricus? quid ſibi verba illius volunt *ab antiquo plebeju communique libertate vivunt*? Quam tu dein *antilogiam* nomines, aut quid per eam velis, quis ariolatorum aruſpicumque aſſequatur? quod hoc verborum monſtrum: *Antilogia Democratico meo regimini repugnat?* inſpice lexica, & veram vocis hujus ſignificationem ediſce. Sed *ratio*, inquis, etiam repugnat? quæ ratio? nunquid *juſta* illa? per me licet, æternum pugnet, repugnetque, factum hiſtoricum nunquam expugnabit. Nam ratio neutiquam quidem excludenda a criſi hiſtorica, imo potius in auxilium vocanda, hac tamen lege inquit Mannhartus: *Ne auctoritati præferatur.* (a) *Non itaque pignoravi putamina, non amiſi nucleum veritatis*, ut Lucifer tuus quantus quantus ad Satyras, non ad ipſam eruendam veritatem comparatus obtrectat, ad palatum ſunt hi veritatis meæ nuclei Viris quibusque eruditiſſimis (quod unum ſuſpicor eſſe, quod Luciferum tuum rodit) qui jam publicis teſtimoniis prelo datis ſcriptisque ſe ſe illis delectari non ſemel confeſſi ſunt. Extorques Lucifer hæc verba rubori meo, qui vel ipſam jactantiæ umbram & ſuſpicionem fugit. Contemtus tuus me grandiloquentem fieri compellit.

LUCIFER.

Pag. 112.

Ad §. IX.

I. Paragraphum iſtum his verbis ordiris: *Etſi quidem inter ſcriptores haud conveniat, quo ſaculo, aut tempore majores noſtri Slavi Bojohemo iſti coloniam intulerunt, eorum tamen ſenſum propius vero accedere reor, qui Slavorum in Bohemiam adventum ante illam formidatam Attilæ in Germanias Galliasque irruptionem, graviſſimis inducti argumentis locant, a quorum judicio, prudentia, autheritateque, animo præſertim quæpiam novandi recedere, præter decorum eſſet.* Sed qui tamen ab authorum iſtorum judicio, prudentia, authoritateque poſtea §. XVII. pag. 160. tam indecore receſſiſti, ut ſæculis tribus imo quatuor poſterius Czechum ſeu majores noſtros in Bohemiam veniſſe cum Hagecio ſeu Kutheno ſentias? procul dubio Czechus tuus bis genitus, bisque mortuus fuit, ut jam ante Atti-

Pag. 112.

(a) Mannhart. Bibl. domeſt. T. X. c. 4.

LUCIFER. Attilam colonias in Boemiam induxerit, hicque cum colonia ſua emortuus poſtea ſæculo pene medio ſeptimo e campis eliſiis, aut per nominatam illam animarum tranſmigrationem, ad Bohemiam redierit cum colonia ſua? Qui autem graves authores illi, a quorum judicio & authoritate recedendum indecorum tibi ducis? qui? in margine provocas ad Balbinum, Petrum Codicillum, Weleslavinum, Jordanumque ſcriptores ſeu hujus, ſeu ſuperioris ejusque proximi ſæculi. Pro his quatuor hiſtoricis in Prodromo meo facile viginti adduxi, qui Slavorum in Boemiam viciniasque nonniſi ſub Attilæ temporibus defigunt, an non illi tam graves atque tui? an non illi magis valentioribus antiquitatis armis id demonſtrant, quam ſi quatuor? Et quidem qua fronte ad Balbinum provocas, qui locis omnibus fluctuat, & difficultatibus ubique pulſatus ter quaterque Chronologiam ſuam de adventu Czechi & Slavorum in Boemiam reformavit? qui prolatis omnium authorum opinionibus poſtremo ſubjungit: (a) *Hæc de gentis noſtræ origine, quæ multos hucusque fatigavit, atque etiamnum fatigat. Scio me, quid ipſe ſentiam, non omnino explicuiſſe (quod conſulto feci)* qui denique generatim inquit: *Ut totum eloquar: usque ad Przemyſli & Libuſſæ imperium omnis Bohemiæ hiſtoria incerta in geſtis Ducum nutat, & pauculis exceptis Chronologiæ examen vix ſuſtinet.* Si Petri Codicilli Chronologiæ inſiſtis, jam ſæculis octo & decem ante Attilam majores noſtros in Boemiam immigraſſe neceſſe eſt admittas: nam ille, ut ſupra oſtendi, jam Bojum Sigoveſum *Czechovicium* appellat, quidni igitur illi jam Boji Marcomannique Slavi origine ac gente fuerint? Si Weleslavinum amplecteris, ſentisque id jam ante Conſtantini M. imperium eveniſſe, quo Tursko Slavus filius Zalmanini Circipani (monſtra nominum & hiſtoriarum!) Czecho Duci jam tum grandævo regnum Boemiæ tranſcripſiſſe ab eo dicitur, quid dices ad Jornandem, qui ſub Conſtantino his terris adhuc Marcomannos coluiſſe claris verbis teſtatur (b)? quid ad cætera poſteriora Marcomannorum Quadorumque his regionibus geſta, nominatamque illam ſæculo exeunte quarto Marcomannorum Reginam Fritigildem? Si Jordanum noviſſimum hujus ſæculi ſcriptorem ſequeris, oportet cum eo annum 374. adventui

(a) Balbin. in Epit. l. 1. c. 10. p. 77. (b) *Jornandes de rebus Geticis c.* 22. Quo tempore erant (*Asdingi*) in loco manentes ubi Gepidæ ſedent juxta flumina Mariſia, Miliare & Gliſil & Griſſia, qui autnes ſupradictos excedit. Erant namque illis tunc ab oriente Gothi, ab occidente Marcomanni, a ſeptentrione Hermunduri, a meridie Hiſter, qui & Danubius dicitur.

tui Czechi & Slavorum in Boemiam deſigas, quo ille eam *Sarmatarum limigantium* per Probum Prætorii Præfectum oppreſſionem a Marcellino commemoratam Czechi Lechique e Croatia cum aliis optimatibus emigrationi ex meris ariolationibus accommodat. Sed ubi & quibus argumentis probavit unquam Jordanus hos *Sarmatas limigantes* re ipſa fuiſſe Slavos? non legiſti ante tot ejus circa ſtirpem gentis hujus fluctuationes? an non legiſti argumenta mea, quæ pene ad oculum oſtendunt eos multo magis Germanos, & quandam Marcomannorum coloniam fuiſſe? Et quid ſi Sarmatæ hi limigantes fuere gente Slavi, an illorum ſedes fuere in Croatia, unde Czechum & Lechum vult adveniſſe? An non ubivis indigitat Marcellinus Sarmatas hos ultra Danubium in Quadia, & ad Daciam coluiſſe? Ut itaque prorſus ridiculum ſit hos Herculis cothurnos Czecho Lechoque induere. Legiſſet Jordanus Conſtantinum Porphyrogenitum, legiſſet, inquam, ex illo Slavos primum exeunte pene Sæculo VI. in Dalmatiam, Illyricum, hodiernamque Croatiam immigraſſe, legiſſet denique non Slavos Boemiæ a Croatis, ſed Croatas a Boemis originem duxiſſe, inque Croatiam, Dalmatiam, Serviam, Illyricumque ex ipſa Boemia colonias traductas fuiſſe, incidiſſet hic locus aliquando etiam in Balbini manus & oculos, næ in utrorumque libris jam pridem Czechum Lechumque ex annalibus patriis expunctum reperiſſes. Si ante Attilæ imperium Slavos his regionibus locas, oſtendendum, quo caſu & tempore Marcomanni Quadique emigrarint, & ad quas terras geſta utriusque gentis pertineant, quæ tam ſæculo tertio exeunte, quam quarto ordiente de illis apud coævos leguntur. Sed cate verſuteque telam ſuam texuit Lucifer, qui præterita omni Marcomannorum Quadorumque memoria, ſententiam tanquam ex tripode pronunciat: *Slavos ante Attilam in Boemiam immigraſſe*, de probationibus in utramque aurem dormit. Quin imo fontes obſtruit, obturatque, & oculos aureſque claudit, ne veterum teſtimonia videant, audiantque, ſatisfeciſſe ſibi nempe viſus, ſi recentes quoſpiam authores meris conjecturis pugnantes, & ſæculis tribus & quatuor inter ſe diſſidentes in teſtimonium alleget. Ita ſcilicet facillimi res negotii hiſtoriam ſcribere, ſi de veritate minus ſollicitus viciniſſimum quemque tibi tempore hiſtoricum exſcribas, ſequariſque, ita nec magno ingenio, nec moleſtia, nec multa animi contentione opus eſt ad inveniendas rerum geſtarum epochas, ſi ſine authoritate & veteri Duce, res ut cerebro efficta ſint, in chartas illinas. Sed fac concilia horum Slavorum tuo- Lucifer.

LUCIFER. tuorum adventum cum hiſtoriis veteribus, concilia cum Marcomannorum Quadorumque, aliarumque vicinarum gentium memoriis, concilia cum rebus, concilia cum temporibus, & quot verba protuleris, tot te paradoxa antilogiasque prolocutum oſtendam.

Pag. 112. & 113. II. Sententiam meam de Attiliana adventus Slavorum in Boemiam epocha enervaturus alia adverſus me arma aſſumis: ſed quæ, aut cujus generis illa ſunt? an ex auctoritatis, an ex vetuſtatis armamentario petita? minime, a tua *juſta ratione*, ut alias. Quæ autem illa? Non videtur juſtæ rationi tuæ conforme Attilam per Boemiam in Gallias cum ſuo immenſo exercitu aſcendiſſe, quia ad certam victoriam properantem montium anfractus, tesqua, horridæque ſilvæ, ſubinde vi ventorum ſtratæ arbores, ſubinde ſenectute dejectæ (quæ Hercyniæ incolis inſtar murorum aggerumque deſervierant, & omnem aditum intercluſerant) multum fuiſſent remoratæ. *Quis autem bellidux* (ironice ſubjungis) *properans ad certam quaſi victoriam non commoda, ſed difficultates quærit viarum? quæ triumphum de hoſtibus magis impediant, quam promoveant? ſintque potius receſſus, quam acceſſus, fuga, quam via ad victoriam? Ut nihil dicam de annonæ commeatu, viarumque difficultatibus, quæ in hoc maxima parte tunc deſerto Bojohemo fruſtra vorandæ erant, niſi majorem ſui exercitus partem inedia, fame, aliisque itineris moleſtiis, exhauriri ſtudioſe voluiſſe fingatur; quod tamen a propoſito ferociſſimi Ducis quam fuerit alienum, rerum talium periti, non e longinquo vident.* Magna ædepol argumentorum robora, quibus exſcindendis nemo fabrorum ſatis idoneam ſecurim procudat effórmetque! Nihil vero magis admirandum in Lucifero tuo quam ea intima veteris Geographiæ cognitio: Quid ſi Attilla Boemiam non tranſivit, potuitne ex Pannonia Transdanubiana in Galliam properans evitare Hercyniam Silvam tam longe lateque tum diffuſam? Boemiane ſola Hercyniæ ſilvæ ambitum exhauſit? in eane ſola *vi ventorum ſtratæ, ſubinde ſenectute dejectæ arbores?* aliæ vicinæ regiones omnes anfractibus & ſilvis carentes meram planitiem exporrexere, viasque roſis & liliis ſtratas Attilæ præbuere? ſoliusne Boemiæ, tum quidem per Marcomannorum gentem florentis, ea fuit calamitas, infelicitas, ac ſolitudo, ut propter viarum difficultates, annonæ commeatuumque raritatem Attilam ab ingreſſu deterruerit? Qui illius populus ex regionibus ultra Caucaſum emigrans tamen in vaſtis illis ſolitudinibus ubivis annonam & commeatum reperit? neque inedia & fame periit? Qui primum per Caucaſeos dein per Daciæ giganteos montes in Pannoniam, qui poſtremum per Alpes inacceſſas

tot-

totque itinerum difficultates aditum reperit in Italiam? Reflexiſſet Lucifer ad veteris Marcomannici Quadicique Regni potentiam, divitias, agrorumque culturam & ubertatem, profecto prudens cum animo ſuo ſtatuere debuiſſet, nullam regionem tantum provocare potuiſſe Attilæ illicium ad tranſitum, quam veterem Bojemiam, ubi ſi indigenæ annonam commeatumque non præberent, haberet abunde quod tolleret ac prædaretur, præcipue cum antea ex Priſco docuerimus, jam ſub Attilæ Præceſſore Rova Boicos ſeu Boemos veteres rem communem feciſſe cum Romanis. Sed hæc nonniſi ex conjectura ſunt, alia nobis momenta ſunt, quæ indubitatum reddunt Attilam per Boemiam veterem (tum uſque ad Danubii littora protenſam) iter ſuum in Gallias ſuſcepiſſe, quæ quidem jam in Prodromo noſtro potiſſima ex parte attulimus, a te vero tanquam Sphingis obtutus evitata ſunt. Ea hic jam revocare convenit: Et quidem docuimus ex Eugippio coævo, inque hodiernæ Auſtriæ transdanubianæ terris verſante, Attilam minime per Noricum & dextram Danubii ripam ad Gallias aſcendiſſe. Nam ſcribit is præſidia, caſtella, urbesque Romanorum, quæ ex dextro Danubii litore erant poſita, manſiſſe intacta uſque ad Odoacri imperium, adeo ut præſidia rite ſua ſtipendia uſque ad ea tempora Roma acceperint, recenſet multas florentes iſthic urbes & oppida, imo Epiſcopos & monaſteria poſt Attilæ adhuc imperium. Jam cum certum ex his ſit: Attilam dextro Danubii litore perque Noricum exercitus ſuos non deduxiſſe in Gallias, altero vero Danubii litore perque Boemiam veterem cum aſcendiſſe tu inficieris, quid tibi reſtat, quam ut dicas admittasque: Attilam cum ſuo toto exercitu induiſſe pennas & alas, atque per aërem in Gallias volaſſe. Quæ enim terrarum ſpatia effinges Attilam ante pugnam Catalaunicam cum ſuis coluiſſe, ut Marcomannorum Quadorumque regna intacta reliquerit tranſiens in Gallias? An non Pannoniam transdanubianam inſedit, quo ſe etiam redux ex Italia recepiſſe narrat Jornandes de rebus Geticis c. 42. ut eum locum alibi protulimus? Reſedit is nempe, regiamque ſuam non longe a Tibiſco ſeu Tiſſa fluvio Hungariæ in Gepidarum Quadorumque terris habuit, adeo ut Marcomannis viciniſſimus fuerit. Nam Priſcus olim legatus Orientis iter ſuum Conſtantinopoli ad Attilam deſcribens, inquit: *Ingentia ſiquidem flumina, id eſt Tyſiam, Tibyſiamque & Driccam venimus in locum illum ubi dudum Vidicula Gothorum fortiſſimus occubuit, indeque non longe ad vicum in quo Rex Attila morabatur, acceſſimus.* (a) Fac,

Lucifer.

(a Jornandes de reb. Get. c. 34. ex Priſco.

LUCIFER. age, arripe jam in manus Geographicam tabulam, atque a Tibiſci fluminis confiniis iter in campos Catalaunicos, Galliasque metire, quod brevius, rectius, atque velut inevitabile iter invenies quam per veteris Boemiæ fines? Hinc pererudite Ekhartus de hac ipſa expeditione Attilæ loquens: (a) *Ex Gepidarum autem terra*, ait, *Hunni in Thuringiam non alia via pergere potuerunt, niſi per Moraviam & Boemiam.* Si itaque ais: *Attilam tanquam ad certam victoriam in Gallias properaſſe*, quidni ille brevius minoribusque difficultatibus impeditum iter prehenderit, præſertim cum non neſciret dextram Danubii ripam ubique caſtellis & urbibus tum præſidiis militaribus Romanorum eſſe munitam? adeo ut procul dubio prudentia illi ſuggeſſerit prius congregatos in Galliis exercitus eſſe cædendos, tum illam Danubii dextram ripam cum ſuis caſtellis & militibus aliunde victrici manui ceſſuram, quanquam ſpes hæc poſtea Attilam fefellerit, cæſusque præter opinionem eadem via in Pannoniam redire coactus ſit. Nihil itaque magis teſtatum, quam Attilam cum ſuo immenſo exercitu per Boemiæ veteris fines in Gallias aſcendiſſe, cujus potentiæ ſuſtinendæ reprimendæque ſi non fuere pares Marcomanni Quadique, quid de pugillo Slavorum tuorum ſentias? quos quidem ante Attilam has regiones coluiſſe nego pernegoque, cum ad ejus uſque tempora Marcomannorum geſta legantur in hiſtoriis, ab eo tempore tanquam cum aliis pluribus vicinis gentibus Hermunduris, Nariſcis aliisque in puteum incidiſſent, nuſquam alias compareant, imo Slavorum memoriæ paulopoſt his terrarum confiniis non ſint obſcuræ, ut tum in Prodromo tum in hac Apologia jam oſtendi.

Pag. 113. III. At clementem te rurſum præbes, concedendum enim mihi, eſſe arbitraris, quod Attila Boemiam tranſierit: *Quale robur*, inquis, *pro firmandis ſuis conjecturis inde eliciet Cl. Gelaſius? Rediviſſe ſcilicet in hoc etiam caſu Slavi hi, quemadmodum & aliæ gentes victo Attila, quæ ſupererant, ad ſedes priores, in quas veluti quietus animi propenſione ferebantur, in iisque vitam a turbis remotiſſimam in beata ſimplicitate tantiſper agebant, partim Bojaronum, partim Woyewodarum, partim Zuppanorum paternum reſpicientes imperium, donec familia, opibus, noviſque etiam coloniis auctiores redditi Duces, Principes dein & Reges, e quibus plurimi ſupremum totius orbis Monarchiæ apicem conſecuti ſunt, eligere aſſuefacti fuerunt.* Portentis majora loqueris! ut

(a) Ekhart. Rer. Franc. l. 8. p. 92. & l. 10. p. 188.

ut Slavi ad Boemiam rediverint, ad quam ante ingreſſos, aut cujus prius incolas fuiſſe nuſquam demonſtraſti. Næ Lucifer tuus etiam ad Tartariam redeat, in quam nuſquam antea pedem intulerat. Ubi vero docuiſti, ubi idoneum teſtimonium attuliſti Slavos ante Attilam jam incoluiſſe Boemiam? αὐθεντικῶς loqueris. Satis eſt dixiſſe, ſatis, inquam, ut cum Plauto loquar: *ſi hac dicens ſubnixis alis magnifice exſeres.* Nempe non ſecus atque Orpheus barbiti tui ſuada feras, ſilvas, Saxa monteſque in verborum tuorum fidem trahas neceſſe eſt. Et tibi: LUCIFER.

. . . . quæcunque voles, narrare licebit:
Vera an falſa, reus nullo ſub judice fies:
Dum rigeat vultus, dum vox non hæreat unquam,
Fingere & intrepide diſcas. (a)

Quid præterea iſthic incogitans prolocutus es? Slavi Boemiæ, inquis, e Catalaunica Attilæ clade reduces *in beata ſimplicitate tantiſper agebant partim Bojaronum, partim Woyewodarum; partim Zuppanorum paternum reſpicientes imperium*: ubi ergo Czechus tuus Dux, ſi Bojarones, ſi Woyewodæ, ſi Zupani? Præceſſitne Czechus jam Attilam? minime, quoniam iſthic ais: tum demum Slavos Boemiæ *Duces & Principes eligere aſſuefactos, dum familia, opibus, noviſque etiam coloniis auctiores redditi.* Imo Slavis jam per quatuor ſæcula Boemiam occupantibus tum demum primum Anno 639. ſeu 644. Czechum in Boemia adveniſſe cum Kutheno & Hagecio ſtatuis. Ergo Czechus non eſt primus e Slavis ingreſſus in Bohemiam? ergo coloniæ immigrationiſque auctor non fuit & princeps? ergo dux tum primum electus, poſtquam per ſæcula quatuor Slavi Boemiæ ſub Zupanis ſeu ſenioribus populi atque idcirco Ariſtocratico imperio ſtetiſſent? Et quomodo hic tum demum dicuntur aſſuefacti Duces & Principes eligere, *dum familia, opibus, noviſque etiam coloniis auctiores redditi*, cum ante paragrapho V. contrarium plane univerſim de Slavis dixeris, principio omnes Monarchico imperio gubernatos, tum vero primum ad Ariſtocratiam deflexiſſe, *dum labentibus ſæculorum curriculis in eam multitudinem fuiſſent multiplicati, quæ vaſtiſſimo illi terrarum ſpatio, quod priſci Sarmatias dixere, par eſſet?* Quomodo Slavi tui Boemiæ uſque ad annum 639. ſeu 644. a Woyewodis, Bojaronibus, Zupaniſque regi ſoliti, atque tum demum Czechum Ducem elegerunt, cum eodem paragrapho V. hoc Optimatum imperium

Pag. 160.
Pag. 101.

(a) Lucius Sectanus Q. fil. Serm. 2.

Lucifer. Pag. 102.

nonniſi uſque ad annum 334. perduraſſe dicas? atque Zizai rege electo, continuo rurſum Slavos Monarchico regimine aſſuetos ſtatuas? hæres? hæres inquam? An non tanquam bombyx ipſe tibi caveam texuiſti? expedi te, ſi potes, his tricis pedicisque. Quid ex tot tantisque contradictionibus tuis aliud conjiciat, ratiocineturque eruditus orbis, quam plures fabros & artifices fuiſſe Lucifero tuo, ut quod prior ſcripſit, alter non legerit, ſeu non mente aſſecutus fuerit, ſeu facile memoria labi paſſus ſit, atque idcirco tot tamque pugnantia uno eodemque opere, nec magno paginarum intervallo profluxerint. Nec enim credi fas eſt, unum eundemque ſcriptorem judicio & ſana mente pollentem una bucca ubivis, non calidum & frigidum modo, ſed glaciem & flammam efflaviſſe, porro tam inæqualem variumque ſtylum ubivis ſectatum, ut cum prima tria folia literariæ militiæ tyrocinium quodpiam olent, ſubſequatur ſtylus non incommodus, mox velut debilitatus fractusque etiam in barbariſmos ſolœciſmosque deflectat, rurſum erigatur, atque ſic varia viciſſitudine inſtar lancis pendulæ jam attollatur, jam deprimatur. Fatearis itaque neceſſe eſt Luciferi tui, vitio capitis laborantibus cyclopibus adhibendam eſſe eam Senatus Conſulti medelam, quam malevolis & pruriginoſis Correctoribus Lipſius præſcripſit: (a) *Qui ſanari poſſe videbuntur, eos deponi in templo Æſculapii, quod in inſula eſt, ibique ellebori bibere quantum ſatis eſt. Qui non poſſint, eos in exilium ad Cimmerios deportari, ubi lucem non videant, & libros non legant.* Unum poſtremo hic eſt, quod te amice moneam: ne vocem *Bojaronum* ſeu *Bojarorum*, quam ſeu in Kollario ſeu Olao legiſti, tam antiquam deputes, ut præter ſcrupulum Attilianis temporibus adaptari poſſit. Vox hæc vix aliis gentibus quam Polonis Ruſſisque fuit cognita, nec uſpiam me illam in antiquiore legiſſe memini, quam in Paſſione Alberti pueri in Actis SS. Aprilis Tom. 2. p. 836. qua vel ipſe Polonus ſcriptor nihil aliud intendit, quam *nobiles inferioris ordinis*. Ceterum *Zupani* nomen poſterioribus ſæculis ad illuſtrioris dignitatis poteſtatisque titulum evaſiſſe, quodque antiquitus plurium ſeniorumque populi nomen fuit, demum Principi uni ſolique tributum fuiſſe, pridem in opuſculis meis docui oſtendique.

IV. Cum paulo ante dixiſſes Vir Cl. ſub familiæ opumque incrementum etiam Slavos Boemiæ aſſuefactos ad eligendum Duces ac Principes, ſubjungis prima ætate rem liberis ſuffragiis fuiſſe actitatam, dein-

(a) Juſti Lipſii Satyra Menippæa ſomnium.

me Lucifer equuleos & cruces ab hiſtoria trahis? perii! niſi bonus aliquis genius majores Libuſſæ mihi indit, & prudentia aſtutiave argumentum aliquod ſuppeditat, cur illa præ viro electa ſit? Sed ut brevibus me equuleo iſto & cruce expediam, cum primis comiter te Lucifer monendum cenſui, ut iracundiæ tuæ temperes, valetudinis enim tuæ adflictio orbi literario irreparabile allatura eſt diſpendium. Patere jam, ut paucula verba faciam, & quod mihi inter hæc crucis tormenta mens & memoria ſuggerit, expromam: Majores, ſeu, ut cupis, patrem matremque Libuſſæ penitus ignoro, quia eos etiam ignoravit Chriſtannus unicus in his magiſter & præceptor meus, ignoravit is imo etiam Libuſſæ nomen, Pythoniſſam ſeu Aruſpicem & ſortilegam, nomine nonniſi appellativo prodidit Virginem illam, quæ Przemyslao nuptui tradita eſt a primis Slavis Boemiæ, interpolata & poſteriora ſunt Chriſtanni exemplaria, quæ Libuſſæ nomen exprimunt, quod poſteriores quique pro appellativo Slavice idem connotante adjecerunt. Itane vero tamdiu excruciandus ſum, quousque alios Libuſſæ majores a Croco non adduxero? Apprime novi omnes tui ſimiles ſciolos eam tyrannidem in aliorum dicta & ſcripta exercere, ut quisquis opinionibus veſtris refragetur, huic crucem figatis, & velut pro tribunali ſedentes equulei, crucisque reos condemnetis. Ediſſere vero mihi omniſcie Lucifer, quis Czechi fuerit pater materque? quis Croci? quæ mater Libuſſæ? qui genitores Przemysli? Suntne tibi in pera tua tam vetuſtæ germanæque merces? dicamne etiam te excruciandum, quouſque eos non adduxeris? Quidni amabo vel tui cauſa, ut ne mecum excrucieris, dignum me jam deputabis, ut cruciatu meo liberer? Ad alterum ut veniam, reſpondeamque: *cur Bohemi Lybuſſam præ viro elegerint pro rectore ſuo?* Malum! & hic Davus ſum non Oedipus, vis conſcientiæ me cogit fateri, quod ignorem, quia & idem ignoravit Magiſter & Præceptor meus Chriſtannus, qui ſolum dicit: ab ipſa Slavos Bohemiæ *peſtilentiæ cladibus attritos, ſpem conſilii, reſponſumque divinationis poſtulaſſe*, de Principatu ac Rectoratu tuo altum ſilet, eumque primo omnium Przemyslo defert, cui dein Pythoniſſam hanc; ſeu Libuſſam matrimonio junctam ſcribit. Si vero *ſpem conſilii aut reſponſum divinationis* poſtulare, eſt *eligere* ac *creare* rectores, næ tu Lucifer tot nobis Duces rectoresque facturus es, quot flamines, aruſpicesque in hiſtoriis Græcorum, Romanorum, Germanorum, aliarumque gentium imo & ipſorummet Slavorum legimus. An vero vel Coſmas uſpiam Libuſſæ, titulum munusque Principis ante Przemysli nuptias tribuit? judi-

Lucifer.

LUCIFER. dicem nonniſi appellat, ſic enim ille: *Et quia populo multa & certa prædixit futura, omnis illa gens commune conſilium iniens, patris ejus poſt necem hanc ſibi præfecit judicem.* Sed quali & qua poteſtate judicem? non majori, quam ante fuiſſe Crocum idem perhibeat Coſmas, dum ait: *Quicunque in ſua tribu vel generatione perſona moribus potior, & opibus honoratior habebatur, ſine exactore, ſine ſigillo, ſpontanea voluntate ad illum confluebant, & de dubiis cauſis ac ſibi illatis injuriis ſalva libertate diſputabant. Inter quos vir quidam oriundus exſtitit nomine Crocco .... ad quem tam de propriis tribubus, quam ex totius provinciæ plebibus, velut apes ad alvearia ita omnes ad dirimenda convolabant judicia.* Nempe ut ante ajebat: *ſpontanea voluntate, & ſalva libertate.* Non eſt itaque, quod mihi indigneris Lucifer, indignare Chriſtanno, indignare Coſmæ, qui me hæc vera patriæ hiſtoriæ rudimenta docuere, nec diffido te pro innata tua clementia jam mihi veniam conceſſurum, ut tandem hac ſeveriſſima cruciatus pronunciata ſententia abſolvar, aut ſi in furore ad torquendum & cruciandum obduruit animus tuus, verbis Petronii Arbitri te *rogo, ſi quid triſtius paras, celeriter confice, neque enim tam magnum facinus admiſimus, ut debeamus torti* (cruciati inquam) *perire.*

Ad §. X.

Pag. 115. I. Finem pertinaciæ non facit Lucifer tuus, concedit nemini, ejus animo obſtinata in ſententia voluntas callum obduxit, Duces ille nobis contra omnium veterum fidem contumaciter ante Przemyslum obtrudit, & jam eorum catalogum texit his verbis: *Hos inter* (Duces ſeu Principes) *merito priſcus ſcriptor ille Coſmas Boemo ſuo, quem poſteriores Czechum dixere, principem locum tribuit, ſecundum Croco, tertium natu minimæ Libuſſæ.* Coſmasne hos tres Principes aut Duces facit? ubi, ubi is locus? eum enim cognoſcere ac legere quantus quantus ardeo. Quidni eum indigitaſti? tibi profecto aliud a noſtro Coſmæ Chronico oportet eſſe in manibus, nam Manuſcripta, quæ ego triplicia vidi, quæque Freherus, Menkenius, & Typographus Pragenſis excudit, nuſpiam horum trium aliquem Principem aut Ducem appellant, non ſecus atque Chriſtannus hanc Ducis aut Principis prærogativam primo ſolique Przemyslo concedunt, eam in rem in Prodromo meo alia facile decem vetuſta Manuſcripta adduxi. Quo vero nomine compellat Coſmas Boemum, quem dicis a poſterioribus Czechum dictum? *Senioris*, non amplius. Audi Coſmam loquentem:

Tunc

Tunc ſenior, inquit, *quem alii, quaſi dominum comitabantur &c.* Et rurſum: *Tunc ſenior motus ſociorum* (non ſubditorum, aut populi ſui) *augurio cœpit terram oſculari præ gaudio &c.* Et dein horum Slavorum veterum Boemiæ, qui cum Boemo in Hercyniam ſilvam primi ingreſſi fuerant explicatis moribus ac barbarie, mox ſubdit: *His ac talibus malis emergentibus* (nimirum propter habendi cupiditatem exortam) *de die in diem pejus & pejus injuriam, quam nemo prius inferre norat, alter ab altero ſibi illatam patienter ferebat, & cui querimoniam ſuam applorarct, judicem nec Principem habebat.* Qui ergo Boemus ille Dux aut Princeps, cum nec judicem, nec Principem haberent, cui querimoniam ſuam applorarent? Sed verba hæc poſteriora Coſinæ, de *interregno* accipienda eſſe mones, quod poſt mortem Boemi illius evenit. Ubi vero prius Coſinas mortis hujus *Boemi* meminit? ut ad hoc futile ſubterfugium recurrere audeas? Si autem tibi obſcurus viſus hic Coſmæ locus, unde ejus elucidationem, quam ex Chriſtanno principe hiſtoriæ noſtræ repetere debuiſti? quem ſi adiiſſes, aut intelligere voluiſſes, legiſſes ſane uſque ad Przemyslum Boemiam *ſine Rectore* ac *Principe* fuiſſe, ut hoc tuum interregnum poſt illum *ſeniorem*, *ſociumque* immigrationis, adeoque ante *regnum* aliquod aut Principatum Chymæræ & & hirco-cervo ſimile ſit. Haud aliter nuſquam Coſmas ſeu Crocum ſeu Libuſſam Principis aut Ducis titulo nobilitavit, quod jam antecedente paragrapho ex ipſo teſtatum fecimus; cum Chriſtanno enim uni ſolique hanc prærogativam Przemyslo adſcribit. Et quid ſi Boemus ille, Crocus & Libuſſa Principes ac Duces jam fuere, quid, inquam, opus fuit dehortatoria illa Libuſſæ ad populum oratione apud Coſmam eundem, ut ne ſibi Principem Boemi eligerent? quid opus fuit fabulam illam de ciconia & ranis ex Æſopo, quid tot juris Ducalis terriculamenta eorum oculis auribusque opponere? quid denique opus fuit populum a ſumma ſua libertate in ſervitutem ruentem hac paræneſi & emphaſi alloqui: *O plebs miſeranda! quæ libera vivere neſcit, & quam nemo bonus niſi cum vita amittit: illam vos inviti libertatem fugitis & inſuetæ ſervituti colla ſponte ſubmittitis. Heu tarde fruſtra vos pœnitebit &c.* An non hæc libertas jam ſub Libuſſa amiſſa fuit, & ſervituti colla ſubmiſſa fuere, ſi ſuperiores Crocus & Czechus ſeu Bohemus jam Ducale nomen & munus geſſere? Sed veriſſime Arrianus: (a) *Si quis res evidentiſſimas oppugnat, adverſus hunc nulla facile ratio reperietur, qua dedu-*

Lucifer.

(a) Arrianus l. 1. c. 5. in Epictetum.

LUCIFER. *catur a ſententia ſua, neque vero illud accidit vel facultate illius, vel imbecillitate docentis, ſed quod quis captus, atque in lapidem converſus fuerit.*

II. Ad aliud magis inſulſum ſub Paragraphi iſtius finem Lucifer tuus frœnis ſuis relictus provolat, ſic enim ille: *Si igitur & Czechium,* Pag. 116. *& Crocum, & Libuſſam de numero Ducum Boemiæ libet delere, conſectaneum eſt a Slavis Boemiæ Duces, Principes, aut Reges nunquam libere optatos, ſed eisdem fuiſſe perpetim natos, quod utrum cum libertate veterum Slavorum conveniat Cl. Gelaſius viderit. Attamen caveat, ne a quorundam perduellium jam alias ab Auguſtæ memoriæ Ferdinando II. voto gladioque noſtrorum Inclytorum Procerum damnata ſententia ſenſui ſuo roget patrocinium.* Credamne mentis ſanæ compotem hæc prolocutum Luciferum tuum? an potius furiis & deliriis agitatum effutiiſſe? *Quid tibi vis*, quærere liceat cum Juſto Lipſio, (a) *hoc longo tuo & laciniosſo ſcripto? nihil. Nugas & nebulas verborum offundis, & dimiſſa ubique vera mente mea, aliam oppugnas, & ad ſummum imaginarium tibi ſtadium exſtruis, & miſerum Lipſium* (pedum vitio laborantem) *adjungis, cum quo decurras.* Ad quæ ſæculis nusquam audita ſophiſmata, ne Sycophantias dicam, dialecticæ tuæ præceptis abuteris? Itane quia Czechum, Crocum, Libuſſamque, non tam ego quam Coſmas & Chriſtannus Duces aut Principes Bohemiæ fuiſſe inficiantur, conſectaneum eſt a Boemis nunquam Ducem aut Principem aliquem libere populi ſuffragiis optatum? Quis igitur erat Przemyslus? quo ille ſucceſſionis jure natus? illene nativitate an libero populi ſuffragio Principatum aſſecutus eſt? Vah me infelicem! cum tota hac apologia experior negotium mihi eſſe cum homine, cui cerebrum omne eſt in lingua & calamo. Non legiſti ante in allato a me Chriſtanni loco Slavos Bohemiæ reſponſione Pythoniſſæ ſibi Przemyslum ab agricultura Principem optaſſe? nunquid rus & ager eum fecit naſci Principem, antequam Principis umbram noviſſet Bohemia? Alium tibi Lucifer quemquem de venalium Cappadocum grege quære, quocum diſputes, mihi te vincere inglorium eſt. Quid vero me intemperanter commonefacis, ut caveam, ne a perduellibus rogem patrocinium? cui rei rogem? liberæ in gente noſtra electioni? an me tam papilionem credis, ut tecum incogitans ubivis aduram alas, aut bruchum, qui in omnem parietem tecum allidam caput? ipſe tuis monitis & præceptis utere, nam nulla re magis eget ingenium tuum quam moderatore ac monitore, qui mox ſequentis paragraphi initio mor-

(a) Juſtus Lipſius adverſus Dialogiſtam.

morbi iſtius contagione te multum inquinaſti, cum ſcribis: *Omni procul dubio liquet gentem Slavorum a prima ſui inſtitutione in Monarchiam Ariſtocratiæ temperatam fuiſſe propenſiorem, Ducesque ſuos ſumma libertate optaſſe, quos ſibi naſci nonniſi noviſſimis temporibus paſſa fuerit.* Quæ hæc *noviſſima tempora?* An jam Przemyslus & Libuſſa ſuis pene infinitis apud gentem meritis non effecere, ut eorum ſoboles progeniesque *nati, hereditariique Principes* æſtimarentur? *ſciatis*, (inquit, jam ipſe Przemyslus apud Coſmam L. 1.) *ex noſtra progenie multos dominos naſci, ſed unum ſemper dominari.* Plura exaggerare non libet, nec enim argumentum hoc ſpinoſum ad Politices, Jurisque peritos magis quam hiſtoricos ſpectans attigiſſem, niſi me rerum mearum vindiciæ, Luciferique tui procacitas ad id impuliſſet. Lucifer. Pag. 117.

Ad §. XI.

I. Nihil Lectori hac tota apologia magis tædio futurum arbitror, quam quod exſaturaris ſtomachis vi quadam iidem crebro ingerantur cibi, alio nempe atque alio jure, verborum, inquam, ſolo condimento, diverſi. Quoties non de *Boemo* illo Coſmæ diſputatum? quoties oſtenſum Dalimili errore nomen appellativum proprio ſubſtitutum? quoties probatum memorias Boemi illius Czecho minime competere, Czechumque nonniſi Sæculi XIV. inventum eſſe? Ne igitur cum nauſea faſtiditas pridem eſcas regerat Lector, ad multo ante dicta eum remittimus, reperturus ſic omnia exhauſta tantumque debilitata, ut ſcenam viſurus ſit infeliciſſimi hoſtis, proſtrati, inquam, manibus pedibusque truncati, qui ſolo adhuc linguæ uſu inſtructus victori maledictis audet obſtrepere, aut certe ſimulacrum cujusdam pervicacis Bacchæ, quod his verbis deſcribit Plautus: Pag. 117.

Bacchæ bacchanti ſi cupis adverſarier,
Ex inſana inſaniorem facies, feriet ſæpius.

Illud tamen hic non prætermittendum: falſum eſſe, quod Coſmas Chronicon ſuum a Czechis ſeu Slavis Boemis ordiatur, ipſe enim in epiſtola ſua ad Gervaſium de ſuo Chronico loquens, ait: *Igitur hujus narrationis ſumpſi exordium a primis incolis terræ Boemorum.* Quod re ipſa dein opere executus eſt, dum hunc Boemum ſuum primum poſt diluvium ſtatuit Hercyniæ ſilvæ incolam, antequam aratrum terram tetigiſſet. Quod alterum eſt: Lucifer Coſmam excuſaturus, cur vo-

LUCIFER. cem *Boemus* Czecho ſubſtituerit, inquit eum tanto latini ſermonis aſſiſſe ſtudio, ut nihil vehementius cuperet, *quam ut Chronicon ſuum ex integro latialius reddatur.* Papæ! colliquias vitans Lucifer in lacunam incidis: Quem leporem? quam vim elegantiamque latinæ linguæ Coſmam in voce *Boemus*, voce inquam propria barbara, quæſiiſſe dices? an non vox *Czechus* æque latina atque *Boemus?* ſervavit Coſmas tot primigenias proprias voces Slavicas Premisl, Nezamisl, Crezomisl, Borivoj, Woytiech, aliasque plurimas, quin vel eas ultimæ ſyllabæ inflexione in *us* latinas reddidiſſet, aut ex Slavica ſua ſignificatione per verba *Præmeditans*, *incogitans*, *& acriter cogitans &c.* latine explicaſſet, quid ei tantus latinitatis vitiandæ ſcrupulus in ſervanda primigenia voce *Czech* ſuboriri potuit? Quis enim hactenus in barbaris propriis vocibus latinitatis accurationem obſervandam eſſe docuit? ad quas ſummum exitus latinus deſideratur, qua ſola conditione expleta vox quæque demum barbara civitate latina gaudet. Imo quantum vitium ſit ejusmodi propria nomina corrumpere, ut ne primigeniis ſua veſtigia maneant, jam ante ex Aventino cognoviſti. Quod tertium eſt: erroneum quoque eſt cum ſcribis: *Chriſtannus gentem noſtram non ſub Slavorum Boemiæ nomine, ſed hominum Boemorum, contra quam putaverat Cl. Sclaſius, prodidit.* Qui enim putare poſſim, qui hoc ipſum in Codice Trebonenſi legi? quemadmodum id ipſum fideliter a Balbino redditum eſt? qui idem habet MS. exemplar, quo Bollandiani uſi? qui tertium, quod apud piiſſimæ memoriæ Reverendiſſimum Bonaventuram Piter Prælatum Rayhradenſem contuli? in quibus tribus exemplaribus eadem prorſus verba leguntur: *At vero Slavi Boemiæ ipſo ſub Arcturo poſiti &c.*

Pag. 119. [margin note beside "Quod tertium"]

Pag. 120. & 121. II. Quam percuperem Vir Cl. ſolo tecum mihi eſſe ſermonem & negotium, ut propoſito uno veritatis ſcopo pro ſæculi iſtius civiliſſimis ac urbaniſſimis moribus utrinque argumenta noſtra amice modeſteque labefactaremus, infirmaremus, convelleremusque; *refelleremus* inquam ex Ciceronis monito *ſine pertinacia*, *refelleremur alterne ſine iracundia.* Verum immiſcet ſe ſe ubique, turbatque hoc optimum tranquillitatis humanitatisque ſtudium Lucifer tuus, & mentem meam nulla re minus quam atra bile laborantem cavillis probrisque ſuis irritat.

Fallor? an eſt, qui me ſonitu interpellat acuto?
Denuo . . . . adeſt, & tintinnabula forte
Obtinuit, miſero jam pridem debita collo. (a)

Rur-

(a) Lucius ſectanus Satyr. ſermone ſecundo.

Rurſus enim de Bojo illo Sigoveſo (quem ego ſub *Boemi* nomine a Coſma prodito per umbras quasdam veteris ſenilis fabuloſæ relationis conſervatum indigitatumque ſuſpicatus ſum) ſtuporibus, hæſitationibus dubiisque riſus & ſarcaſmos interſerit. Sed pridem & multoties quidem hos ſcrupulos, illas, quas criminatur, contradictiones, tanquam moleſtas inſultantesque muſcas depulimus, & tenui muſcario ad internecionem uſque delevimus. A cavillis, ut paſſim facere ſolitus, ad nova probra deſcendit, dentemque in ſcholiis ſuis adverſum me denuo ſtringit, quod Æneæ Silvii locum depravaverim, cumque Silvius de Czecho locutus fuiſſet, eique agriculturæ ſcientiam & magiſterium attribuiſſet, ego id temere illius coloniæ & populo adſcribam, quare prolatis tam Æneæ Silvii, quam meis ex Parte II. Annal. Hagec. verbis, iisque collatis cum acrimonia ſubjicit: *Quis hic legitimum partum a ſuppoſititio non diſcernat? quod magiſterium Sylvius attribuit Duci Czechio, hoc Rude Gelaſius donat plebem: Sed plebs hæc, quam docuit plebem? Bojosne an Marcomannos? Non eſt nempe datum noſtro ſcriptori genuinos authorum nobis ut promat textus.* O Lucifer! quis tandem maledicentiæ tuæ finis erit? velut calx affuſa aqua perpetuo in fermento es, fervesque, cujus effrænes impetus nec verecundia, nec ratio, nec æquitas cohibere poteſt. Tune omnem fidem meam pedibus tuis proculces, infringas, atterasque omnem operum meorum exiſtimationem? Tune auſis dicere mihi datum non eſſe, ut genuinos authorum promam textus? ubi? ubi ſunt illi textus, quos genuinos Lectori non prompſi? ſed procul dubio omnes corrupti ſunt, cum mihi datum non eſſe calumnieris, ut *genuinos promam*? An non cum Juſto Lipſio adverſus Alaſtorem ſuum Dialogiſtam quoque exclamem: *Teſtor Deum & homines, poſt calumniam natam turpiore & apertiore calumnia neminem petitum!* Protuliſtine vero hactenus vel unius textus a me relati vitium, quod non vel impoſturæ, vel invidiæ, vel inſipientiæ conviciſſem? An non ubivis criminationes tuas dilui, eliſique? an non oſtendi totam lucubrationem tuam eo ex profeſſo adornatam, ut aliam mihi mentem ſententiamque affingas, omnia ad popularem invidiam deflectas atque torqueas? Sed videamus jam in hoc Æneæ Silvii textu ſtigma & maculam infidelitatis, quam mihi inuris, quamque maligne ad omnes textus meos trahis: Et ante omnia quidem falſum eſt, quod ego Parte II. Annalium meorum pagina (non quidem 20, ut tu oſcitanter adnotas, ſed 29) textum Æneæ Silvii adferam. Verbis ibidem meis loquor, ut Lectoris æquus cognoſcet oculus, eadem enim typi & cha-

Lucifer.

Pag. 121.

racte-

LUCIFER. racterum forma utor, quibus alias verba mea in Annalibus excuſa ſunt, non minutioribus aut majoribus, quibus ubivis authorum ſententias exprimere ſoleo. Qui igitur oblatrare auſus Æneæ Silvii textum 101 genuinum a me promtum? Verbane mea ſunt textus Silvii? *Partumne ſuppoſititium pro legitimo* obtruſi? ſed obſtrepes, dicesque: me tamen hoc loco provocare ad Æneam Silvium? Sed an textum illius recito, ut argumentationem ad omnes textus meos minus genuine promtos efformes? Edoce me, quod in verbis meis vitium? quæ depravatio? num verba mea menti Æneæ Silvii adverſa ſunt? Atqui, inquies, adverſa ſunt, cum, quæ is ſoli Czecho attribuit, ego toti coloniæ adſcribam: Itane Czechus non erat unus ex hac prima Slavorum Boemiæ colonia? an non ille teſte Coſma *ſenior ſociorum*? quod hoc piaculum, quod ſcelus, cum factum Czechi cum ejus Sociis communico? Quid mihi ſeritur, quid metitur, ſive Czechus unus ſolusque, ſive ille cum ſociis ſuis, ſive ſocii ſoli magiſtri illi agriculturæ fuerint, qui ſuperſtites in Boemia veteres indigenas arare docuerint? ut propterea tantam fraudem maculamque fidei & exiſtimationi operum meorum illinas, ac in famoſo illo Indice tuo de me plane conviciosiſſime ſcribas: *Æneam Silvium falſificat*? An non hæc phraſis omnibus hiſtoricis communis ac uſitatiſſima, & a te ipſo hoc opuſculo creberrime uſurpata, ut Principum facta univerſæ genti, contra populi gentisque facta Principi adſcribantur? Si hac indigna cenſura tua metienda omnia, fraus eſt & piaculum provocare ad Titum Livium, ac ſubjungere: Bojos colonias duxiſſe in Hercyniam Silvam, cum Titus Livius id proprium factum Sigoveſi fuiſſe doceat? Crebro in rebus ejuscemodi, cum verba ipſa authorum non referuntur, non ſpectantur illorum verba, ſed mens. Magis autem credibile Æneam Silvium non tam unum ſolumque Czechum intendiſſe, quam totam illius coloniam; præmittit enim illum cum tota familia ſua veniſſe in Bohemiam. Dicesne vero Lucifer unum ſolumque fuiſſe Czechum, qui agriculturæ magiſterium callebat? an ille cum nemine ſuorum hanc artem, operamque partitus? An nullus ſociorum ſuorum arare, ſerere, aut metere ſcivit? qui factum, ut Czechus unus ſolusque hanc artem in Croatia didicerit, ex ſexcentis ejus ſociis nemo unus? qui igitur inquit Dubravius L. I. de his ipſis Czechi ſociis: *Croatæ erant tam ædificare, quam agros colere docti?* Apage cum ineptiis tuis & maledicentiis, non erat neceſſe Æneæ Silvio id exprimere, quod quisque vel mica prudentiæ præditus ſubintelligi videt. Cum porro ex me quæris, quam plebem, Marcomannos an Bojos ara-

arare docuerit Czechus ſeu illius colonia? reſpondeo nec hos nec illos. LUCIFER.
Verba enim hæc Æneæ Silvii non majorem fidem merentur quam Czechus ipſe in hiſtoria patria, quæ ille ex turbidis fontibus hauſit. Sane ex Tacito clarum perſpicuumque habemus, jam Bojos & Marcomannos agriculturæ fuiſſe peritos, ut ſomnia poſteriorum ſint, hanc artem primum a commentitio illo Czecho in Boemiam invectam. Hinc recte ſarcaſticeque Balbinus: (a) *An credibile eſt, quod omnes tum populi, vicini æque ac remoti norant, terram ad ſegetes præparare, id Bohemos ignoraſſe, & niſi a Czecho docerentur, etiam pane cárituros?*

Unum in ſupra relatis verbis tuis non tam hiſtoricum, quam grammaticum peccatum diſſimulare haud poſſum, cum ais: *quod magiſterium Sylvius attribuit Duci Czechio, hoc Rude Gelaſius donat plebem.* Pag. 121. Quid hoc monſtri *rude donat plebem*? an tibi idem quod magiſterium dare? Quis te hujus adagii ſignificationem docuit? Ut igitur poſthac cautius, rectiusque eo uti poſſis, jam noveris *rude donare*, nihil aliud connotare, quam *ceſſare, ad quietem ſe dare, & quandoque exauctorari.* Adi Eraſmi Roterodami librum Adagiorum & ſub Tit. *perficiendi ſive abſolvendi* pag. m. 1460. hæc leges: *Rudem accipere pro dimitti a munere: Rude donare pro dimittere, crebriter apud idoneos authores obvia ſunt. Inde ducta metaphora, quod antiquitus gladiatores, quibus permiſſum erat a gladiatorio munere ceſſare, rude donati dicebantur. Ea ceſſatione dabatur virga, quam rudem appellabant: unde hoc dimiſſo rudiarii vocantur. Proinde quicunque a munere quovis in otium reſtituuntur, vel ob ætatem vel ob imbecillitatem, rudem accepiſſe dicuntur. Hinc Horat. 1. Epiſt.*

Spectatum ſatis, & donatum jam rude quæris
Mecœnas iterum me antiquo includere ludo.

Et Juvenalis: *Ergo ſibi dabit ipſe rudem, ſi noſtra movebunt*
Conſilia.

Denique Ovidius: *Sic igitur, tarda vires adimente ſenecta,*
Me quoque donari jam rude tempus erat.

Diſce & aſſueſce Lucifer carpi, riderique, qui omnia tua ad carpendum & cavillandum accomodas. Nempe ut Poeta inquit:

Vis ſæpe vi depellitur, riſus riſu.

III. Ad illud elidendum ſtylum convertit Lucifer: quod dicam, probemque Coſmam *Boemum* ſuum & gentis noſtræ incunabula non niſi

(a) Balbin Dec. 1. l. 2. c. 9. p. 26.

LUCIFER. ex *ſenum fabuloſa relatione* hauſiſſe, quod tanquam *meram conjecturam nulla ratione aut authoritate nixam* explodit. Oculorum lumine orbum oportet eſſe Luciferum tuum, qui ipſam lucernæ ſuæ lucem non videat, qui enim clariſſimum Coſmæ teſtimonium tenebras conjecturamve auſit appellare? An non verba illius in epiſtola ad Gervaſium Magiſtrum, Chronico ſuo præmiſſa luce ipſa clariora ſunt? *Igitur*, inquit, *hujus narrationis ſumpſi exordium a primis incolis terræ Boemorum, & perpauca quæ didici, ſenum fabuloſa relatione, non humanæ laudis ambitione, ſed ne omnino tradantur relata oblivioni, pro poſſe & noſſe pando omnium bonorum dilectioni.* Iſtud ſi tibi Lucifer conjectura eſt, quid dicam, quam lucem tenebras, & tenebras Lucem tibi eſſe? quæ authoritas gravior, certior, clariorque, quam hæc ipſa Coſmæ optari poteſt? Coſmæ, inquam, primi patrii hiſtorici, qui primus omnium hunc *Boemum* ejusque ingreſſum in Hercyniam Silvam prodidit. Non vero ajo *Czechium ſub nomine Boëmi ex ſenum fabuloſa relatione a Coſma fabricatum*, ſed Dalimilum poſterioresque ex *Boëmo* illo procudiſſe *Czechum*; qui enim ſeu Coſmas ſeu ſenes illi cognitionem aliquam Czechi habere potuiſſent, qui poſt tria primum ſæcula cerebro poſteriorum enatus, niſi ſenes hos vates fuiſſe dicas, & Coſmam divinationum libros ſcripſiſſe? Non diſputo, non controverto cognitum jam fuiſſe Coſmæ temporibus, quod Boemi aliter Czechi, & Boemia aliter Czechia appellata, utrumque denique gentile nomen jam tum pro arbitrio uſuale ac convertibile fuerit, at iſtud nego, iſtud inficior: nomen proprium *Boemi* omniumque primi incolæ Hercyniæ ſilvæ recte a poſterioribus per Czechi Slavi gentile nomen potuiſſe explicari. Ceterum quis non miretur incogitantiam tuam, cum arguta ris vel eo nomine fabuloſæ illi ſenum apud Coſmam relationi vim, fidem, certamque veritatem ineſſe, *quod vetuſta ſit*: quaſi vetuſtis fabulis deſtitueretur orbis, aut fabulæ in hiſtoriæ veritatem temporum longinquitate tranſirent. *Quod initio* (inquit Juris Brocardicum (a)) *vitioſum eſt, tractu temporis non convaleſcit.* Prius murem felemque in leonem transmutaveris, quam fabulam in hiſtoriam. Si temporum longinquitas veritatis quodpiam meritum deferat fabulis, næ profecto jam omnes tam vetuſtas Græcorum Romanorumque fabulas oportuiſſet tranſiiſſe in hiſtorias. Non diſputo tamen ſæpius ejusmodi incertas fabuloſasque veterum relationes relinqui in medio, cum contrarium vetuſtis monumentis oſtendi nequit

cum

(a) c. neque firmatur. 18. de reg. jur. in 6.

cum hiſtoriis illorum temporum non repugnant, at fabulæ locum præ hiſtoria concedere, propter ejusmodi quanquam vetuſtas fabuloſas relationes fidem gravium coævorumque authorum evertere, monumenta quævis antiqua ſeu deſpicere, ſeu adunco naſo ſuſpendere, ſeu plane temere convellere, id a critices & ſanæ prudentiæ præceptis eſt alieniſſimum. Scilicet tu nullo ſatis encomio celebranda hiſtoria LUCIFER.

Sola fucatis variare dictis
Paginas neſcis, ſed, aperta quicquid
Veritas prodit, recinis per ævum
ſimplice lingua. Foca Grammat.

IV. Tandem quod bonum, felix, fauſtum, fortunatumque ſit, ad id, quod caput & cardo rei eſt, pertingis Vir Cl. ad patria videlicet monumenta, quibus Czecho tuo veterem poſſeſſionem in Annalibus noſtris te ſtabiliturum polliceris. Ego vero non tam duro ac refractario ero ingenio, ut ne ipſe tibi Pæana occinam, ipſe victus vinctusque triumphalem quadrigam tuam præeam, palmas laurosque per compita tibi ſubſternam, ſi ſincera ex ea antiquitate, quam hiſtoriæ præſentis argumentum expoſcit, produxeris. Primum igitur aheneum murum tuum ſpectare libet: *Hinc eſt*, inquis, *quod priſca quædam, ac ipſo Coſma non multo poſterior manus in MS. Chronico Coſmæ* (addere conveniſſet: *Chartaceo*) *quod in Curiæ Archiepiſcopalis Pragenſis Archivo ſub fide jurata aſſervatur, in margine e regione Boemi* Tſeh, *& ex adverſo ubi a Coſma ponitur Bohemia adſcripſerit* Tſehia; *ut plus quam noctuam eſſe oporteat, quæ ad tam fulgidum ſolis jubar cæcutiat.* Sane non diffiteor ita perſuaſum eſſe naturæ animalium ſcrutatoribus noctuas ad fulgidum ſolis jubar cæcutire, ſed quoniam Lucifer tuus perpetuo verſatur in tenebris, ac pertenue, nullumque eſt Lucernæ ſuæ lumen, fortaſſis noctuæ hæ Chronici iſtius manuſcripti ætatem clarius videbunt, feliciusque detegent. Verum omnia, quæ circa codicem hunc diſputas, audiamus, ut de re certius judicium formari poſſit. Authorem itaque illum, qui in hujus manuſcripti margine vocem *Tſeh* & *Tſehia* appoſuit, indubie his verbis prodis: *Anonymum hunc opinor eſſe ipſum Magiſtrum Gervaſium, cui Coſmas Chronicon ſuum & radendum, & corrigendum, atque lutialius reddendum detulit* . . . . . *Favet huic meæ conjecturæ præterea tum character ſeculo Coſmæ conveniens, tum plurimæ marginales emendationes, ac nominum ſubſtitutiones, quæ neque in Metropolitano Pragenſi, neque in Dresdenſi a Menkenio edito reperiuntur: Favet denique Excellen-*

Pag. 122. & 123. Pag. 123.

LUCIFER. *cellentiſſimus magnæ recordationis limatiorum ſtudiorum Promotor D. Antonius Wokaun Epiſcopus, Suffraganeus & Vicarius Generalis Officialisque Pragenſis, qui MS. codicem hunc optimis Metropolitano Pragenſi & Dresdenſi ex hac eadem ratione ſemper tanquam meliorem prætulit, eundemque proprio ſuo nomine in teſtimonium veritatis (uti hodie cernere volenti legere licet) nobilitavit.* Heu actum eſt de me! quid hoc manuſcripto codice antiquius? quid hoc teſtimonio verius convincentiusque? Quidni jam ipſe *Czechi* tui ſimulacrum longa aurea haſta defigo, & tanquam præcipuum victoriæ tuæ monimentum triumphali currui tuo rubore perfuſus præfero? At at ſiſte gradum aliquantiſper mi ſuperciliose triumphator! adſtringe nonnihil fræna alborum equorum tuorum, quibus veheris, ne ægre fer, quod curſum felicitatis tuæ morer & interturbem, ſuſtine inquam, ut vel verbis aliquot te auſim alloqui. Noſtine ex hiſtoriis Romanis in eadem triumphali quadriga a tergo victoris ſtare ſolitum mancipium (uti in numis omnibus id excuſum reperturus es) quod manu altera auream coronam ſuper cervicem triumphatoris exporrigebat, altera flagellum nolæ junctum tenebat in monimentum incertæ variæque fortunæ; nempe ut memor eſſet: fortunæ viciſſitudine ſe e curru triumphali ad flagra, ipſamque mortem (cujus nola ſymbolum indiciumque erat) deturbari poſſe. Hanc nolam, hoc flagrum ego tibi oſtendo, ac multo ante prænuncio, triumphalem tuam trabeam cum lauro cervice tua deturbandam. Vidi ego hunc codicem chartaceum, cum adhuc in manibus eſſet Reverendiſſimi ac Excellentiſſimi, æterna mihi memoria recolendi, D. D. Antonii Wokaun utriusque Sacro-Cæſareo-Regiæ Majeſtatis Conſiliarii Intimi atque Actualis, ſcio ab eodem mutilum magnaque parte truncatum primum detectum prolatúmque, ſcio Ejusdem Excellentiſſimi induſtria factum, ut, quod illi deerat, ex altero membranaceo Coſmæ codice Archivi Metropolitani ſuppleretur, atque ita, recentiore ſuperiorum annorum adjecto charactere, integritati ſuæ reſtitueretur. Et ne dubites, codicem a me viſum, revoca in memoriam: cum aliquando te inter atque me controverſia exorta eſſet de recta veteri ſcriptione vocis *Rzip*, me ad hunc codicem provocaſſe, monuiſſeque: inſpiceres, reperturum ſcriptam hanc vocem *Rip* non *Rzip*. Vidi itaque hunc codicem adhuc vivente ſupra fato Excellentiſſimo D.D. Epiſcopo, quanquam ultro fatear, me eum legendo non excurriſſe, ſed obiter modo inſpexiſſe, ac quid comprehenderet, excuſſiſſe. Vidi illum poſt obitum illius in manibus tuis primum quidem in hoſpitio tuo Hradczanenſi,

tum

tum in altero ante Pontem pulvereum, tum in tertio, quod erat a tergo ſacrarum ædium Divi Georgii, humanitatique ac benevolentiæ tuæ hoc teſtimonium debeo, quod venia tua ter quaterve mihi quæpiam ex eo tumultuarie legere indultum fuerit. Verum tune Vir Cl. huic codici eam antiquitatem vindices, ut marginales illas voces *tſeh* & *tſchia*, quas ipſe poſteriore manu ſcriptas non diffiteris, tibi perſuadeas non multo poſteriores eſſe Coſmæ ætate, imo a Gervaſio Magiſtro Coſmæ coævo ſcriptas deputes? Non inficiaturus es nobis Chronicon hoc in *charta linea* ſcriptum eſſe, quam ego oculis hiſce vidi, manibusque contrectavi, aliique id ipſum rite obſervarunt. Noſtine vero, quo ſæculo *charta linea* inventa ſit? Legiſtine quempiam, qui ejus initia ad ſæculi XII. principium, quo vixit Coſmas & Gervaſius, rejecerit? Chartam Niloticam, bombicinamque majorem ætatem *chartæ lineæ* ferre nemo hactenus controvertit, at *chartam lineam* vix ante ſæculum XIV. uſum obtinuiſſe rei Criticæ antiquitatumque periti paſſim ſentiunt, & exemplis demonſtrant. Audi, quid loquatur doctiſſimus Abbas Gotwicenſis in ſuo Chronico, (*a*) cum relatis enervatisque aliorum ſententiis ſubjungit: *Arbitramur proinde vix ante Sæculum XIV. uſum chartæ lineæ invaluiſſe.* Paria cum Abbate Gotvicenſi ſentit Legipontius, Hanſelmannus, Chriſtophorus Martini. (*b*) Mylius in horto Philoſophico tit. *papyrus* contendit chartam lineam multo poſterius, primumque circa annum 1470. inventam, cum ex Gallicia duo viri Antonius & Michael Baſileam veniſſent, & ſecum artem illam attuliſſent ante Germanis ignotam, ut ſcribit Balbinus, (*c*) quem tamen is merito erroris arguit, aitque ſe ei, quoties libuerit, oſtenſurum in Bibliothecis plurimos in charta linea codices jam ante annum 1340. ſcriptos, ut itaque Balbinus a priorum duorum mente non diſſentiat. Lexicon Artium & Scientiarum a Socio Academiæ Pariſinæ compilatum titulo *papyrus* ſcribit: *Quanta antiquitatis hæc ars ſit lineæ chartæ, annus temporisque exacte definiri nequit. Aliqui ejus inventionem in Sæculum XV., alii & quidem majori fundamento in Sæculum XIV. reponunt.* Simillima his reperturus es in Jablonsky Univerſali Lexico alteroque Magno Lexico Univerſali Lipſienſi. Quare merito erudiſſimus Vir Franciſcus Mannhart inter regulas Critices hanc numero VII. poſuit: (*d*) *Codices*

(*a*) Chronicon Gotvicenſe l. 1. c. 1. §. 2. p. 13. (*b*) Legipontius diſſert. 2. pag. 106. & 107. Hanſelmannus l. 1. c. 1. §. 2. p. 13. M. Joh. Chriſtoph. Martini in Theſauro diſſertationum diſſert. 9. Pauli Longolii. (*c*) Balbin. Dec. 1. l. 1. c. 22 p. 58. (*d*) Franc. Mannhart Bibl. Dom. Tom. X. c. 4. de Regulis manuſcriptorum & antiquitate codicum. pag. 113.

dices manuſcriptos papyraceos (nempe lineos) *nullos eſt invenire ante annum* 1350. *& pauciſſimos tantum ante annum* 1400. quam ille ex Euſebii Amort Tractatu de *Principiis artis Criticæ* P. 4. §. 6. hauſit. Si igitur charta linea primum Sæculo XIV. inventa; quomodo Gervaſius has marginales notas adſcribere potuit, niſi eum bis natum dicas, aut ætatem ſuam ad annos ter centum provexiſſe? dein qui lecto Coſmæ Chronico in mentem venire potuit codicem illum autographum eſſe, quem emendandum Coſmas ad Gervaſium miſerat, cum Coſmas in data ad eum epiſtola luculentiſſima reliquerit veſtigia Chronicon ſuum in membrana ſcriptum fuiſſe? Quid enim ſcribit, Gervaſium ad id emendandum & latialius reddendum hortaturus? *Accipe*, inquit, *in manum raſorium, calcem, & calamum, & quod ſupereſt radas, & quod non eſt, deſuper addas.* Cur vero *raſorio* & *calce* ad membranarum lituras emendationesque opus fuerit, lege præter alios eundem doctiſſimum Abbatem Gotvicenſem. Nolim autem exiſtimes primos quosque ſcriptorum conceptus illico in membranas, ſeu *pergamenas* (quæ tum non minimi fuere pretii) fuiſſe relatos, adhibebantur tum tabulæ ceratæ; quod hoc ipſo ſæculo XII. adhuc apud gentem noſtram in uſu fuiſſe teſtatur Chronographus Siloenſis a me T. I. MSS. ineditorum vulgatus de B. Godeſcalco loquens, & clarius expromit Wilibaldus in vita S. Bonifacii his verbis: (a) *Vitam & paſſionem Bonifacii conſcripſi primum in ceratis tabulis ad probationem Lulli & Megengaudi, poſt eorum examen in pergamenis reſcripſi.*

Verum putasne hac difficultate jam comprehendi omnia? longe validius argumentum habe: Quemadmodum Codicem illum MS. ſummis paraſangis extollendo verſute prætermiſiſti Lectori indigitare *chartaceum* eſſe, ita conticuiſti eidem Codici adnexum eſſe *Chronicon de Romanis Pontificibus & Imperatoribus Martini Poloni* eadem prorſus manu exaratum. Liceat jam ex te quærere, num Martinus Polonus vixerit principio ſæculi XII. atque idcirco Coſmæ & Gervaſii ævo? An non Parte mea III. Annalium pag. 11. ex Bzovio, & Martini Poloni ſepulchrali lapide legiſti Martinum Polonum anno 1278. & ſæculo XIII. pene finiente fatis functum? qui igitur Chronicon illius ſeſqui ſæculo prius a ſcriba illo qui Coſmæ Chronicon ſcripſit, in hunc codicem inſeri potuit? Quid tibi reliquum eſt, quam ut fatearis codicem hunc non majorem quam ſæculi XIV. ferre ætatem, eoque tempore ſcrip-

tum

(a) Apud Mabillon. Sæc. III. Bened.

tum, cum poſt vernaculam Dalimili Boleslavienſem hiſtoriam opinio Czechi apud gentem noſtram invaluit? Nec enim, ſi omnem vim ingenii, conſilii, rationis, ſcientiæque congeras, majorem medio ſæculi XIV. ætatem huic codici, præſertim marginalibus illis notis poſteriore manu exaratis, exſculpas. Ceterum quod Excellentiſſimus Epiſcopus Wokaun *MS. codicem hunc optimis Metropolitano Pragenſi & Dresdenſi tanquam meliorem prætulerit*, diſputare nolim, nec enim conferre unquam mihi contigit, nusquam tamen ille pro ſua antiquitatis ſumma cognitione Dresdenſi antiquiorem venditaverit, cum procul dubio in Menkenii emendationibus variantibusque lectionibus Tomo III. legerit: Dresdenſem codicem *in membrana fere coæva* ſcriptum eſſe. (a) Quid his opponis? rectene flagri & nolæ memoriam ingeſſi? ubi pompa triumphi tui? ubi quadriga? ubi triumphalis trabea & laurus? ubi cohortum populique ovatio? LUCIFER. Pag. 125.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant. Virg.
Nam: *Conſternantur equi, & ſaltu in contraria facto*
Colla jugo excutiunt, abruptaque lora relinquunt.
Illic fræna jacent, illic temone revulſus
Axis, in hac radii fractarum parte rotarum,
Sparſaque ſunt late laceri veſtigia currus.
Lucifer *at rutilos flamma populante capillos*
Volvitur in præceps. (b)

Ad §. XII.

I. Nego atque pernego, ut alias crebro refelli, ſeu Coſmam per *Boemum* ſuum multo poſterius effictum *Czechum* intelligere potuiſſe, ſeu illum Chronicon ſuum non altius quam a Czechorum Slavorumque ingreſſu texuiſſe. Quod autem Coſmas germani veracisque hiſtorici partes ſuſtinuerit, non una pagina in operibus meis teſtatus ſum, quem candorem utinam poſteriores fuiſſent æmulati, legeremus etiam hodie patriæ noſtræ hiſtoriæ incunabula prorſum dubia, nec ea certitudine, qua jam gloriari audent, aſſerta, legeremus inquam in illis verba Coſmæ: *nonniſi ex ſenum fabuloſa relatione* hæc hauſta eſſe, legeremus: *non fuiſſe illo in tempore ſcriptorem, qui ethnicorum Ducum noſtrorum* Pag. 123.

rum

(a) Menken. T. III. ſcript. rer. Germ. pag. 1771. (b) Ovidius Metamorph. l. 2.

LUCIFER. Pag. 124. *rum acta ſtylo commendaſſet.* Sed controvertis aisque: Coſmas *eo ipſo tempore, quo ſcribebat, genti noſtra ſcriptos quoque jam fuiſſe annales non negat.* Ubi vero, aut quo libro & anno Coſmas aliquos annales Boemiæ ante ſe ſcriptos commemorat? Prodis infra in ſcholiis locum ex anno 894. quo Coſmas dicit: *Maluimus prætermittere, quam faſtidium legentibus ingerere, quia ab aliis ſcripta legimus.* Quibus verbis abrumpis Coſmæ orationem. Verum apage cum his ludificationibus, Coſmasne hoc loco provocat ad annales aliquos? an hic ad tempora Czechi tui & initia gentis collimat? An non loquitur de baptiſmo Borzivogii, quem omnino ſcriptum jam invenit. Sed ubi illum ſcriptum invenit? itane in quibusdam patriis annalibus? an non ſuperioribus verbis ſuis mox ſubjungit: *Quia jam ab aliis ſcripta legimus, quædam in privilegio Moravienſis eccleſiæ, quædam in epilogo ejusdem terræ atque Boemiæ, quædam in vita vel paſſione ſanctiſſimi noſtri patroni & Martyris Wenceslai.* Quæ verba cate Lucifer truncavit, ut ne in omnium oculos primo intuitu incideret; Coſmam de nullis loqui annalibus. Quis enim per *privilegium, epilogum,* & *vitam S. Wenceslai* annales explicet? Ne autem obſtrependi tibi campus ſit: Coſmam per *epilogum* quosdam annales intellexiſſe, aurem adhibe, quid antiquitas per hanc vocem intenderit. *Epilogus*, inquit Carolus Dufresne (*a*) (*breve encomium*, ſubjicitque exemplum his verbis: *Sermo de S. Valentino Epiſc. inter Acta SS. Maji. T. 7. p.* 544. *Hujus talis ac tanti Valentini Præſulis, unde ſuperius epilogum* (breve encomium) *fecimus, latuit corpus.* In eadem ſignificatione vocem hanc ad dictam diem accipiunt Bollandiani. Quale autem iſtud breve encomium Moraviæ atque Boheniïæ fuerit, hodie latet, Annales certe non fuere. Non autem contentus ſupra allato mutilo Coſmæ loco alium ſimillimum ad confirmandos hos veteres patrios annales ex ejus anno 994. his verbis adducis: *Nec tranſiliendum cenſeo, quod ab aliis prætermiſſum video.* Sed legenti Coſmam in propatulo eſt, eum hic loqui de quibusdam geſtis S. Adalberti M. quæ ab hagiopraphis prætermiſſa fuere; provocat nempe ad vitas S. Adalberti, quarum binæ multo ante Coſmam ſcriptæ fuere, quasque in Mabillonio & Bollandianis excuſas eſt legere. Earum unam (ſcilicet a Frehero editam) Coſmas habuit in manibus, nam transtulit illam in hexametrum leoninum eo ordine atque accuratione, ut etiam plerumque vetuſti illius & coævi authoris verba retinuerit, quemadmodum proxime Tomo II. ineditorum id teſtatum faciam, in quo hæc S. Adal-

(*a*) Car. Dufresne in Gloſſar. vocab. *Epilogus.*

S. Adalberti Vita a Coſma ſcripta primum locum obtinebit. Loquitur igitur his locis Coſmas de quibusdam ſcriptis hagiographis poſt invecta Chriſti Sacra in Boemiam, baptiſmumque Borzivogii exaratis, non de Annalibus quibusdam profanis ab exordio gentis hiſtoriam patriam deſcribentibus, nam de ſilentio ſcriptorum ſub Ethnicis Ducibus noſtris atque ante baptiſmum Borzivogii clare teſtatur, dum ſcribit: *Non erat illo in tempore, qui ſtylo eorum acta commendaret memoriæ.* Inſtas etiam atque etiam, & de quibusdam patriis Annalibus ante Coſmam tertium teſtimonium ex Peſſinæ Phoſphoro ſepticorni Radio 2. p. 24. repetis, quo de Spitigneo noſtro Duce ait: *Coſmas & alii referunt de eo* (Spitigneo) *quod dum epulis adcumberet, ne in alia diſtraheretur animus, annales patriæ ac gentis, actaque anteceſſorum ſuorum legi voluerit, ut intelligeret, quid olim mali vel boni acciderit, & quomodo ipſe bonum promovere, & malum antevertere poſſet.* Quibus Peſſinæ verbis plena confidentia ſubjungis: *Ex hoc L. B. facile colliget, cum Spitignæus mortuus ſit* 1061. *& Coſmas ſuum Chronicon ante annum* 1099. *inchoaverit, alios jam antea ſcriptos gentem noſtram habuiſſe annales, e quibus ſua mutuaverit Coſmas.* Non nego hæc a te Vir Cl. ipſiſſimis verbis usquequaque fideliter ex Peſſina exſcripta eſſe, ſed cum refutationem meorum ſcribere cum animo tuo conſtituiſti, an non hæc præcipua ſollicitudo, ſtudiumque tuum eſſe debuit, ut ne quaspiam adulterinas merces adverſum me adferres, quas excuſſas ego facile vitii condemnare poſſem? certa inquam indubiaque monumenta tibi adferenda erant, atque idcirco, ſi authores recentiores ad vetuſtiores provocarunt, conſulendi conferendique erant fontes, num fideliter citati, num ea in illis comprehendantur, quæ ſe ex iis recentiores hauſiſſe gloriantur. Et profecto ſi Lucifer tuus omnes in foro venales lucernas congeſſiſſet, ſi omnium inſtitorum olei cada in lampades expleſſet ad eum in Coſma inveſtigandum locum, nusquam veſtigium deprehendiſſet. Lapſus eſt memoria Peſſina Coſmam pro Hagecio allegando, qui primus omnium, quantum memini, hæc refert, locumque Coſmæ, quo dicit: *poſt prandium ſæcularia tractabat judicia,* (*a*) ad annales patrios detorſit. (*b*) Quod a temporibus, quo Chriſti fides in Boemiam invecta, Coſmas quæpiam hiſtorica documenta habuerit, nullus diſputo, ea tamen ante ætatem ſuam tam pauca & incerta eſſe oportuit, ut olim ex annalibus meis cogniturus es, quod plane Duces quosdam noſtros, per plures annos Boemiæ habenas tenentes, omiſerit. LUCIFER.

(*a*) Coſmas ad ann. 1055. (*b*) Hagec. ad an. 1057.

LUCIFER. II. Hactenus tecum Vir Cl. amice, at rurſum mordaciſſimum dentem ſuum in me exerit Lucifer, quem quidem franget prius, quam imprimat, lædatque. Ita vero ille extra cancellos, & perturbato rerum, ut ſolet omnia, ordine: *Illud*, inquit, *cui maximopere confidit Cl.* Pag. 126. *Gelaſius: quaſi a Slavorum uſu foret alieniſſimum, ut a Ducibus olim nomen ſortiti fuerint, non plauſu, ſed exploſione plane dignum eſt, manifeſtatque virum hunc aut non bona fide actum, aut in hiſtoria lecta nondum eſſe exercitatum.* Hoc nempe ritu perpetuo tympaniſten agit Lucifer tuus, hocque unum illi ſtudium, ut tympana ſua altum ſonent, aureſque lectoris atterant, de cauſa plauſuum minime curioſus, imo etiam contentus, ſi neminem adplauſorem, adſentatoremque inveniat, modo ſibi ſat plauſiſſe ac ſtrepuiſſe viſus ſit. Audire tamen libet, quæ ille mihi *non bona fide acto, aut in hiſtoria lecta nondum exercitato* producturus ſit exempla regionum, & nationum Slavicarum, quæ a Ducibus ſuis nomen ſortitæ ſunt? Præſto vero ille eſt, verbiſque ſuperioribus etiam cauſalem ſubjungit: *Quis enim id ignorare cenſeatur, quo tum ſacri, cum profani imprægnati turgent Codices* (Malum! quo jam ego ſacrorum & profanorum imprægnatorum obruar fœtu? Quo vero illi fœtu imprægnati? quid parturient? *Parturiunt . . . naſcetur ridiculus mus:* verba Pag. 126. proſequentem audiamus:) *neque religioſum virum fugere decet: opulentos quondam viros* (non opulentos ſed *inſipientes & ſtultos* vocat Pſalmiſtes (a)) *ut eſt in libro Pſalmorum: Nomina ſua poſuiſſe in terris ſuis, & quo nomen ſuum immortalitati commendarent, gentes, fluvios, urbes, agros, montes, portus, inſulas &c. a ſe nominari voluiſſe.* An recte auguratus ſum ridiculum murem parituros hos Codices? Quod enim ad hiſtoriam Slavorum accommodatius proferri potuit teſtimonium? Næ tibi Lucifer præcipuum eruditus orbis inter Commentatores, ac Interpretes ſacrarum paginarum locum concedat, qui hos *opulentos viros*, ſeu rectius *inſipientes & ſtultos* a Davide appellatos, Slavorum Duces fuiſſe primus omnium detexiſti, næ tibi etiam omnes gentes Slavicæ ob hanc nominis ſui commendationem magnam habebunt gratiam. Sed necdum ſatis: ab hoc opulentorum virorum præclaro teſtimonio ·tranſis ad Hunnos, atque ex illorum hiſtoriis tria exempla producis, primum ex Procopio, alterum ex Agathio, ſeu Agathia, tertium ex Paulo Diacono. Sed ubinam locorum docui Hunnos fuiſſe gentis & ſtirpis Slavicæ? infers vero, me paſſim Slavorum res ac mores Hunnico

(a) Pſalm. 48. v. 11. *Simul inſipiens & ſtultus peribunt. Et relinquent alienis divitias ſuas: & ſepulchrum eorum Domus illorum in æternum. Tabernacula eorum in progenie, & progenie: vocaverunt nomina ſua in terris ſuis v. 12.*

cō pede menſum : Ita eſt, menſus ſum in pluribus, an in omnibus ? LUCIFER.
an unquam in forma regiminis ? An non ipſe ubivis Reges Hunnorum, Rovam, ejusque ſucceſſorem Attilam, fratrem, filiosque retuli ? an non ſæpiuſcule ingeminavi Hunnorum tyrannidem præcipuam cauſam fuiſſe Slavis, quod ſe in libertatem priſtinam vindicaturi ſocietatem & imperium Hunnorum excuſſerint ? Verum ne Slavicorum exemplorum penitus ignarus cenſearis, jam tandem ad illa tranſis, ſpe fretus hoc jaculo te feram venaturum. Profers itaque ex Guagnino duodecim Ducum Pruſſiæ monſtra pro duodecim Provinciarum numero. Quid vero his Ducum larvis tibi cupis ? eorumne aliquis unquam in rerum natura exſtitit ? cui Vedenutus ille duodecim filiorum pater ex veteribus cognitus ? An non vel ipſi ſcriptores Pruſſiæ has nænias, affutiasque rident, ac explodunt ? ſed ut ſingulorum appellationes cognoſcamus, ais : *Sudavium* nomen accepiſſe a filio neſcio quo *Sudavo* nuncupato, *Sambiam a Saymo*, *Natangiam a Natango*, *Slavoniam a Slavo*, *Bartoniam a Barto*, *Varmiam a Varmo*, *Culmiam a Culmo*, *Pomezaniam a Pomezo.* Me hercle ! indubitata hiſtoricæ veritatis fulcimenta, quibus Clio aut Calliope certiora verioraque adferre nunquam potuit. Quidni tu pari jure cum Guagnino ſtatuas : Luſatiam a Luſato, Miſniam a Miſnio, Daleminciam a Dalemincio, Sorabiam a Sorabo, Pomeraniam a Pomero, Crobatiam a Crobato, Bulgariam a Bulgaro, & denique Luceriam a te mi Lucifer, ne memoria tua intercidat, nomina ſortitas ? At vero ipſe his Guagnini crepundiis non magnam fidem tribuere videris, nam mox ſubjungis : *Tametſi neque tanti nobis ſit vel ipſe Guagninus, aut reliqui recentiores, contra quos ævi exceptio fieri poſſet.* Sed ſi tibi tanti non reputantur recentiores, ubi vetuſtiores ? Quid hæc deliramenta adferre opus fuit, quæ a me nonniſi ſibilis & riſu excipienda merito præcognoſcere potuiſti ? quid his arundineis armis opus fuit ad cauſæ meæ muros expugnandos ? Nunquid follibus dejecturus turres ? aut glire capturus taurum ? Merito autem Czechus tuus non alia re nervoſius defendi, vindicarique poteſt, quam ejusmodi anilibus fabulis ſomniisque. At at quo me rapuit verborum conſiliique præcipitatio ? adeſt Lucifer cum terriculoſo ariete, quo procul dubio muros meos humi allidet, adeſt inquam cum Procopii Cæſarienſis teſtimonio, quo ſe *os mihi obſtructurum* civiliſſime minatur. Quod illud ? *Juxta quorum* (verbis Procopii ex c. 5. loquitur) *ſiniſtrum latus, quod in Aquilonem vergit, & ab ortu Viſtulæ fluminis per immenſa ſpatia venit, Vinidorum natio populoſa conſedit. Quorum nomina licet nunc*

Pag. 126. & 127.

Pag. 127.

Pag. 127.

LUCIFER. *per varias familias & loca mutentur, principaliter tamen Sclavini & Antes nominantur.* Metui vero jam Lucifer, exhorruique cuneum illum, quo mihi te os obſtructurum minatus es; ſed ſpumeum illum fuiſſe oportuit, cum intra pugnum tuum evanuerit, atque in auras abierit. Ubi enim in hoc Procopii teſtimonio illi *Duces*, illi *Reges*, aut *Principes* Slavici, a quibus Slavorum terras, pagos, & provincias nomen indeptas gloriaris? *familiane*, & *loca* nomina tibi Ducum ſunt, aut Duces connotant? An non vel ipſe tibi Cæcias es, qui periculo tuo nubes attrahis? quis locus magis ferit jugulum tuum, quam hic ipſe Procopii? Si enim per *familias* & *loca* nomina terrarum Slavicarum mutantur, quid id aliud eſt dicere, quam quod terræ Slavicæ a familiis, ſeu tribubus, locisque varia nomina habeant, ſi autem a familiis, locisque, nempe montibus, ſilvis, fluviis, paludibus, quomodo a Ducibus? An familiis his, cognationibusque dominabatur Princeps unus aliquis? an non idem Procopius alio loco dicit: *Sclavinorum nationes non ab uno aliquo homine reguntur?* quos nempe Theophanes *tribuum Præfectos, & familiarum capita*, Porphyrogenitus *Zupanos* ſeu *ſeniores populi* appellat. Non aliud igitur Procopius per familias ſuas, quam *certam terræ portionem alendæ uni familiæ ſeu tribui ſufficientem* (ut vocem hanc Carolus Dufresne explicat) ſeu plures minores respublicas, pagosque Slavicos intellexit, quorum a ſiniſtro Dacorum latere & ortu Viſtulæ in Aquilonem jam Jornandis & Procopii tempore maximus erat numerus, adeo ut etiam poſterius Abbas Gottvicenſis in Luſatiæ hodiernæ, Misniæ, Brandeburgi, Pomeraniæque terris facile triginta ejusmodi pagos & respublicas Slavicas enumeret, nec tectum ſit in ipſa Boemia noſtra, ut in Prodromo oſtendimus, olim plures fuiſſe. Quis autem conjectura certa hodie aſſequatur, quo pacto omnes & ſingulæ nomina ſua invenerint? Certum tamen eſt plerasque ſeu a fluviis, ſeu montibus, vallibus, ſilvis, paludibus, urbibus, populorum notiorum affinitatibus, varioque caſu nomina ſua obtinuiſſe, alias jam inde ex primis ſuis & avitis ſedibus ſecum attuliſſe. Sic Circipani a Pane fluvio, Havelli ab Havela, Glomaci a fonte ejusdem nominis, Rhedarii a Rhetra urbe, Pomerani a maris ſeptentrionalis confiniis, Tolenzi a Tolenzo flumine, Slezii a Slezio ſeu Soboco monte, Poodritæ ab Oderæ alluvio, Bulgari a Vulga ſeu Bulga Aſiæ flumine dicti ſunt; quorum ſingulorum inveſtigationi etymologiæque operam dare idem eſt, ac res ludicras magno conatu agere. Jam effare Lucifer! quæ tibi ad hæc mens? adhucne tympanis tuis plaudis? adhucne tibi ſeu non

bona

bona fide actus ſeu in hiſtoria lecta ſatis exercitatus videor? an non recte in te ſarcaſticeque prolocutus Heſiodus? LUCIFER.

Succenſet figulus figulo, fabrique viciſſim
Fabris, mendicus mendicoque invidet alter,
Cantori & Cantor, viliſque Poeta Poetæ.

III. Ex ſupradictis, enervatisque argumentis tuis jam liquet firma inconcuſſaque perſtare Prodromi mei verba pag. 55. cum dixi: exemplum non ſuppetere in hiſtoria, regionem aliquam Slavicam à Duce ſeu Principe nomen ſortitam, cum enim cuique Slavorum reipublicæ, tribui, familiæque plura capita ſeu ſeniores pari jure atque auctoritate præfuerint, ne cogitatione quidem aſſequi licet, quo modo accidere potuerit, ut pagi, provinciæ, imo vaſtiſſima regna ab uno æqualis conditionis reipublicæ adminiſtro nomen indipiſci potuerint. Cæterum non impugno, non nego extra gentem Slavicam quæpiam regna & provincias nomine inventorum & conditorum ſuorum fuiſſe nobilitata, fruſtraque hanc in rem, nuſquam a me in dubium vocatam, exempla acervas. Slavica regna & provincias requiro. Monitum vero te cupio ne tanta confidentia & certitudine pronuncies *Græciam a Græco, Italiamque ab Italo* dictam. Græcus iſte atque Italus apud emunctioris naris literatos tot criteriis obnoxius eſt, tantaque fabulæ ſuſpicione vapulat, quanta Czechus tuus. Lege vel obvia hiſtorica Lexica, & facile decuplas de *Græciæ Græcorumque origine* ac etymo deprehenſurus es opiniones. Non pauciora reperturus *de Italis & Italia*: Sane Livius hiſtoriam gentis ſuæ ſcribens Itali hujus non meminit, quin vel ipſe fatetur non veriora eſſe fabulis, quæ ante conditam urbem Romam de gentis ſuæ origine jam ævo ſuo ſcripta inveniebantur. (a) Nec incognitum eſt ab aliis Italum hunc tertium, ab aliis duodecimum, ab aliis plane cum Beroſo decimum quartum Italiæ regem conſtitui. Inſpice, evolveque originem gentis Romanæ ex vetuſtiſſimis Romanis hiſtoricis digeſtam, quæ Tomo I. inter ſcriptores veteres latinos hiſtoricos pag. m. 595. excuſa eſt, & Italo conditori Italiæ haud magnam fidem auctoritatemque tribuendam eſſe judicabis. Americam ab Americo Veſputio nomen inveniſſe dubitavi nuſquam. Sed an Americus Slavus gente? an populatim ingreſſus Americam, ut Slavi Bohemiam? Czechusne tuus primus detexit Boemiam ut ille Americam? & num Americæ nomen datum eſt ab incolis Americæ, an a nobis Europæis gentibus? tum maxime dictine populi, quos Americus detexit, Americi an Americani? qui autem a Czecho Pag. 128.

(a) Livius Dec. 1. l. 1.

 tuo

LUCIFER. tuo omnes appellati Czechi? quæ gens, quæ idem plane minime deflexum, minime immutatum nomen cum conditore ſuo aut inventore acceperit? nullane patronimicum inter & patris ſeu patrium proprium nomen diſcrepantia, vocisque inflexio? Recte igitur adnotaſti *Benedictinæ familiæ alumnos a Benedicto, Auguſtinianos ab Auguſtino, Dominicanos a Dominico, Franciſcanos a Franciſco* appellationem ſortitos. Sed non vel tu ipſe rumparis riſu, ſi harum familiarum alumnos nonnemo Benedictos, Auguſtinos, Dominicos, Franciſcos appellandos cenſeat? Verum

Pag. 128.

Claudite jam rivos pueri, ſat prata bibere. Virg.

IV. Gratulabar genio meo jam ſuperiore paragrapho nonniſi cum vetuſtis patriis monumentis bellum noſtrum futurum, at monſtroſa illa veterum Slavorum Monarchia tanquam Lernæa hydra uno dejecto protritoque capite nova atque nova protrudebat capita, quæ Luciferi conſilia interturbabant. Jam vero ſub exitum paragraphi iſtius præmones Vir Cl. poſthac tibi iſtiusmodi documentis certis rem agendam, quibus ego in Prodromo meo ceſſurum pollicitus ſim, adeo ut ibidem etiam Lectori conceptis verbis receperim: me *judicium meum ſubmiſſurum, emendaturum, retractaturumque omnia, ſi quis certiora magisque vetuſtis documentis firmata pro Czecho attulerit.* Id ſane non uno loco ſed crebrius dixi, atque hic etiam repeto: ſi quis non modo de Czecho, ſed aliis quibus quibus patriis memoriis certiora, & vetuſtioribus monumentis magis roborata protulerit, ita comparatam eſſe voluntatem meam, ut minime refugitura ſit ſingula emendare ac retractare, in quibus me convictum ſeu ego, ſeu alii criticæ rei periti cognoverint. Quid vero id fugiam? quidni etiam optem, ut certiora patria documenta de gentis noſtræ incunabulis detegantur? Egone, qui non alio conſilio, quam veritatis eruendæ cauſa hos annales patrios auſpicatus ſum; ipſis veritatis radiis nebulas umbrasque offundam, ut ne lucem ſuam plena libertate diſpertiant? Quid de mea, aut operum meorum exiſtimatione periturum eſt, ſi poſterioribus Tomis cum quodam candore animi confeſſus fuero: Vulgatis jam primis meis opuſculis detecta quæpiam eſſe mihi antea non lecta, aut ex Archivorum Bibliothecarumque obſcuris hactenus pluteis ſcriniisque eruta eſſe quæpiam certiora monumenta, quæ hiſtoriam patriam magis illuſtrent, ejusque geſta verius definiant? *Non enim* (ut verbis Divi Cypriani loquar

Pag. 128. & 129.

quar) *vincimur, dum meliora nobis ſuggeruntur, ſed diſcimus.* (a) An hoc in orbe literario novum atque inſolitum? an non id factum videmus a Viris quibusque ſumma doctrinæ laude conſpicuis, quorum ingenio induſtriaque mihi omnia inferiora eſſe non diffiteor. Ne me tanto Vir Cl. metire ſupercilio, ut me illis majorem eruditioremque æſtimem, auſim nempe rurſum cum Juſto Lipſio adverſus Dialogiſtam dicere: *Quæ proba mihi nunc quidem videntur, & libenter tamen deſiſtam, ſi quis benigne & comiter docuerit meliora.* Nam non ignoro ſapientis novi ævi, æterna, & tua cumprimis memoria, digniſſimam ſententiam: *Nemo eſt mortalium, quem non aliqua pars ignorantiæ attingat. Hanc contagionem ex ipſa mortalitate traximus. Nam homo cum errat, humanitus errat. Errorem autem in homine calumniari, eſt toti ipſi mortalitati convicium facere.* Id unum itaque cum Juſto Lipſio crebrius in opuſculis meis monui, atque infra omnem humilitatem dejectis verbis obſecravi: ut *benigne & comiter meliora docear.* Nec inficiari auſis, cum plenis buccis ſæpe coram jactaſſes: te Czechum adverſum me vindicaturum, etiam tibi a me ſtimulos fuiſſe additos, faceres, modo intra limites modeſtiæ. Dicebam enim, nihil magis mihi cordi eſſe, quam hiſtoriæ patriæ elucidationem, quæ æmulatione ingenua, difficultatum, contrariorumque ventilatione maxima ſoleat capere incrementa. Non diffiteri potes, me etiam adjeciſſe, ſi ſumptus tibi ad opuſculum tuum prelo ſubjiciendum deeſſent, proſpecturum me tibi de patrono, medioque, ut prænumerentur, quod ipſum te in lucubrationem tuam inſerturum gloriabundus repoſuiſti. Verum quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus color optimus? Quis unquam a prudentia & humanitate tua exſpectaſſet, ut alteri Luciferoque omnia inſolentiæ, dicacitatis, contumeliarumque fræna laxares? non prohiberes, ut is tanquam ferociens indomitusque equus habenis excuſſis quidquid obvium proculcaret, calcibusque eliderer? ut is, inquam, veluti œſtro percitus integra injuriarum conviciorumque plauſtra in me exoneraret? ut non veritatis amore, ſed quodam mordacitatis, malignitatis, invidentiæque impetu non tam refutationem, quam maledicentiſſimam ſatyram mille fallaciis & impoſturis conſutam ſcriberet? ut me omnibus paginis non pro iis humanitatis reverentiæque officiis, quæ alter alteri debet, ludibrio ac contemtui haberet, mea ſcripta omnia ſic damnaret, ſic traduceret, tanquam ab homine, ſano ſenſu & judicio orbato, lectionis omnis ac hiſtoriæ inexperto concinnata eſſent? Cum igitur pro-

LUCIFER.

(a) S. Cyprianus epiſt. 19.

LUCIFER. procul dubio Lucifer injuſſus, te invito ingratiis, ac fortaſſis etiam contentorum inſcio, nomen tuum huic lucubrationi præfigere auſus ſit, non minore tu, quam ego ipſe, injuria læſus, juſtum dolorem meum probaturus es, imo etiam tacite ſtimulo mihi futurus, ut ei dentes faucibus elidam, ne porro mordeat, lanietve, & ne literarum ſtudioſo humano generi porro moleſtus eſſe audeat, probe contundam.

Sed præſtat motos componere fluctus. Virg.

Ad §. XIII.

Pag. 129. I. Paragraphum iſtum hiſce verbis ordiris: *Inter præcipua in priſca illa ætate veritatis teſtimonia principem locum merito poſcit Czechii, ſi quod in rerum natura unquam fuit; cenotaphium; nec enim adverſus hanc novam opinionem valentius adferri poſſe argumentum reor, quam ſi Czechius communem cunctis viventibus viam olim ingreſſus fuiſſe doceatur.* Heus Lucifer! *quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu concluſum geris?* (a) in cornu, inquam, oppido craſſo, bubalinoque, quod minime transparet, meras nebulas, umbrasque offundit, & incluſi Vulcani tui lucem nuſpiam transmittit. Quid hoc verborum? *præcipuum ex priſca illa ætate veritatis teſtimonium & principe loco dignum, ſi tamen in rerum natura unquam fuit?* Quod quantumque illud priſcæ veritatis teſtimonium, quo adverſarium tuum ad palinodiam canendam perpellas, ſi tu ipſe principio ſtatim hæſitas num in rerum natura exſtiterit? Quis hominem ſano ſincipite hæc ſcribere potuiſſe autumet? An iſtud non idem eſt, atque dicere: Certum eſt priſcæ veritatis teſtimonio, ſi quod unquam in rerum natura exſtitit, Czechum conditorem fuiſſe gentis noſtræ? Videsne ad primam aciei tuæ oſtentationem rem illi rediiſſe ad Triarios? ut porro vel pugnum adverſus illam exerere, ſit umbras flagris impetere? Sed cognoſcere tamen libet illud priſcæ veritatis teſtimonium, quantæque fidei ſit Czechi tui cenotaphium, quod ad exaggerandam cauſæ gravitatem æri plane inciſum hac pagina Lectori exhibuiſti. Proh Deum hominumque fidem! quanta confidentia Lucifer execrabile codicis monſtrum mox primo loco profers? *Monſtrum horrendum, infandum, ingens, cui lumen ademptum.* Abortum inquam monſtroſiſſimum effrontiſſimi cujusdam impoſtoris ac Sycophantæ, qui hic Pragæ

(a) Plautus in Amphitr. Act. I, Sc. I.

gæ mea ætate ac memoria plurium minus antiquitatum patriarum peritorum crumenas emungere conatus, quique poſt annum primum 1735. ut poſtea oſtendam, manuſcriptum iſtud congeſſit, effinxitque. Huncne vero codicem ſeu non viſum, ſeu nunquam manibus meis tractatum auſis oggerere Lucifer, & rurſum tympano tuo obſtrepere: *Semel, bis, ter fallitur, fallitur Gelaſius*? Itane fallor? qui hunc ipſum codicem recentiſſimo charactere ſcriptum jam ante ſexennium imo ſeptennium, cum in Illuſt. ac Excell. D.D. Epiſcopi Litomericenſis, tum adhuc Suffraganei Pragenſis manibus fuiſſet, crebrius oculis ſpectavi, imo ejusdem benevolentia cum riſu obiter excuſſi? Librum vis tibi a forma ſua deſcribam? quantum hodie memini, in quarto eſt, ut vocant, corio fuſco pro hodierno compingendi ritu veſtitus, rubroque limbo ſeu circumciſura coloratus, quem aliquando apud te Vir Cl. ſuper ſcrinio tuo clauſum jacentem vel ex hac ipſa forma thecisque illico agnovi, innuique: *Fabuloſiſſimum Hipſchmannianum codicem eſſe.* Tamne brevis, fallax, labilisque tua memoria? Egone ignoro omnes illas impoſturas, ineptias, imo ſpurcities, ſuperſtitiones, execrabilesque nicromantiæ artes, quæ hoc volumine continebantur? adeo ut ſuprafatus Excellentiſſimus D. D. pro conſcientiæ ſuæ teneritudine, pietatisque Zelo hortator extiterit Prænobili Domino Hipſchmann, folia illa periculi plena exſcinderet, ne in innocuas aliquando caſura manus, ineſcarent incautos. Cui rei cum Vir vitæ integerrimæ Dominus Hipſchmann ulto adſentiretur, idem Excellentiſſimus folia ſingula quæ exſcindenda eſſent, pugno ſuo conſignavit, quam lanienam D. Hipſchmann recepto codice illico præſtitiſſe dicitur, nam ab eo tempore codicem hunc non vidi, niſi clauſum, ut ſupra innui, in hoſpitio tuo, quod erat a tergo ſacrarum ædium Divi Georgii. Quid igitur *fallor, & fallor, ſemel, bis, ter fallor?* qui multo ante te integriorem manibus tractavi, cum procul dubio poſt illam primum mutilationem ad te pervenerit? An non vero vel nunc codicis hujus apographum (quod non tam eruditionis, quam curioſitatis cauſa idem Excellentiſſimus pro Manuſcriptorum ſuorum norma in folio exſcribi fecit) in manibus meis habeo?

LUCIFER.

Pag. 130.

Quid igitur tu illa, quæ Parte mea II. (non prima ut perperam adnotas) Annalium Hagecianorum pag. 121. de alio codice MS. apud Excellentiſſimum D. D. piæ memoriæ Epiſcopum ſuffraganeum Antonium Wokam viſo prodideram, huc trahis, atque ex iſtius codicis circumſtantiis me refellere conniteris, adeo ut calumnioſiſſime rurſum

LUCIFER. his aculeis me impetas: *Hæc ſtropha in opere Gelaſiano in ſcenam toties prodit, quoties defunctorum manes* (Vah etiamnum vivorum dantur manes?) *producuntur in teſtimonium.* An non vel te ipſo teſte codicis Hipſchmanniani author eſt: *Joannes Petrus Zbirco Monachus Ordinis S. Benedicti?* cum ego pag. 121. codicis alterius authorem ſtatuam fuiſſe *Libuſſæ ſcribam Ziak* nomine? & ubi ubi in Annalibus meis locus, ut venditas, quo dixi me opinari Codicis Hipſchmanniani *translatorem eſſe Petrum Lodereker O. S. Benedicti Monachum Brzevnovienſem ab edito dictionario in linguis compluribus celebrem?* qui ne quidem hunc lutulentum codicem commemoratione dignum in univerſis opuſculis meis cenſui, quod certo cognoſcerem meram impoſturam eſſe, nec ignorarem Sycophantæ iſtius nequitias pluribus literarum ſtudioſis in hac quadriurbe haud tectas fuiſſe. Nempe ut Lipſii mei verbis rurſum loquar: *Excidis* Lucifer *ſemper a linea, & cum de alliis loquor, tu reſpondes de cepis.*

Pag. 131.

Pag. 130.

Verum antiquitatem authoritatemque huic ſpurio codici conciliaturus ais: D. Hipſchmann originale *& oculis propriis viſum & manibus a ſe contrectatum fuiſſe non una vice teſtatus eſt.* Et poſtea: *Si Cl. Gelaſio confrontatio placet, in faciem oggerere eſt paratus?* Quam impudens confidentia? impudentior provocatio? Cui vero id teſtatus eſt D. Hipſchmann? an tibi? an alteri? Tibine Vir Cl.? ſed ne ſuſpiciari quidem licet eam in te incidere poſſe inverecundiam, ut tam publicum teſtatumque mendacium iſthic in medium proferres. Cui inquam teſtatus? Lucifero igitur tuo illi effronti omniſque ruboris neſcio, qui impudentiam virtutis decoriſque loco habet. Illene mihi minetur confrontationem? audeatque famæ Viri in hac urbe notiſſimi, a Regio Tabulari munere incliti, a ſua integritate ac moribus omnibus ſpectati maculam aſpergere, malæque fidei inſimulare, cum is ubivis per urbem teſtetur codicem illum antiquum ſeu autographum nuſquam a ſe viſum, minus contrectatum manibus, quin potius paratiſſimum ſe dixit: mihi ſcripto & ſigillo teſtimonium reddere, nihil ſimile unquam a ſe viſum aut dictum; qui jam menſe Auguſto ſuperioris anni Doxanæ Illuſtri Virginum Canonicarum Præmonſtratenſium Parthenone in mea præſentia convivarumque nobiliſſimorum utriusque ordinis corona publice profatus eſt: nunquam aliud cuiquam mortalium a ſe dictum, quam quod ſcriba ille, qui ſibi apographum illud vendiderat, omnino affirmaverit, ſe ſe Codicem hunc ex ipſo authographo deſcripſiſſe. Hem quantum diſtent æra lupinis! & in quantæ audaciæ columen evaſerit Lucifer tuus, qui quæſtuoſo illi lucroſoque Sycophantæ ſcri-

bæ

bæ Virum fide integerrima ſubtrudere non eſt veritus. Neque vero aliia ratione hæc a nobis iſthic allata ſunt, quam ut honori exiſtimationique Viri hujus egregie de patria meriti conſulamus, cum jam oſtenſuri ſimus falſiſſimum eſſe Autographum vetus membranaceum hujus Codicis unquam exſtitiſſe, aut exiſtere potuiſſe, quæ ſi quis legerit, advertet nihil nobis vel ultro oblato Viri hujus optimi teſtimonio opus fuiſſe. Jam ad rem ipſam accedamus, & inventi iſtius Manuſcripti (ſi ſuperis placet) immortalitate digniſſimi hiſtoriam audiamus: *Liber originalis* (inquit Lucifer) *dicitur A.* 1556. *in ruderibus monaſterii* (cujusnam?) *in corio conſcriptus & plumbo undique obductus ex integro idiomate Slavonico, ſed nimium illegibili (prout in præfatione narrat author) & partim charactere ignoto comprehenſus in ciſtula lapidea incluſus fuiſſe repertus, & ab eodem Joanne Petro Zbirko monacho Ordinis S. Benedicti ad mandatum ſuorum ſuperiorum in latinum translatus.* Sed verius & ſincerius rem ex ipſo authore cognoſcere libet, ut ſub leonina pelle latitans arcadicum animal celerius feliciusque agnoſcat Lector. Libet, inquam, maximam partem præfationis cum titulo, quamquam longiorem, exſcribere his verbis conceptam: LUCIFER. Pag. 130.

Secretum ſcientiæ Czechicæ a primis Czechis cum magna proſperitate uſitatæ, & a glorioſis Principibus Czechicis ad ſuccedentes ſibi translatæ, & ab illis conſervatæ, in qua & per quam varia revelata ſunt ſecreta, agnitiones herbarum, & plantarum, virtutes florum, & radicum, atque nomina locorum, & montium, ubi omnia hæc creſcunt, quomodo & quando invenienda & carpenda. Hic etiam inveniuntur Libuſſæ quædam prognoſticationes una cum derivatione hujus ſcibilis, unde nimirum ad Czechos aliunde abundanter ſuperſtitioſos, & idololatras hæc omnia devenerint, & quomodo pro chara poſteritate conſervata fuerint.

Hæc omnia in hoc libello congeſta & comprehenſa Anno 1556. *inventa a me Joanne Petro Zbirka O. S. P. B. Monacho ad mandatum meorum Superiorum ex idiomate Slavanico, quo libellus iſte ſcriptus fuerat, ingenti labore in latiniſſimum fideliter, & fide Sacerdotali* (imo fide impoſtoria) *uti mihi ſub obedientia injunctum eſt, ſunt translata, reviſa, correcta, & collationata, ac tandem Anno* 1561. *ex integro*

LUCIFER. *perfecta, permodum libelli compacta, & in ſcrinium ſecretum Bibliothecæ noſtræ inter alia pretioſa manuſcripta & arcana repoſita.*

Hactenus titulus manuſcripti hujus; jam ſequitur

Præfatio brevuncula.

Anno 1556. *dum Monaſterium noſtrum* (quod illud?) *reædificaretur, & pars muri cujusdam ex parte ſiniſtra verſus orientem valde antiqui dirueretur, inventus eſt in fundamentis ejus lapis quinque ulnarum longus, & quatuor ulnarum latus, ſemialtera ulna altus marmoreus permodum ciſtulæ formatus, & ita ex parte ſuperiori ſignatus:*

✡3 R Q S MCXXXIII.

Quod nomen illius, qui hunc lapidem imponi fecit, & annum impoſitionis ſignificare poſtremo intellexi. Poſtquam ciſtula hæc lapidea (mirum! ciſtula! quinque ulnarum longa, & quatuor ulnarum lata!) *quæ nullo modo aperiri potuit, in partes duas magna violentia concuſſa fuiſſet, in eadem varia, & æſtimatione digna inventa fuerunt, quæ inter etiam libellus in quarto, in corio aſinino conſcriptus, & plumbo undique obductus, ex integro idiomate Slavanico, ſed nimium illegibili, & partem charactere ignoto conſcriptus fuerat compræhenſus. Hunc libellum dum Præſul ipſe cum ſenioribus prius, tandem vix non totus Conventus multoties fruſtra perſpicerent, & quidnam in ſe contineat libenter ſcire volentes - - - tandem poſt multas deliberationes unanimiter concluſerunt translationem hujus libelli mihi, quamquam tunc temporis ex junioribus monachis uni, attamen nato Slovacta committere, adjungendo mihi duos ex ſenioribus in variis idiomatibus peritos confratres, qui ſemper labori huic præſentes eſſent. Durus, fateor, fuerat ille labor, & mox ad initium ejus vix non deſperaſſem, impoſſibilitatemque hujus trans-*

tranſpoſitionis ferme profeſſus fuiſſem, poſtquam vero eidem continuo inhæſiſſem, inter ſpatium decem menſium eousque deveni, ut characteres illos ignotos, quos antehac nunquam novi, nec quidem mea vita vidi, qui hinc inde inter Slavonicos immixti fuerunt, agnoſcerem, atque viderem, quod hiſce characteribus plerumque ſint nomina Deorum ſeu idolorum verius Czechicorum, quorundam planetarum, ſpirituum familiarium, & varia quæque arcana & ſecreta, quos characteres ſeu literas hinc inde præſertim verbis Slavonicis immixtos, dum mihi notos reddidi, & ſucceſſive agnovi, quod tota verba Slavonica his literis ſint ſcripta, abſque dubio in hunc finem, ut a nemine abſque gravi labore poſſint perlegi, illos ita ſucceſſive in ordinem reduxi, ut ex illis integrum alphabetum formaverim, hoc tamen adverti, quod nullum x nec y inter ſe habeant. LUCIFER.

Hic jam ſequitur commentitium illud Slavicum Alphabetum nulli prorſus veteri ne una quidem litera reſpondens, quod Lucifer pag. 129. ſcalpro excaſum tradidit. Cui rurſum Sycophanta ille ſcriba ſubjicit: hos characteres a nemine unquam viſos, aut cuiquam cognitos fuiſſe, denique claudit præfationem a diligentia & fidelitate, quam in hoc transferendo MS. exantlavit. Verum ut jam cognoſcatur quæſtuoſus Sycophantæ illius animus, qui non alterius quam lucri gratia hoc Manuſcriptum cerebro ſuo inepte effinxit, ut vetuſtatis imperitorum quorumque crumenas emungeret (quod ei etiam duobus tribusve locis feliciter cecidit) libet hic initium quoque libri hujus exſcribere, & inſanabilia nugatoris iſtius deliramenta cognoſcere. Sic vero orditur illis incognitis literis, quas tandem explicat:

Půwod a Začátek ſtarožitného Cžeſkého Vměny.

Latine ita

Origo & fundamentum antiquæ Czechicæ ſcibilitatis.

Quod in monte - - - - Zržip *nominato ab idolo* Dobrý Pán *dicto Nevæ Kroci Czechorum Principis uxori, Libuſſæ matri circa annum* 689. *manifeſtatum, ab eadem ejus tribus*

LUCIFER.

filiabus Brellæ, Therbæ, & Libuſſæ infuſum, ac etiam ſimul partim tantum autem nobili juventuti in ſchola ſub caſtro Pſſary *a Croco in hunc finem erecta ab Illuſtri, & primario hujus ſcibilis magiſtro* Leſſny Budeck *traditum fuit, cæterum vero plerumque ex memorabilibus ſcriptis Principiſſæ Libuſſæ (quæ ejus ſcriba, ſeu potius intimus Secretarius Solan* Ziak *ad ejusdem Principiſſæ ſuæ mandatum in cortice betulæ & tiliæ in hunc finem confectæ conſignavit, deſumptum usque ad manus meas venit, & a me ſupra aurum, & omne pretioſum ſub ſolo æſtimatum fuit.*

Poſteaquam ego Rzedomyſſl ſtarek *jam jam caneſcerem, atque improlis, & morti proximus eſſem, non haberem autem ullum, cui hunc theſaurum inæſtimabilem relinquerem, ne tamen mecum tam utilis ſcientia moreretur, & poſteritati chariſſimæ ignota permaneret, cum jam de gente Czechica, & his qui mecum viverent, dubitaverim vix quempiam eſſe, qui hæc arcana (quorum virtutem ego quam optime expertus ſum ipſemet) tam ſincere & infalſificata in manibus haberet, hoc ſcibile a me uſitatum cum fructu optimo propria manu in hunc libellum conſignatum cum aliis pretioſis quæque die* 9na *Maji* 1133. *regnante Principe Sobislavo huic urnæ lapideæ impoſui, eique cui a Deo fuerit proviſum invenire, reliqui, relinquendo invenienti ſummopere recommendo tanquam theſaurum a primis noſtris Czechis uſitatum, & dilectæ poſteritati relictum inæſtimabilem, quo ego utens omnia ea obtinui, quæ hominem mortalem in terris feliciſſimum reddere poſſunt. Scito enim & credito: quam diu vixi hanc ſcientiam a Patre meo habens, nunquam infirmus fui, infirmos omnes etiam jam morti proximos, & incurabiles ſanitati reſtitui, quos mihi ſanare licitum fuit, omnia mihi ipſi vaticinatus ſum & aliis, quibus congruum eſſe vidi, theſauros quoscunque optavi, poſſedi. Ab omnibus hominibus etiam ab ipſo ſummo Principe noſtro ſumme fueram æſtimatus, & a multis Propheta Czechicus nominatus, annum centeſimum & decimum quintum ætatis meæ attigi,*

omnes

omnes ſenſuum & corporis potentias poſſidens ita, uti dum vigeſimum agerem annum, quid porro mortali felicius poſſet eſſe exoptandum? LUCIFER.

Atque hoc falſo felicitatis humanæ lenocinio impoſtor hic incautorum animos, ſpe lucri, opuſculique ſui caro diſtrahendi gratia, irretire quærebat. Subjungit tandem: primos Croatas, qui cum Czecho venere in Boemiam uſque ad annum 800. fuiſſe idololatras, & varia reſponſa accepiſſe a Diis ſuis, quorum præcipuos enumerat: Pronow, Garzanow; Ladrynow, Merock, ſeu Merot, Radoniaß Taſſany, Leßo Kral, Zemokroċż, Wlkopaſt, Riborworz, Znaſſnahoſt, Libidyw, Placżiw, Deum funerum ſimiliaque nominum ex hodierno idiotiſmo noſtro patrio hauſta figmenta. Quibus tandem adjicere poſtremo liceat ſuperciliosum titulum Libuſſæ ad gentem ſuam ſcribentis:

Ego Libuſſa peradamatæ mihi gentis Czechicæ dominatrix, & a Diis Patrum meorum præelecta, & conſtituta Princeps, filia magni Czechorum Regentis, & Principis Croci, ejusque charæ Conjugis Nevæ ſalutem, proſperitatem, cunctumque bonum precor omni charæ poſteritati, Deorumque noſtrorum immortalem ſalutem.

Hem! priſcæ illius veritatis præcipuum teſtimonium, quod Lucifero noſtro viſum merito principem locum inter cetera occupare, quas ille quisquilias, crepundiaque ex nugivendulorum foro domum deportavit? quam cate is arcadici ſui pecoris aures texit, generatim *in corio* hunc codicem conſcriptum dicens, cum author dicat in *corio aſinino*? nimirum ut ne formidoloſus ille leo ſubito ruditu ſuo proderetur, omnibusque deridiculo fieret. Et quidem mea ſententia, nihil verius aptiusque ſcribi potuit, quam in *corio aſinino* hunc codicem fuiſſe exaratum, cum ſcriba ille impoſtor merito inter eos auritos Satyros locum mereatur, de quibus Horatius: (a)

Bacchum in remotis carmina rupibus,
Vidi docentem (credite poſteri)
Nymphasque diſcentes, & aures
Capripedum Satyrorum acutas.

Imo

(a) Horatius Ode 19.

LUCIFER. Imo meritus, cui mendacia ſua & Sycophantiæ in ſuo corio dorſoque taurea, ſeu flagro bubulo ſcriberentur. Quis enim unquam ejusmodi Alphabetum aut characteres Slavicos vidit, legitque? quos rectius anſerum & gallinarum ſcabra quam literas quasdam dixeris. Clariſſimus Bandurius Raguſinus Benedictinus Meliteníis in ſuis doctiſſimis Animadverſionibus ad librum Conſtantini Porphyrogeniti de adminiſtrando imperio pag. 66. & 67. editionis Venetæ producit octo Alphabeta Slavonica æri inciſa, habemus prætetea excuſum duplex in Stredovskio & Valvaſore, aliud in Bohorizio, ſed num vel una litera, ſi alpha excipias, commentitio illi ſimilis? Quis unquam docuit novitque Slavos veteres numeris latinis fuiſſe uſos, quos Græcorum more numeros characteribus expreſſiſſe certo conſtat. Si vero characteres illi fuere tam incogniti, *ut nemo eos unquam viderit, noveritque, aut unquam vidiſſe auſus ſit dicere*, quomodo Zbirko illos tandem legere potuit? quis ei clavim ad eos dignoſcendos, alphabetumque integrum condendum tradidit? Sed hæc commemorata *nonnisi præludia* ſunt impoſturarum; multo manifeſtiora ubivis in ſe toto libro produnt. Nam idem ſtoſidiſſimus Sycophanta totum opus ſuum hodiernis metitur moribus, lecturus hic Libuſſæ, Croci aliorumque diplomata cum ſplendidiſſimis titulis, lecturus hic Ethnicorum Ducum noſtrorum Auguſtales literas ſub ipſa Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione, viſurus hic calamo delineata ſepulcha Czechi, Croci, aliorumque, viſurus hic numos magnitudine imperialis Czechi, Croci, Nevæ, Libuſſæ, Tetkæ & Bielæ eo veſtium nitore, eo corporis cultu cum pileolo ducali, coronis regiis, cincinnis, purpura, quibus hodie regum, reginarum, ducumque ſimulacra procudi ſolent. Et quidem ſimulacra, quæ referuntur in numo Croci ac Libuſſæ oſtendunt manuſcriptum hoc primum poſt annum 1735. effictum fuiſſe, nam deſumpta ſunt ex hiſtoria Ducum & Regum Boemiæ, quam L. B. Franciſcus Joſephus Konias anno 1735. Theſibus ſuis Philoſophicis adnexuit, imaginibus ipſis a calcographo Pragenſi Birkart inventis ſculptisque. Præter hæc viſurus lector in iisdem pleriſque numis elegantiſſimas latino charactere inſcriptiones, viſurus clypeos cum ornatu & coloribus, quibus hodie pinguntur. Lecturus denique herbarum & medicaminum quorumque ſpecies, quæ omnia Sycophanta hic ex variis jam prelo datis libris plagiario flagitio exſcripſit, ut ſi quis utrumque oculum claudat, ineptias has atque impoſturas ſit palpaturus, & cum Comico exclamaturus:

Nihil

Nihil eſt profecto ſtultius, neque ſtolidius, LUCIFER.
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque perjurius.

II. Verum non ſatis fuit Lucifero tuo hoc dedecus probrumque manuſcripti codicis in præſidium priſcæ veritatis hiſtoricæ adverſum me adducere, niſi ſimul ex hoc rei literariæ propudio, adjectis recentiorum de morte Czechi memoriis argumentationem multo inſolentiorem deduceret, quam ille tanquam novum quendam nodum Gordium tanta confidentia ſuperciliOque jactat, ut illi diſſolvendo unius ſoliusque Alexandri Magni mucronem parem deputet. Aurem præbeamus nugatori: *Illud urgeo*, inquit, *quod ipſemet Gelaſius controvertere, minimeque negare valet: omnes abſolute domeſtici præter extraneos ſcriptores ſive tacite innuunt, ſive expreſſe tradant Czechium fuiſſe mortuum, idque tanta unanimis conſenſus contentione præſtant, ut non deſint, qui & vitæ, & regiminis ejus annos probabiliter in præſens definiant, itaque Czechius non poteſt dici opus intellectus, uti eſt fictio, at opus Dei, quale eſt homo mortalis, defendi debet.* Pag. 131. Huc denique poſtea ſumma argumentationis ſuæ redit: *Czechum mortuum ajunt probati & graves hiſtorici, ergo vixit.* Tantique eam reputat, ut epiphonematis loco cavillabunde ſubnectat: *Pueri dialecticorum litem dirimant.* Hei mihi! quem ego Oedipum reperiam, Pag. 132. qui tam implexum Sphyngis ænigma potis ſit diſſolvere? nullumne ſubterfugium diſtinctionemve ſive Scoti ſive Ariſtotelis, Thomæve Schola ſuppeditet? Ad puerorum itaque ludum, ad quem hanc litem remiſiſti, quæſtio deferenda erit, qui procul dubio una voce exclamabunt cum cachinno: *Qualis vita, mors eſt ita. Non fuit*, dicent illi verbis tuis, *niſi opus intellectus* vita Czechi, non poteſt niſi *opus intellectus* eſſe illius mors. Vixit nempe mortuusque Czechus ea vita & morte, qua Turpini ille gigas, qua Joanna Papiſſa, & mox memoratus tuus Petrus Zbirko, ſexcentaque alia cerebri figmenta. Natus in cerebro hiſtoricorum noviſſimorum, nec alibi, quam iſthic etiam tumulum ſuum, ſi veritati cedere velint, reperturus eſt; cui cum funus apparabitur, næ præcipue te Lucifer alioſque tui ſimiles ad hanc funeris pompam vocare neceſſe erit, ut pullo veſtitu peploque tetri tumbam præficarum ritu ſeu præeatis ſeu ſequamini, atque inſolito ejulatu tanti patris patriæ Czechicæque gentis conditoris exuvias deploretis. Quid vero opus tibi erat argumentationem a morte Czechi capere? modo vel viventis nomen ex antiquitate illa, quam præſens argumen-

LUCIFER. tum expoſcit, prodidiſſes. Authorum recentiorum teſtimonia, ad quæ provocas, non majori mihi ſunt in pretio quam tuummet, qui procul dubio in concavo lunæ vidiſtis, quæ ante vos ſæculis decem prius geſta ſunt. Nolim tibi rurſum in memoriam refricare Baronii Critices regulam a te ipſo præſcriptam: *Quod a recentiore authore de rebus antiquis ſine alicujus vetuſtioris teſtimonio profertur, merito contemnitur.* Flavii Joſephi & Melchioris Cani a te prolatæ authoritates nihil penitus me ſtringunt, loquuntur enim illi de conſenſu authorum omnium tam veterum quam recentium; tibi, quod præcipuum eſt, primorum & vetuſtiſſimorum non modo teſtimonium deeſt, ſed plane tibi adverſantes contradicentesque habes. Verum veniam mihi da hoc loco Lucifer, quod auſim dicere, non ſatis provide cumque honore Czechi tui ſcripſiſſe, cum eum mortem oppetiiſſe admiſiſti. Multo facilius ſecuriusque tueri tibi licuiſſet: eum immortalitate donatum fuiſſe. Nam ſi Boemus ille Coſmæ Czechus tuus eſt, ejus mortis nequidem Coſmas meminit, nec omnes alii vetuſtiores, qui poſt Coſmam ſcripſere, imo quod maximum ſententiæ tuæ fulcimentum eſſe potuit, *ne Dalimilus* quidem verbo uno mortem illius indigitat. An non major tibi gentique noſtræ gloriæ fuiſſet, ſi illum immortalem, inque Deorum immortalium catalogum aſſeruiſſes. Si enim te ipſo teſte Slavi Vitislaum & Radegaiſum in Deaſtrorum ſuorum numerum retulere, non video cur Czechus ob tantæ gentis conditæ meritum eadem prærogativa non quoque dignus ſit? Quanto faſtu tum dicere licuiſſet, quod vetus Comicus de perſonato in ſcenam ingreſſo Jove loquitur:

Pag. 32.

Pag. 132.

Vides ſupernum ſimul & immenſum æthera
Terram humidis circumtenentem brachiis,
Illum Jovem arbitrare, nec non hunc Deum.

Ad §. XIV.

Pag. 133. I. Ab una manuſcripti codicis chymæra tranſis ad alteram haud diſſimilem: Sed ne mendax corvus tuus ſe ſe illico atredine ac crocitatione ſua prodat, latiis eum plumis comſiſti, & latine loqui docuiſti. Profers itaque in novum Czechi tui fulcimentum cujusdam commentitii *Rottmanni*, aliter *Rademili* tibi appellati, non ſecus atque ſupra Petri Zbirkonis manuſcriptum, qui primus in Glattovienſi Ordinis S. Benedicti monaſterio (a Theobaldo Duce anno 1158. in hono-

rem

rem S. Laurentii fundato) Abbas fuiſſe aſſeritur. Illud ipſum inquam LUCIFER. MS. quod ſub *Joannis Klattowskii* olim Fratris Curiæ, ut appellant, Civisque Neo-Pragenſis nomine vix alicui in hiſtoria patria exercitato hodie incognitum eſt, quodque is ipſius fallacium mercium inſtitor anno 1599. vernaculo ſermone ad poſteritatem tranſmiſit. Ne autem mercium ſuarum vitium illico legentium feriret oculos, antiquitatis lenocinio id coloravit, neſcio quem Rottomannum Ordinis S. Benedicti, hiſtoriis noſtris incognitum authorem, operi ſuo præfigens, neſcio quod ejusdem Ordinis monaſterium omni antiquitati ignoratum Clattoviæ effingens. Sed *Operta quæ fuere, aperta ſunt, patent præſtigia.* (a) Manuſcriptum iſtud jam ante complures annos optime mihi perſpectum erat, ſæpius enim id vidi, & tumultuarie excurri in Bibliotheca A.A. R.R. P.P. Auguſtinianorum Diſcalceatorum Neo-Pragæ ad S. Wenceslaum, quod manu ipſiusmet Mathiæ Boleluczky deſcriptum ibidem proſtat. Poſtea etiam exemplar illius gratia Illuſtriſſimi ac Excellentiſſimi D. D. Epiſcopi Litomericenſis ex Bibliotheca Waldſteiniana Duxovienſi aſſecutus ſum. Sed audire libet, quæ graphicus hic nugator in dedicatione ſua, quam Senatui Klattovienſi inſcripſit, præfetur. Ait itaque pridem animo ſuo concepiſſe deſiderium certam originem urbis Klattoviæ ab Hageco prætermiſſam explorandi, deveniſſe tandem in notitiam Reverendiſſimi D. Petri de Linda Decani Metropolitani & Wiſſehradenſis, qui eum non celaverit, in manibus ſuis eſſe manuſcriptum quodpiam, non modo de origine urbis Klattoviæ ſed & conditore & initiis fidei Chriſtianæ in hac regione tractans. Poſt multas tandem preces ſibi id permiſſum fuiſſe, ut in domo ejusdem Reverendiſſimi Decani perlegeret, prohibitum tamen id deſcribere, aut ſecum domum deportare. Prolatum ſibi itaque fuiſſe quendam codicem, in quo præter alia continebatur Manuſcriptum primi Abbatis Monaſterii Klattovienſis nomine Rothomanni Bohemice Radimili ſub hoc titulo, quem in adverſaria ſua exſcripſerat: *Hiſtoria de fundatione Civitatis Clatoviæ ex memoriis conſignatis a pio Sacerdote Wotilo, conſcripta a Rothomanno Abbate Monaſterii Clatovienſis.* Subjungit demum: ſe ob brevitatem temporis librum legendo non potuiſſe abſolvere, partim quia antiquo charactere, partim cum abbreviationibus conſcriptus erat, adeo ut neque vetuſta nomina, neque annos ſibi debite notare potuerit, quædam tamen ſecreto in pugillarem ſuum conſignaſſe, alia

(a) Plaut. Captiv. Act. 3. Sc. 3. v. 8.

LUCIFER. tam memori mente retinuiſſe, ut lectori vadimonium facere poſſit; vix aliquid ex hoc MS. veteri a ſe omiſſum eſſe. Denique claudit: poſt mortem hujus Reverendiſſimi D. Decani ſe ſe ſedulo in hunc codicem inquiſiviſſe, ſed fruſtratam fuiſſe operam ſuam. Hem Iliadem in nuce! Mirum vero artificem, feliciſſimæque memoriæ hominem! qui tot nomina, tot res ſibi ante incognitas una lectione ita comprehendere potuerit, ut integrum Chronicon annorum plus quadringentorum ſerie digeſtum non modo texere, ſed ipſa veteris authoris verba reddere valuerit. Cui ſubleſtæ fidei ſuſpicionem non ſuggerat: hominem vix quidem in lectione antiquorum voluminum verſatum uno ſtatim conſpectu tam veterem characterem legere, & cumprimis priſci illius idiomatis Boemici obſcuritates tam facile intelligere potuiſſe? Quid ſi Joanni Klattowskio vel ſæculis duobus poſterior Dalimilus veniſſet in manus, auſurusne fuiſſet dicere ſe ſe facile mentem ejus ubivis aſſecutum, adeo ut una lectione non modo noſſet, quæ Dalimilus velit, ſed eo etiam ſepoſito, novum quaſi Dalimilum ex prompta memoria poſſet ſcribere? Cui res fraudem non ſuboleat: Joannem Klattowskium non prius, quam poſt mortem Reverendiſſimi D. Decani Petri de Linda manuſcriptum hoc in publicum emiſiſſe, illumque autographum codicem tum non amplius fuiſſe repertum, ſcilicet cum nemo nihilque ſupereſſet, quo ſeu illius aſſerta probari ſeu controverti poſſent? Sed non ſunt hæc ſola efficti ſuppoſititiique manuſcripti indicia, alia longe valentiora præſto ſunt: Nolim commemorare Ethnicorum Ducum Principumque præſertim Clatovienſium genealogias, quorum numerus, nomina, res domi foriſque geſtæ apud omnes hiſtoriæ patriæ peritiores incertiſſima ſunt, & non modo olim Coſmæ ſed univerſis noſtris poſt Coſmam ſcriptoribus usque ad hunc Klattowskium fuere incognita, imo cum coævis loco omni pugnant; at profert hic author monaſterium Ordinis S. Benedicti Clatoviæ, de quo tacet Vincentius & Chronographus Siloenſis ejus temporis ſcriptores a me editi, tacent Continuator Coſmæ, Dalimilus, Pulkava, Marignola, Æneas Silvius, Kuthenus, Dubravius, verbo omnes ante annum 1599. quo memoriam monaſterii iſtius protulit Klatowskius. Habeo in manibus ex antiquiſſimis temporibus *Bernarum*, ut vocabantur, Provincialium catalogos, ſuo olim tempore inter Tomos meos inedi os vulgandos, in quibus monaſteria omnia Bohemiæ conſignantur, taxanturque, ſed Clattovienſe Ordinis S. Benedicti comparet nuſquam. Nec Hagecius, nec Paprocius in Catalogis monaſteriorum a ſe excuſis illius

illius meminere, quin uterque ad Eccleſiam S. Laurentii primum in- LUCIFER
ductos docent R. R. P. P. Ordinis S. Dominici. Paprocius tamen poſterius in urbibus p. 227. jam ex Klatovſkio monaſterii hujus commemorationem refert, quin anteriora ſua corrigat, aut definiat, alterutrumne magis ad fidem hiſtoricam accedat? poſt Paprocium hoc commentitio Klatovskii partu bona fide uſus Balbinus, Ziegelbauer aliique, omnium autem maxime Florianus Hammerſchmid, qui ex hoc fonte potiſſimum hiſtoriam ſuam Clattovienſem vernaculo ſermone ſcripſit. Qui autem fieri potuiſſe prudens quis ſentiat, ut inter tantum patriorum noſtrorum hiſtoricorum numerum Klattovskii ætate ſuperiorum, nemo tam luculenti, tam divitis, & ſolo nobilium contubernio incliti, ut author vult, monaſterii notitiam habuerit? qui factum, ut in tot millibus diplomatum, quorum jam magnum numerum domi foriſque excuſum habemus, majorem etiam ex meris membranis conſcriptum inter collectanea noſtra poſſidemus, nusquam alicujus Abbatis Clattovienſis legatur ſubſcriptio? nemoque ſit ex noſtris hodie antiquitatum patriarum peritis, qui ſeu monaſterii hujus ſeu Abbatis alicujus indicium ante annum 1599. quo Klatowskius opus ſuum ſcripſit, inveniſſe auſit affirmare?

Verum ne uno ſoloque argumento negativo, Lucifero noſtro tantoopere exoſo, rem egiſſe videamur, jam ad arcem narrationis de hoc Monaſterio prolatæ expugnandam progrediamur: Refert itaque author hic cum multis rerum circumſtantiis, quæ ab uſu illorum temporum alieniſſimæ ſunt, neque hiſtoricis coævis conciliari poſſunt, refert inquam: quod Sobieslaum II. Sobieslai I. filium res novas molientem Theobaldus commiſſo in Clattovienſi agro prælio vicerit, manu ſua non procul a caſtro Raupow ceperit, in victoriæ vero ſuæ ſempiternum monumentum idem Theobaldus cœnobium ac templum honori S. Laurentii (uti in prælio voverat) Clatoviæ anno 1158. conſtruxerit. Narrat demum: a Theobaldo in hoc cœnobium inductam eſſe Familiam Religioſam Ordinis S. Benedicti, primumque Abbatem electum Radimilum Virum ex vetuſtiſſima Heskii ſtirpe, quæ a Tetka ſorore Libuſſæ (vah nugas atque crepundia!) deſcenderit, tabulamque ſchachidis in clypeo geſſerit. In qua narratione quot pene verba ſunt, tot peccata hiſtorica. Conferamus jam Vincentium coævum, quem Tomo I. manuſcriptorum nusquam antehac editorum vulgavimus, & pignore certare auſim neminem non narrationem iſtam inter hiſtoriæ dedecora rejecturum. Vincentius itaque ad annum

 1147.

LUCIFER. 1147. refert: Sobieſlaum Sobieſlai filium non prælio aliquo a Theobaldo victum, ſed cum hoſtiliter ingreſſus fuiſſet Boemiam, aſtutia bellica nocte circumventum, & in quadam villa ultra Uzdicz (quod veroſimillime hodiernum Zdicz eſt, curſus publici ad Pragam ſtatio) captum fuiſſe, cum nempe abſente Wladislao Duce Bohemiæ, inque terra ſancta commorante, Sobieslaus non ad eripiendam Theobaldo provinciam Clattovienſem, ut Klatovskius ſomniat; ſed ad eripiendum Wladislao Ducatum Bohemiæ ex Teutonia veniſſet in Boemiam. Verba Vincentii pagina 39. ſunt: *Princeps autem Theobaldus terram a fratre ſuo* (Hieroſolymam concedente) *ſibi commiſſam . . . . . feliciter gubernabat. Interea Sobieslaus filius Sobieslai Ducis, qui exul in Teutonicis manebat partibus, audiens fratrem ſuum* (Wladislaum) *Ducem Bohemiæ tam longam viam arripuiſſe, paternum Ducatum affectans, Bohemiam cum ſuis, quos habebat, intrat, & dulcibus verbis & promiſſionibus, quos poterat, ſibi allicit. Quod dum domino Theobaldo fuiſſet relatum, diverſas inſidias, ut eum caperet, ponit, ad ultimum illum in quadam villa ultra Uzdicz* (nempe U Zdicz ſeu apud Zdicz; nam Uzdicz locum nuſquam ſeu in vetere ſeu hodierna tabula Geographica reperio) *cum magna militia de nocte circumveniens, & tandem in quadam curia captum, Pragam deducit, & in turri majori firmiori poſitum, usque ad Ducis Wladislai adventum cuſtodibus fidelibus tradidit.* Ubi hic illud prælium? ubi ager Clattovienſis? ubi votum, vel cauſa voti? ubi monaſterii fundati memoria? Et ne quis fortaſſis obtendat aliud illud Theobaldi cum Sobieslao prælium fuiſſe a Klattowskio narratum, ab ovo geſta Sobieslai & Theobaldi ex eodem Vincentio repetamus. Ante annum 1147. Sobieslaum fuiſſe in Teutonia exulem mox ſupra legimus, ab anno 1147. quo captus a Theobaldo usque ad reditum Wladislai Hieroſolymis, cuſtodiebatur Pragæ in turri majori, quo redeunte inquit idem Vincentius ad annum 1148. Wladislaus *filium Sobieslai in caſtro Primda firmiſſime cuſtodiendum transmittit.* Iſthic manſit in cuſtodia usque ad annum 1150. quo per fautores quosdam carceres ſuos evaſit, ut ſcribit Vincentius ad hunc annum: *Filius Sobieslai a ſuis quibusdam fautoribus, caſtellano Bernardo de nocte interfecto, & in inferiorem turris carcerem miſerabiliter detruſo, de carcere ex Primda evaſit.* Ab hoc anno uſque ad annum 1162. rurſum mulctabatur exilio, nec in Boemiam aut Moraviam rediit. Anno itaque 1162. memorat rurſum Vincentius: *Nuncius de Moravia venit referens Sobieslaum filium Sobieslai Olomucium nocte fraudulenter cepiſſe, & licet Regi* (Wladislao) *tam adverſa accidiſſent, prædictam tamen mili-*

tiam ad dominum Imperatorem dirigit, querelas de Sobieslao referens, ipſe autem alia collecta militia Moraviam intrat, Olomucium obſidet. Sobieslaus videns ſe domino Regi non poſſe reſiſtere, per Conradum & Ottonem Principes, & per alios primates gratiam domini Regis quærit, ut ei tamdiu miſerias in exilio paſſo aliqua portiuncula Boemiæ detur, rogat. Quod ei facile promittitur, in gratiam Regis in oſculo pacis recipitur, Olomucium in poteſtatem Regis redditur. Rex cum Sobieslao Pragam revertitur; & cum poſt celebrata divina in ſuperiori palatio domini Epiſcopi Sobieslao reſidente, & beneficia exſpectante, quæ Rex in inferiori caminata videbatur diſponere, capitur, & in majorem ibi turrim ponitur, catenatur, ſui, qua quis poteſt, effugiunt, in caſtellum Prindam deducitur, Conrado Sturm cuidam tyranno carnifici cuſtodiendus committitur. Hic ſub cuſtodia Conradi Sturm, tredecim annis carceris ſqualores tulit. Anno itaque 1172. pro eo deliberando apud Imperatorem intercedit frater Udalricus. Anno vero primum 1174. ad interpoſitionem Imperatoris liberatur, cui cum Ducatum Bohemiæ cedit frater Udalricus, ille extemplo graviſſime animadvertit in Conradum Sturm olim cuſtodem ſuum, eumque crudeliter necari fecit. Anno 1175. comitatur Udalricum fratrem militiam Imperatori in auxilium ducentem. Anno 1176. vaſtat Auſtriam. Anno 1177. excidit gratia Imperatoris. Anno 1178. obſidetur Skalæ a Friderico Duce. Anno 1179. vincit Fridericum, & ab eo poſtremo vincitur. Anno 1180. moritur peregre, & tumulatur in Wiſſehrad. Quæ omnia copioſius legere licet in Vincentio a me edito. Quo tempore igitur prælium iſtud Clattovienſe cum Theobaldo accidere, aut quomodo notitiam Vincentii tam locupleter Sobieslai geſta perſequentis fugere potuerit, nullus video. Jam etiam geſta Theobaldi ex eodem Vincentio & Morena Italo coævo ſcriptore conferamus: Anno 1142. Wladislaus Theobaldo committit tutamen urbis Pragæ, ubi a Conrado obſeſſus viriliter ſe defendit. Anno 1147. Wladislaus Hieroſolymam cum auxiliaribus concedens Ducatus regimen ei committit, capit eodem anno Sobieslaum, ut ſupra dictum. Anno 1157. fuit in nuptiis Friderici Imp. cum Wladislao Duce. Anno 1158. cum forti militia fratrem Wladislaum Imperatoremque comitatus Poloniam invadit, poſtea cum eodem Imperatore proficiſcitur in Italiam adverſus Mediolanum. Redit cum fratre ſub finem anni 1159. Anno 1160. rurſum mittitur ad Italiam, redit ejusdem anni exitu. Anno 1161. denuo mittitur, ignem mittit in Mediolanum, licentiam domum redeundi ab Imperatore obtinet. Quæ ſi jam quis cum nugatoris iſtius fabulis

LUCIFER.

LUCIFER. atque ſomniis conferat, quo pacto prælium iſtud Theobaldum inter & Sobieslaum ejusque captivitas anno 1158. admitti poteſt, cum ex ſupra allatis certum ſit priorem eo anno partim in Polonia, partim Italia egiſſe, alterum plane Boemia extorrem fuiſſe? ut taceam nullum luculentum legitimumque documentum oſtendi poſſe eo jam tempore Theobaldum provinciæ Clattovienſis Principem fuiſſe, poſterius enim ſub annum 1182. primum Friderici Ducis gratia permagnam Boemiæ portionem accepiſſe teſtatur Chronographus Siloenſis a me editus his verbis: *Dux Theobaldus patruelis & ipſe tam Epiſcopi quam Friderici Ducis, de cujus gratia per quartam partem principabatur.* Præter hæc ſuppoſiti partus indicia alia quoque ſuppetunt, ſi enim cetera hujus fabulatoris narrata cum priſcis noſtris patriis ſcriptoribus conferantur, ubivis tam in rebus, quam chronologia hiſtoriæ monſtra deteguntur; ut ſe ſe tanquam ſorex ſuo indicio prodant, pereantque. Pleraque enim hodiernis moribus accommodata, nec veteris illius dialecti Slavicæ, nec nominum propriorum vetuſta conſervata veſtigia, & quo fraudi facile larvam detrahas, lecturus ibidem a tam vetuſto authore provocari ad Hagecii teſtimonium. Audi vero vel titulum libri, ut quantæ antiquitatis ſit manuſcriptum iſtud ex hodiernæ pene linguæ Boemicæ genio cognoſcas, ſic vero habet: Fundacy, aneb Založenj y Wyſtawenj ſlawného Měſta Klattow, a od koho Gméno ſwé má, y giné Wěcy pamětni, které ſe w něm zběhli: ſepſané od Rothomana, ginák Radimiſa někdy prwnjho Oppata Kláſſtera Klatowſkého. Teſtimonium vero de Czecho quod Lucifer latinitate donavit, ne recentiſſimum Boemicum idioma codicis novitatem proderet, his verbis genuinis conceptum eſt: Smitauſs (Apage vocis inepties! veteresne Boemi ſeu diphthongum au ſeu quamcunque aliam in commercio linguæ ſuæ habuere?) byl Syn Chabru, kteryžto Chabr byl z Rodu powegſſeného. Ten w Mladoſti ſwé z Knjžetem Czechem z Charwat do Země Czeſké přiſſel. Eſt mihi ad manus aliud MS. Chronicon Glattovienſe ex Bibliotheca Waldſteiniana Duxovienſi ſuo tempore inter Tomos meos MSS. ineditorum recenſendum, quod omnium harum fabuloſarum ſubleſtarumque narrationum ne indicium quidem habet.

Pag. 134.

Verum authoritatem ſuam pretiumque huic manuſcripto ſtabiliturus profers Balbini locum ex Epitome ſua l. 3. c. 10. p. 227. his verbis: *Ab hoc vero Abbate Radimilo hiſtoriam Glattovienſem, ſeu origines urbis Glattoviæ conſcriptas habemus; quæ hiſtoria priore ſæculo in Bibliotheca S. Viti Eccleſiæ Metropolitanæ inter codices manuſcriptos reperta eſt, cujus exemplar eſt apud*

apud me. Et rurſum ex ejus hiſt. Ducum Boem. Sect. 1. p. 12. *De noſtris* (Heskiis cum Schachidis tabula) *dubium eſſe non poteſt, idque ex hiſtoria Glattovienſi ante ſexcentos & amplius annos ſcripta legimus.* Quæris quid ad hæc reſpondeam? dicam candide: Ego, qui Balbini merita de hiſtoria patria nunquam prædicare deſinam, temperare tamen mihi non poſſum, quin auſim dicere, quod aliquoties Incliti Ordinis ſui Alumni, præſertim in non pridem excuſa vita S. Wenceslai & Ludmillæ ſcribunt: *Miror Balbinum noſtrum.* Et de quo ipſo Clariſſimus Vir Conſtantinus Suyskens S. J. Operis Bollandiani Continuator eruditiſſimus in ſua ad me IV. Non. Junias data epiſtola: *Balbinus mihi amicus & venerabilis eſt, ſed magis amica & venerabilis veritas.* Miror, inquam, Balbinum, qui tam facile credulus nugatori huic Joanni Klattovskio aurem atque fidem præbuerit, & ſpurium illius ſubjectumque partum, pro vero vetuſtoque agnoverit. Nec enim ex alio, quam eo ipſo Klattovskio per conjecturam eruit, quæ ſupra ex illo retulimus. Nam cum Joannes Klattovskius, ut in illius præfatione ante meminimus, narret Reverendiſſimum D. Decanum Metropolitanum Petrum de Linda ſibi hunc manuſcriptum codicem exquiſiviſſe, Balbino autem non incognitum fuerit in Decani Metropolitani domo ac reſidentia Bibliothecam Metropolitanam ſervari, per rationabilem conjecturam verbis Joannis Klattovskii inductus eſt, ut ſibi perſuaſerit Rotomanni hujus ſeu Radimili MS. in Bibliotheca Metropolitana aſſervari, atque ſuperiore ſæculo a Joanne Klattovskio detectum eſſe, cum tamen author hic nec in Catalogo membranaceo, nec chartaceo recentiori uſpiam inter libros Bibliothecæ Metropolitanæ conſignatus ſit, quin a nemine ſeu veteriorum ſeu hodiernorum unquam viſus, commemoratusque. Niſi dicere malimus Balbinum hæc poſterioribus libris retractaſſe. Nam memorat doctiſſimus Vir Bernardinus Erber S. J. (a) Balbinum aſſerere hoc MS. *mala vel potius audaci manu* eſſe elaboratum. Quanquam ultro confitear me ignorare locum, quo id ſcribat Balbinus. Et profecto non uno loco in hac hiſtoria commemoranda variavit Balbinus: Nam cum in Epitome ſua dixiſſet Anno 1158. cœnobium Glattovienſe conditum, eique Rotomannum ſeu Radimilum hujus hiſtoriæ authorem primum Abbatem fuiſſe datum, demum in Hiſtoria Ducum ſupra relata ait hanc hiſtoriam *ante ſexcentos & amplius annos* ſcriptam. Qui autem ante *ſexcentos & amplius annos?* cum

(a) Notitia Illuſtris Regni Bohem. c. Un. p. 36.

LUCIFER.

LUCIFER. ab anno 1158. uſque ad annum 1687. quo tu ipſe Balbinum ſcripſiſſe ais, ducto calculo Arithmetico, nonniſi quingenti & amplius anni decurrerint. Advertit jam Balbini circa hanc hiſtoriam Glattovienſem fluctuationem Mathias Boleluzky Author Roſæ Bohemicæ, Balbinoque coætaneus, qui in eo ipſo Klattowskiano apographo, quod manu ejus exaratum aſſervatur in Bibliotheca A. A. R. R. P. P. Auguſtinianorum Diſcalceatorum Neo-Pragæ, ſuo pugno hæc verba adnotavit: *R. P. Bohuslaus Balbinus in adminiculis MSS. pro compoſitione Roſæ Bohemicæ de hac hiſtoria Klattovienſi ſic adnotavit:* " Quam proximus eorum temporum Bochdan An. 1017. conſcripſit. „ *Quomodo igitur a Rotomanno ſive Boemice Radimilo Klattovienſi quondam Abbate?* Hactenus Boleluzkius. Acutiori oculo nævos hujus Manuſcripti diſpexit jam Thomas Berghauer in Proto-Martyre ſuo pœnitentiæ in notis in c. 1. pag. 10. & 11. qui ad hiſtoriam S. Joannis Nepomuceni ſcribendam tum facultate donatus ipſam Metropolitanam Bibliothecam adeundi excutiendique, ſcribit: Klattovianas *has origines conſcripſiſſe fertur Rothomanus . . . . primus Abbas monaſterii S. Laurentii Ord. S. Benedicti Klattoviæ, easque concinnaſſe ex memoriis conſignatis a Wotico primo Klattovienſi Parocho. Etſi quibusdam fabuloſa, & ex ingenio magis, quam veritate ortum trahere videantur.* Audi de eodem MS. doctiſſimi Viri Bernardini Erber S. J. judicium: (a) *Anonymi Klattovienſe, ſeu Glattovienſe Chronicon, quod res Boemicas ab anno Æræ Chriſtianæ 752. uſque ad 1190. enarrat, & a plerisque ut fabuloſum exploditur. Balbinus authorem prodit Joannem Klattowsky, Civem Novæ Urbis Pragenſis, & ſcribit eum mala vel potius audaci manu in eo labore verſatum eſſe, Chronologiam quippe totam confudit &c.*

Ut autem conjecturam meam enati Klattowskiani Manuſcripti aperiam, non vane ſuſpicor Joannem Klattowskium ſeu ſua induſtria, & lectione aliorum authorum, ſeu popularium ſuorum relatione fuiſſe edoctum: Minime in hiſtoria patria locum iis concedi poſſe, quæ Hagecius anno 1167. de fundato Clattoviæ monaſterio Ordinis Prædicatorum S. Dominici narrat, cum certum ſit eo anno ne quidem natum adhuc fuiſſe S. Dominicum; in arena itaque cepit conſilium, & Ordini Prædicatorum ſubſtituit Ordinem Divi Benedicti, ut tamen authoritatem aliquam verbis ſuis conciliaret, nihil autem ea de re apud alios teſtatum reperiret, ad hæc putida commenta confugit, tanquam

a ſe

(a) Bernardinus Erber. in Notitia illuſtris Regni Bohem. c. unico de ſcriptoribus rer. Boëm. p. 36.

a ſe in multo vetuſtiore lecta eſſent; qua confidentia fraudeque tecta novam hiſtoriam Clattoviæ nec rebus ab aliis veteribus proditis, nec Chronologiæ uſpiam reſpondentem architectatus eſt. Florianus Hammerſchmid, qui hujus Joannis Klattovskii manuſcripto tanquam regula uſus eſt, fatetur tamen P. 1. c. 8. p. 101. vernaculo ſermone, quo ſuam hiſtoriam ſcripſit, quemque latine reddimus: *Sæpius ego Glattoviæ exquiſivi, quandonam, aut quo pacto Reverendi P. P. Dominicani monaſterium S. Laurentii poſt R. R. P. P. Benedictinos acceperint, ſed a nemine veritatem & certitudinem reſcire potui.* Scilicet fruſtrata opera Benedictinorum monaſterium Glattoviæ quæſivit Hammerſchmidius, quemadmodum Czechi & Lechi avitas ſedes arcesque Jordanus in Croatia. Nos vero ſpe lactamur, ut, cum ad eos annos in Faſtis Hagecianis pertigerimus, documenta adhuc idonea detegamus, quæ oſtendant non alteri ordini, quam S. Dominici hanc Eccleſiam S. Laurentii, ut ſcribit Hagecius, fuiſſe conditam traditamque, quanquam annis poſterioribus. Erat ea de re ante complures annos mihi ſermo cum A. R. ac Eximio P. Stixa Ordinis Prædicatorum meritiſſimo Provinciali, qui mihi faſſus ſe ſe Annales Provinciæ ſuæ ſcribere, hancque materiem digeſſiſſe, erit itaque fons, ad quem tum recurram, præſertim cum audiam ejus manuſcriptum Micro-Pragæ ſtudioſe ad S. Mariam Magdalenam ſervari. Cæterum de hoc S. Dominici Cœnobio Glattoviæ ſuppetunt plura vetuſta documenta a ſæculo XIV. in Libris Erectionum apud Balbinum, nempe Volum. XII. c. 6. pag. 234. F. 7. pag. 243. H. 3. pag. 254. Intelligis tandem Vir Cl. jam tertiam tuam vetuſtatis baſim, cui Czechum ſuperſtruxiſti, tubicinibus ſuis ſuccubuiſſe. Lucifer.

. . . . Jacet illud nobile fulcrum!
Cur jacet? artificis quia dextra ſolubilis illud
Cementum ſtruxit reſolubile. (a)

Proſequamur reliqua:

II. His apocryphis documentis ſubjungis vetus vernaculum fragmentum ex vita quadam S. Adalberti rythmis Boemicis conſcripta, quam ais aſſervari in Bibliotheca Metropolitana ligneis aſſerculis compactam, tum alterum quodpiam inſtrumentum Illuſtriſſimæ familiæ Stoſſianæ ſeu Kaunicianæ de anno 1081., quod duobus ejusdem proſapiæ ſigillis munitum eſſe contendis. Quorſum autem hæc duo Pag. 134.

(a) Prudentius adverſus Judæos.

LUCIFER. monumenta allegas? ſtruisne illis Czecho tuo aliquod fulcimentum? Habetne alterutrum Czechi memoriam? Primum, ut compendio referam, dicit *S. Adalbertum revertiſſe ad Czechiam.* Alterum ait: *Wilhelmum Kaunicium cum manipulo Czechorum & Moravorum occurriſſe fratri.* Profecto hi duo ſoli remi ſat validi tibi videri potuere ad hiſtoriæ Czechi navigium in portum provehendum: nempe nemini vel cogitatione aſſequi licet, ut Czechia Czechique populi aliunde quam a Czecho tuo nomen invenerint. Negavine vero ego unquam Boemiam aliter Czechiam, & Boemos aliter Czechos appellatos fuiſſe? quin uti creberrime alias, ita porro pronuncio: veroſimillime mihi videri jam Boleslaorum noſtrorum temporibus Czechiæ nomen pedetentim ad omnes Bohemiæ provincias, Czechorumque ad univerſum Bohemorum populum fuiſſe propagatum, quanquam in vetuſtis Scriptoribus nusquam ante Sæculum XII. & Cinnamum nomen id hactenus legerim. Si itaque fortuna benigno ſidere te reſpexit, & detexiſti documentum quodpiam Cinnamo vetuſtius, quod nomen *Czechiæ* aut Czechorum referat, næ argumentatione hac quidpiam certius atque evidentius, quam quod nulli alteri quam Czecho tam Czechia quam Czechi etymon ſuum debeant. Sed quid ajo te Cinnamo vetuſtius documentum detexiſſe? ſane utriusque (hoc paragrapho prolati) manuſcripti dialectus Boemica, utut vetus a te prædicatur, Cinnami ætatem minime attingit. Non te latet Vir Cl. haud aliqua re magis delectari ingenium meum, quam monumentorum patriorum vetuſtiorum ſtudio, adeo ut, ſi conatus meos minimos Viri ſummi ardori conferre licet, non diffitear: genium mihi non abſimilem eſſe genio Illuſtriſſimi ac Excellentiſſimi Epiſcopi Litomericenſis, cui res in proverbium abiit: Numus vetus, codex, aliudve priſcum patrium documentum omnem operam & pretium excedunt. Oratum te itaque majorem in modum cuperem, ut archivum ſeu Bibliothecam indices, in quo hoc pervetuſtum Stoſſianum inſtrumentum duobus ſigillis munitum ſervetur. Nam ultra profiteor a Sæculo XI. annoque 1081. nullum hactenus in manibus meis eſſe ſigillum nobilitatis Bohemicæ inter illam ſigillorum veterum prope myriadem, quam ab annis duodecim colligo. Familiam id aliquando in Annalibus meis Hagecianis inter nobilitatis noſtræ vetuſta ornamenta inſigniaque ducet. Hæres, & tergiverſaris locum mihi indicare? Ego vero tibi Lectorique oſtendam, quo loco deliteſcat, & quam nova execrandaque rurſum fraude uſus ſit Lucifer tuus, qui hæc verba ex prelo ante ſæculum dato libro exſcri-

ſcripſit. Habentur inquam verba hæc in Bartholomæi Paprocii Diadocho typis Pragenſibus Anno 1602. excuſo in Ordine Dominorum pagina 285. Verum quia verba Paprocii non eam dialectum Boemicam præſeferunt, quam Sæculi undecimi vetuſtas expoſcebat, verſute Lucifer tuus Paprocii verba ad hanc antiquitatis ſimilitudinem effabricavit demptis literis liquidis, dyphthongis & cum primis hodierno ř ſeu rž & cž ſublato; operibus meis nempe convictus majores noſtros aliquando hi literis caruiſſe. Quæ fraus ut jam in propatulo ſit, dabo tam tuorum, quam Paprocii verborum ſpecimen: **Lucifer.**

Verba Luciferi pag. 134.

A když do Morawi s tim Lidem a ſewſſým Žiwotem prigede (Otto Brater geho) naležne Wilyma Bratra ſwého, an giž z Czech, y z Morawi Lidu rytirſkeho pet tiſyc mnewſſe hotow cekat, nimiž Bratra ſwého Otty weſele zdeſſywſſe.

Verba Paprocii pag. 285.

A když do Morawy s tim Lidem a ſewſſim Žiwotem přigede, naležne Wylima Bratra ſwého, an giž z Czech y z Morawy Lidu Rytijřſkeho pět tiſyc méwſſe, hotow čekal gimiž Bratra ſwého Otty weſele zděſywſſe.

Credisne tandem in hiſtoria lecta me ſatis exercitatum, ut par ſim ſtrophis Luciferi tui detegendis, noverimque unde fragmentum non magni nominis ex ipſis viſceribus vaſtiſſimi codicis, quantus eſt Paprocius, exſecuerit? Hem iſtud *archivum* tuum, iſtud *vetuſtatis Sacrarium!* Verum ut nonnemo veterum dixit: *omne mendacium transparet, & indicia, quibus prodatur, agnoſcaturque, poſt ſe trahit.* Ita in hoc brevi fragmento duo non obſcura veſtigia fraudis reliquit Lucifer. Nam cum in Paprocii laudata pagina deprehendiſſet annum geſti hujus 1801 typographi oſcitantia corruptum, prudensque adverteret eum tolerari non poſſe, Paprocium correcturus numeris mediis tranſpoſitis ſubſtituit annum 1081. At quam acerbo Chronologiæ inflicto vulnere? integro enim ſæculo poſterius Wilhelmi hujus memoriam reponere oportuit. Lege Chronographum meum Siloenſem, quem Tomo I. Manuſcriptorum nusquam antehac editorum publici juris feci ad annos 1181. 1183. & 1185. & veriores ſinceriores que quam in Paprocio tum de Wilhelmo Kunicenſi, tum de loco Kuniz erectoque ibidem Monialium Præmonſtratenſium cœnobio reperturus es. Alterum eſt: vocas in interpretatione tua latina ſuperiorum verborum Ottonem fratrem Wilhelmi *Principem Sileſiæ.* Sed cui ſeu ſæculo unde- *Pag. 134.*

 cimo

LUCIFER. Pag. 134. cimo ſeu ſequente notum adhuc erat nomen *Principis Sileſiæ* ? quæ regio adhuc Sæculo XIV. ab omnibus *Poloniæ* audiit, ut inter alia ex Majeſtate Caroli IV. a Frehero edita cognoſcere licet. Oſtendi jam Parte II. Annalium meorum pag. 70. ex Ditmaro nonniſi portionem quandam fuiſſe hujus provinciæ, quæ pagus Silenſis a *Zleſia* ſeu *Sabotho* monte ita dicta fuit, multo vero poſterius accidiſſe, quod ab hoc monte & pago nomen ad integram provinciam propagatum ſit. Atque hæc ſunt de Stoſſiano illo documento: Quid ſi vita illa S. Adalberti rythmis vernaculis ſcripta, & aſſerculis ligneis, (quod adhuc ſuperiore ſæculo factitatum eſſe pluribus exemplis probare in proclivi eſt) tecta in manus meas pertingeret, an non fortaſſis ſimile vitium fraudemque mihi liceret detegere ? certe cum pleræque voces ad genium veteris linguæ Boemicæ accommodatæ ſunt, litera liquida ẻ & g pro i in voce Wogtěch oſtendunt, manuſcriptum iſtud non eſſe hujus antiquitatis, cujus tu illud venditas. Ut taceam a majoribus noſtris literam puram *h* loco *ch* ſemper ſcribi ſolitam, habes hujus ſcriptionis vadimonium in Spitignæi Diplomate Fundationis Eccleſiæ Litomericenſis, habes in codice tuo ſupra allato Coſmæ, ubi *tſeh* & *tſebia*, non *tſech* aut *tſechia* ſcriptum legis. Næ ſi tu Lucifer ex Indorum republica eſſes, pridem omni magiſtratu & dignitate excidiſſes. Nam narrat Philoſtratus: (a) *Apud Indos mos obtinet; ſi quis in mendacio deprehenſus unquam fuerit, hac mulctatur pœna, ut nullo amplius magiſtratu aut dignitate fungi poſſit, quia communem hominum ſocietatem mentiendo fraudaverit.*

Pag. 135. III. Cum nihil prorſum tibi Czechoque tuo in prioribus prolatis MSS. præſidii eſt, novum etiam profers codicem, legitimum quidem, ſed miro rurſum Luciferi tui artificio ad multo majorem antiquitatem expolitum, ſuiſque futilibus opinionibus affabre addolatum. *Hunc excipit*, inquis, *MS. pervetus codex hoc titulo ornatus*: "*Incipit Chronica Boemorum Coſmæ Decani Eccleſiæ Pragenſis authenticata ab . . . . Ex quo Pulkava plurimum profecit; in hoc MS. codice hæc leguntur*, quibus verbis ſubjungis teſtimonium de adventu Czechi ex Charvatia in Boemiam. Quem codicem te a Nobili & Conſultiſſimo D. Fabiano Stehlik de Czenkow & Treuſtat Pilſnenſis urbis Viro Conſulari accepiſſe infra ſcribis. Fallaci lucerna (liceat dicere) uteris Lucifer, cujus lumen radiique in te ſolum reflectunt, nobis præter tenebras nihil reliquum fa-

(a) Philoſtratus l. 2. Apollonii c. 12.

faciunt. Patere vero ut manibus tuis lucernam eximam, ipſeque lucem ſic accommodem, ut quis qualisque ſit codex, aut cujus ætatis ſit hoc Chronicon, clarius cognoſcatur. Et quidem antequam codicem hunc penitius contempler, videris mihi Lucifer novam prorſus & admiratione ſumma dignam rem narrare, dum aliud Coſmæ Chronicon verbis, hiſtoriarum ſerie, Chronologia, rerum amplitudine, annorumque productione a noto illo vulgatoque Coſmæ Chronico, quod jam bis a Frehero, ſemel per ſectiones Pragæ, iterum a Menkenio T. I. excuſum habemus, in lucem profers. Qui factum eſt, ut Coſmas duplex diverſum rebus verbisque Chronicon ſcripſerit? Vixitne Coſmas uſque ad annum 1330. quo Chronicon iſtud eodem verborum contextu procurrit? ſane pro octogenario, quam ætatem paſſim ei hiſtorici concedunt, jam tricentenarium fuiſſe Coſmam tibi concedendum erit. Verum ne lucernæ quidem tuæ lumine mihi magnopere neceſſum eſt, cognitus mihi eſt ille codex Plſnenſis, quem ante complures annos apud te aliquoties vidi, tumultuarie excurri, imo quæpiam excerpſi, ut ex meis vulgatis opuſculis legere eſt. Quid ſi jam codex iſte a te redditus, nobilis ac Conſultiſſimi Viri Stehlikii beneficio in manibus meis eſt, ut ex autographo Luciferum tuum, ſi non ſycophantiæ, certe magnæ imperitiæ errorisque convincere liceat? Quid vero is de hoc codice ait? *ex quo Pulkava plurimum profecit*, nempe ex codice Stehlikiano ſeu exiſtimato illo Coſmæ Chronico? Quo atro plagiarii crimine Lucifer nobis depingis Pulkavam, ſi id Chronicon a Chronico Pulkavæ diverſum eſt, quod ejus verbis (ſi Brandeburgenſem hiſtoriam excipias) a capite ad calcem reſpondet? An non hoc fragmentum de Czechi adventu, quod pag. 135. profers, totidem verbis habetur in Pulkavæ MS. codice A. A. R. R. P. P. Crucigerorum cum rubeo corde ad S. Crucem Majorem Vetero-Pragæ? An non in Noſtiziano? an non in Wiſſehradenſi Pulkavæ codice? atque ut celerius victas des manus, inſpice exemplar, quod Menkenius Tomo III. pag. 1617. & Ludevigius Reliquiarum ſuarum Tomo XI. pag. 129. excudi fecit, an non hæc ipſiſſima verba lecturus? Lecturus ibidem, quemadmodum in Stehlikiano codice, fragmentum integrum ſine lacuna & interjectis lineolis inter voces *vocatur* & *Czechi* his verbis: *Dicitur enim Boemia a Bob, quod eſt Deus interpretatum in lingua Sluvonica, & ideo hic interpretatione a nomine Dei Bohemi dicti ſunt*, quæ verba Lucifer conſulto truncaſti, quod codicis tui exiſtimationi nonnihil detractura formidaveris. Sed ut hoc monſtrum Herculea clava penitus LUCIFER.

tus

LUCIFER. tus conficiam, ajo: Chronici in Stehlikiano codice primum autographumque titulum non alium fuiſſe, quam: *Incipit Chronica Boemorum.* Verba ſubtus poſita: *Coſme Decani Eccleſie Pragenſis authenticata ab...* Poſteriore manu ſcripta ſunt, id oſtendit character tum difformis ab a tero, tum minor, tum alio atramento ſcriptus, & parentheſi incluſus, ut, cuicunque ſpectare libuerit, exhibere omni tempore paratus ſum, multisque explorandum jam exhibui. Scilicet compendiata Pulkavæ Chronica, e quibus geſta Marchionatus Brandeburgiæ demta ſunt, & nonnunquam poſteriorum licentia, aut ſcribarum oſcitantia, qui marginales diverſorum notas in ipſum textum inſeruere, interpolata ſunt: paſſim Anonyma vulgata ſunt, tale eſt exemplar Noſtizianum, tale Wiſſehradenſe, tale Ludevigii atque Menkenii, tale denique erat etiam Stehlikianum, ſed infeliciter incidit in indocti hominis manus, cui nec Coſmæ, nec Pulkavæ Chronicon uſquam lectum fuiſſe videtur, quique ſola ariolatione ac conjectura verba *Coſmæ Decani &c.* ſubjecit. Quanquam quid per vocem *authenticata ab..* intelligere aut ſubjungere voluerit, ipſe mente non aſſequar. Chronicon certe epitomatum Pulkavæ eſſe, rebus nimirum de Brandeburgia omiſſis, dubitare non licet, reſpondetque ad amuſſim in partitione capitum & titulorum cum Menkeniano exemplari, ceſſat vero, ut alia omnia Pulkavæ Chronica, cum anno 1330. & morte Eliſabethæ Reginæ. Nam quæ in hoc Stehlikiano codice de Joanne Rege, & Carolo Quarto ſubjiciuntur, jam extra ordinem & Chronologiam imo & capitum numerum narrantur, a poſteriore quocunque adjecta, poſt annum enim dictum 1330. reditur ad annum 1316. rurſum ad annum 1378. denique ad annum 1361. Viſurus Benevole Lector Tomo III. noſtro Manuſcriptorum nuſquam antehac editorum variantes Pulkavæ lectiones ex hoc ipſo Stehlikiano codice, quo genuinum integrumque Pulkavæ Chronicon prolaturi ſumus, & deprehenſurus non aquam aquæ ſimiliorem. Iſtud non mediocri admiratione defigit animum: tanta obſtinatione iſthic a Lucifero Stehlikiani codicis Chronicon pro Coſmæ partu venditari, poſteaquam jam ante annos complures te Vir Cl. monui, atque ad oculum oſtendi verba illa *Coſmæ Decani &c.* alia diverſa poſteriore manu adjecta eſſe, poſteaquam vel de memoria initium Chronici Pulkavæ his verbis reſpondens tibi recitavi coram, poſteaquam, ne inſpecto quidem Stehlikiano codice, prædixi id cum morte Reginæ Eliſabethæ deſinere. Credamne hæc te celaſſe Luciferum tuum? aut non commonefeciſſe, ne literatos quosque Codicis iſtius ignaros fallat? Sed

Æquum

Æquum eſt ab æquis te par impetraſſere, LUCIFER.
Ab iniquis porro haud æquum eſt, æqua poſtules. Plaut.

Quæ cum ita ſint, quis jam prudens hiſtoriarumque gnarus ex hoc Chronico Czecho tuo aliquod fulcimentum quærat? cum nemini incognitum ſit Pulkavam Dalimilo poſterius ſcripſiſſe, imo ſua paſſim ex Dalimilo mutuaſſe, qui nimirum (ut habet Codex MS. S. Crucis majoris) primum anno 1374, atque idcirco ſexaginta annis ſerius Dalimilo, Chronicon ſuum abſolvit.

IV. Ex eodem MS. chartaceo Stehlikiano Plſnenſi codice proſers eadem pagina aliam veterem Epitomen, quæ etiam Czechi his verbis meminit: *Exierunt tres fratres unus nomine Czech, qui fundavit Boemiam, ſecundus Krak, qui conſtruxit Krakoviam, tertius Lech, qui fundavit Lechnitz, & plantavit totam Sileſiam.* Eam epitomen eſſe Franciſci Canonici Pragenſis ipſe tu remoto omni dubio certo ſtatuis, dum ais: *non eſt alius quam Franciſcus Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſis Canonicus.* Imo cum ego ex hac epitome tumultuarie olim apud te inſpecta quædam excerpſiſſem, & jam eam ad Sæculum XIV. jam Sæculum XV. rejeciſſem, ſarcaſtice tu fluctuationem meam ſeu contradictionem indigitaturus, in margine apponis: *Ita ſibi hic ſcriptor conſtat.* At vero ego non diffiteor epitomen hanc obiter apud te viſam, & primos nonniſi annos a me lectos fuiſſe, nempe cum Stehlikianus codex adhuc in manibus tuis eſſet, nec rogatus ullis precibus locum dares, ut ſeu eum ſolertius excutere, ſeu exſcribere liceret. In hac tamen deproperatione vidi epitomen hanc ultra initium ſæculi XV. excurrere. Jam cum omni ſecuritate, quemadmodum iſthic pag. 135. facis, pronunciares, hanc epitomen Franciſci Pragenſis Canonici eſſe, remque claris verbis intra ipſam epitomen exprimi aſſeverares, verbis tuis fidem integram præbui, Parte II. annalium meorum pag. 70. eam ipſam epitomen nomine Franciſci referens. Cum tamen, ut ante dixi, narrationem excurrere vidiſſem ad Sæculum usque XV., non neſcirem autem Franciſcum alterius Chronici ſcriptorem jam Sæculo XIV. fatis ceſſiſſe, argumentatus ſum epitomen hanc alterius eſſe Franciſci Canonici Pragenſis, qui priori in Canonicatu Pragenſi ſucceſſerat, & ſæculo XV. vixit. Quod ne tanquam araneus ex memet ipſo fingere rurſum tibi videar: lege diplomata Wenceslai noſtri inertis & Romanorum Regis, in quibus paſſim *Franciſcum Canonicum Pragenſem & Præpoſitum Boleslavienſem* Notarii nomine ſubſcriptum invenies.

Pag. 135. (margin, beside "proſers eadem pagina")
Pag. 135. (margin, beside "Ita ſibi hic ſcriptor conſtat")

LUCIFER. nies. (a) Atque hoc errore me tuus abripuit error, hæc mihi animo ſteterat ſententia, antequam Epitomen illam totam legendo excurriſſem. Quod dein eadem Parte pag. 95. Epitome hæc, authorque illius ad Sæculum XIV. a me rejiciatur, non eſt, niſi oſcitantia typographi, ſeu ſi malis, præcipitatio calami mei; nec enim ejusmodi hallucinationibus immunem auſis pronunciare tenuem lucubrationem tuam. Si enim pag. 35. calamus tuus loco *S. Wenceslai* ſcripſit graviſſimo errore *S. Adalberti*; quidni in numero IV. & V. effigiando ſomnus & ceſpitatio calamo meo obrepere potuit? Ut proinde inſolens ſit tua expoſtulatio & ſarcaſmus: *Ita ſibi hic ſcriptor conſtat.* At

Pag. 135. vero poſtquam tandem Stehlikianus Codex in manus meas devenit, epitomenque iſtam meditate per omnes partes legi excuſſique, video cymbam tuam Vir Cl. longiſſime a portu aberrantem, nihilque minus ſuſtineri poſſe, quam ut hæc epitome alterutrius Franciſci Canonici Pragenſis, ſeu prioris qui ſæculo XIV. ſeu poſterioris, qui ſæculo XV. floruit, eſſe poſſit. Quod Epitomen hanc Franciſco Canonico Pragenſi (priori quidem, qui ſæculo XIV. vixit) vendices, nullum tibi aliud argumentum eſt, quam quod hæc Epitome ad annum 1334. hæc ſcribat, quæ etiam in opinionis tuæ firmamentum pag. 135. ad verbum recitas: *Eodem anno* (inquit author) *inſurrexerunt Plebani civitatis Pragenſis contra Ordines Mendicantium, qui conſueverant prædicare in Eccleſia Pragenſi: ſed poſtea Dominus Joannes Epiſcopus Pragenſis XXVII. Franciſcum Capellanum ſuum Prædicatorem & Pœnitentiarium ſcilicet Eccleſiæ Pragenſis inſtituit, qui ob reverentiam Epiſcopi hanc ſecundam partem Chronicæ conſcripſit.* Hic tuus murus aheneus! ſed quam celeriter inopineque humi procubiturus ſit, jam agnoſces. Ante omnia autem ſciendum Epitomen hanc ſeu breve Chronicon in Stehlikiano Codice ſine ullo prævio authoris nomine eſſe exaratum, & diverſorum Chronicorum Boemiæ quoddam ſummarium eſſe, cui tamen poſterius author temporis ſui geſta per annos compendio adjecit. Titulus vero his verbis conceptus eſt: *Incipit Cronica Bohemorum ab ipſorum inicio conſcripta, de multis aliis provincie Cronicis excerpta, que ita breviata memoriam inducit poſteris, & tradit, qui fuerunt inventores terre, Judices, Duces, Principes, Reges, & Epiſcopi, Archi-Epiſcopi ſcriptotenus relicta.* Quod itaque Chronicon

(a) Diploma Wenceslai Petro Mislin Civi Pragenſi datum Anno 1401. die 29 Aprilis, in quo hæc verba ſubſcripta leguntur: *Per D. Procopium Marchionem Moraviæ. Franciſcus Canonicus Pragenſis.* Anno 1418. ſimul *Præpoſitus Boleslavienſis* ſubſcriptus legitur in literis Conradi Archi-Epiſcopi Pragenſis.

nicon cum ex aliis pluribus excerpſit congeſſitque author, non raro LUCIFER. ipſa verba ſervavit, quæ in aliis Chronicis notata reperit. Sic verba illa a te ſupra allata: *Sed poſtea Dominus Joannes Epiſcopus Pragenſis XXVII.* Pag. 135. *Franciſcum Capellanum ſuum Prædicatorem & Pœnitentiarium ſcilicet Eccleſiæ Pragenſis inſtituit, qui ob reverentiam Epiſcopi hanc ſecundam partem Chronicæ conſcripſit.* Mutuavit author pene ad verbum ex Franciſci Chronico, quod aliter paſſim *Chronica Pragenſis* audit, & quod Prænobilis ac Clariſſimus D. Joan. Auguſtinus Kneysl Appellationum Conſiliarius ex codice Metropolitano deſumptum Theſibus ſuis Juridicis anno 1754. adnexuit. Ibi enim ſecundæ Partis libro tertio c. 3. pag. 85. hæc eadem poſt fuſe commemoratam Plebanos inter Pragenſes & Ordines Mendicantium 1334. exortam controverſiam his verbis ſubjungit: *Conſueverant autem prefati Religioſi diebus dominicis in Eccleſia Pragenſi ad populum facere ſermonem, quos Venerabilis in Chriſto Pater Dominus Johannes IIII. Pragenſis Epiſcopus XXVII. amplius hunc faciendum non admiſit. Commiſit autem ibidem officium predicationis ſuo Capellano & Penitentiario Franciſco quondam Rectori Scole in Wiſſegrado, qui (NB.) ob reverentiam & mandatum ipſius ſcripſit hanc ſecundam partem Cronice Pragenſis.* Quæ poſteriora verba epitomator Chroniei Stehlikiani miſſa nonniſi una & altera voce in Chronicon ſuum retulit, exſcripſitque. Verba igitur Stehlikiani Chronici *qui* (Franciſcus) *ob reverentiam Epiſcopi hanc ſecundam partem Chronicæ conſcripſit*, non reſpiciunt ad brevem illam Epitomen, quæ in Stehlikiano codice conſignatur, ſed ad Chronicam Pragenſem, cujus ſecundam Partem ſcripſit Franciſcus, quamque in tres libros diſpeſcuit, ut ex apographo Kneysliano typis excuſo videre licet. Multumque miror Vir Cl. quod hæc eadem mox recitata verba nullam tibi dubitationem hæſitationemque oggeſſerint, cum in hac Epitome ne indicium quidem alicujus *primæ* aut *ſecundæ partis* deprehenderis; imo videris authorem unum eundemque ab incunabulis gentis noſtræ uſque ad annum 1438. eodem verborum tenore progredi. Recte itaque Cicero: *Error fatalis quædam calamitas occupat improvidas hominum mentes.* Nam & iſthic minus providam mentem tuam occupavit, cum Franciſco ſæculi XIV. ſcriptori Chronicon adjudicaſti, quod una eademque oratione longe ultra ætatem Franciſci procurrit, quod cum narratis Chronicæ ſuæ Pragenſis pluribus locis pugnat; nam ſi vel ipſam Czechi Lechique memoriam in hac epitome relatam ad lydium lapidem ſcriptorum Franciſci exigis, cogniturus eum his fabulis penitus abſtinuiſſe, & primum omnium locum inter Duces Bohemiæ Przemyslo in Catalo-

LUCIFER. go Ducum ſuorum Parti ſecundæ præmiſſo conceſſiſſe. Nec vero Epitomæ iſtius author eſſe potuit alter Franciſcus Canonicus Pragenſis & Wenceslai inertis Notarius. Nam quisquis demum illius compilator fuit, non obſcuris ille indiciis prodidit ſe ſe a ſacris Romanis alienum fuiſſe, & veroſimillime illa ſæculi iſtius Taboritica & Huſſitica lue infectum. Nam anno 1433. de illa ſectariorum ad Lippam clade, & cumprimis *duorum Doctorum Presbyteri Procopii* cæde loquens ſubjungit: *Quos omnipotens Deus propter ſuam immenſam miſericordiam dignetur dirigere in viam ſalutis eterne ſecundum merita ipſorum. Quia quos predeſtinavit, hos & preſcivit.* Et anno 1437. hæc mordaciter in Sigiſmundum Imperatorem ſcribit: *Proximo die Dominico ante feſtum Martini ipſa nocte XII. hora ſereniſſimus Imperator Sigismundus cum ſuo comitatu profectus Ungariam, profectum tamen ipſius itineris capillata fronte aſſecutus eſt, igneque infernali cruciatus usque ad extremum diem ſuum, qui quidem pre maximo dolore & triſtitia incubuit flebiliter, ac lacrymoſe incedens uſque occaſum.* Quæ verba quis Canonico Pragenſi, membroque illius Capituli ſumme ſpectati imputet, quod uti Eccleſiæ ita Regibus ſuis ſummam ſemper fidelitatem, reverentiamque detulit? Nihil itaque reſtat, quam ut epitomen hanc ſæculo XV. ſcriptam ſtatuas, nam iſthic a turbis exortis Huſſiticis author res omnes tanquam ſibi præſentes narrat. Quid vero firmamenti hæc tam ſera tempora Czecho tuo adjectura ſunt, poſteaquam vel ipſe fateor ſæculo facile uno prius opinionem Czechi ex Dalimili hiſtoria Boleslavienſi prognatam. Quid denique præſidii ex authore illo, qui fræna fabulis magis etiam magisque laxavit? quis ante illum Krakum tertium natu fratrem Czechi fecit? quis Lechum conditorem Legnitii univerſæque Sileſiæ dictitavit? Quidni, ſi vera tibi de Czecho ſcribere viſus, etiam vera ſint, quæ de Lecho, Krakoque ſcripſit? Quid ad hæc in alia omnia abiens dicturus Hagecius tuus ille pragmaticus & publica lege receptus ſcriptor Bohemiæ? In crabrones incidiſti Vir Cl. undique aculeorum terror & minæ. Igitur:

Carpere parce meas frondes, qui ſingula carpis,
Vulneret audaces ne tibi ſpina manus. (u)

V. Colophonem tandem catalogo manuſcriptorum tuorum apocryphorum, aut ſeram antiquitatis canitiem mentientium impoſiturus ad Cinnamum denuo provocas, ac demum velut victoriæ ſecurus ſpem

(u) Camerarius *Rhamnus* 41. centur. I.

ſpem tibi facis in æquanimitate mea, ut gaviſurus ſim veriora a te edoceri, aut certe nolens volens judicium meum ſubmittere adigendus ſim. Verba ventoſiſſima non tam cujusdam Thraſonis, quam ipſiusmet jactantiæ e Jovis ſandalio profuſa audiamus: *Quodſi Cl. Gelaſio hæc viliora alga, quia domeſtica ſtomachum movent, habeo in promptu, quo ejus palatum acuam, græculum ſcilicet Chronographum Cynnamum, is enim præter alium ejus ſubinde allatum textum jam in A.* 1148. *quo tempore vixit, non nomen duntaxat Czechorum & Lechorum adfert, ſed inter Czechos & Lechos pariter diſcrimen facit, ut proinde his Sæculo XIV. & vetuſtioribus & verioribus documentis probo animo expenſis, ſi virum, ut maxime Cl. Gelaſius olet, tum judicium ſuum ſubmittere, tum veriora doceri gaudere nolens volens debeat.* Utrumque mihi oculum, ne quid videam, erutum, & omne rationis lumen, ne verum a falſo dignoſcat, in me exſtinctum eſſe oporteat, ſi Lucifer grandiloquentiis tuis judicium meum ſubmittam, in quibus, ut verbis Salluſtii utar: *ſatis loquentiæ, ſapientiæ parum.* (a) Monumenta tua mihi omnino alga ſunt viliora, non quia domeſtica (domeſticis enim ſi ſincera, ſi coæva & antiqua ſint, majorem fidem quam exteris tribuo) ſed quia notha, adulterina, ſuppoſititia, ficta, & vetuſtatis mendaci fuco perlita. Non fimus palatiis ſpargendus, non ungues pilique altaribus incendendi, eminus tetrum odorem ſpirant documenta tua. Profer vero genuina, a macula imposturæ, a ſubdolis lenociniis aliena priſca teſtimonia, & ſummo mihi futura in pretio cogniturus es, nec me ulla verecundia aut dolore revocandum, ut ne mea retractem. Sed quid rurſum atque rurſum cum *Græculi* tui, ut ais, *Cinnami* pridem a me prodito loco tibi quæris? isne Czechum tuum commemorat, gentisque conditorem fuiſſe adſtruit? qui jactas: illius teſtimonio palatum meum acuendum? Negavine ego aliquando (Vah inſulſa rerum repetitio!) Boemos aliter Czechos, aut Polonos Lechos dici ſolitos? ſed quia Czechi & Lechi jam Sæculo XII. dicti, idcirco indubie nomen ſuum a fabuloſo Czecho Lechoque invenerunt? quis argumentationi huic non dextris atque ſiniſtris tibiis applaudat? Bajoarii jam ſæculo ſexto, Francones jam quarto hoc gentis nomine commemorati reperiuntur apud coævos ſcriptores, ergo fabuloſus ille Bavarus, ergo Francio conditor fuit gentis, nomenque genti dedit? Vide quam palatum meum exacueris, ut ſtomachum etiam meum irritet nauſea tam inconditæ argumentationis.

LUCIFER.

Pag. 136.

(a) Salluſt. Catil. 5.

LUCIFER. Pag. 136. VI. A ſuperiore jactantia ad novam tranſit Lucifer: plumis enim meis inſtar Æſopicæ corniculæ ſuperbiens imo petulciens prodit in ſcenam, meque cavillatur, quod in Prodromo pag. 163, dixerim *Czechorum* nomen in Cinnamo *jam circa annum* 1164. reperiri, cum iſtud Cinnami teſtimonium retro ad annum 1148. pertineat, atque idcirco Cinnamus cenſendus ſit prius Czechorum nominis meminiſſe. Verum quis fatuam hanc corniculam docuit iſtud Cinnami teſtimonium ad annum 1148. pertinere, quæ albus, aterve ſit Cinnamus nuſquam novit? quis docuit, inquam, quam Tomus meus I. MSS. antehac nuſquam editorum, ubi pagina 40. ad annum eundem 1148. Vincentii noſtri locum hoc Cinnami teſtimonio illuſtravi, oſtendique hanc gentis noſtræ apud Cinnamum memoriam ad hunc annum pertinere. Protuliſtine, Æſopica cornicula vel verbum unum præterea ex Cinnamo, quam quod ſeu in Annalibus meis ſeu Tomo I. ineditorum legiſti? excute, excute has plumas, non enim tuæ ſunt, aut tuo crevere corpore. Ego Prodromum meum ſcribens necdum Vincentii Manuſcriptum ad manus habui; cum vero Cinnamus præter Chronologiam & annorum indicium ſua pertexat, tum indubie ſcire non potui, ad quem annum hoc ejus teſtimonium ſpectet, ne tamen præter omne Chronologiæ veſtigium ſcripſiſſe viderer, vicinitatem annorum indigitavi, inquiens *circa annum* 1164. Nec vero iſtud genio meo ſcripſi, ſed Hagecium tuum, illud infallibilitatis portentum, ſecutus ſum, qui eam ipſam a Cinnamo narratam rem geſtam ad annum 1164. recenſet. Hagecio igitur imputa, non mihi, ſi in Prodromo meo verus annus non eſt, is me fefellit, habes jam vero illum apud me correctum emendatumque ex vetuſtiore & certiore authore, nempe fonte ipſo Vincentio Tomo I. ineditorum pag. 40. Deplumata hoc pacto, & adſcititio ſuo ornatu nudata cornicula tua pudoris verecundiæque ſenſu percita, ut fieri aſſolet, ringitur, & intemperantiſſima injuriarum, inculſitatumque verba in me eructat: Nam illam Senecæ

Pag. 137. orationem ex epiſtola illius 94. *de inſania publica ejusque medela* aculeate in me detorquere audet. Agnoſcet vero Benevolus Lector ex dictis, an non verius rectiusque Lucifero hac eadem medela opus ſit, & præſertim verba illa ejusdem epiſtolæ 94. quæ ſuperioribus illis in me detortis ſubjicit, in eum congruant: *Altera* (inquit Seneca inſania corporis) *cauſas furoris traxit ex valetudine, altera* (publica) *animi mala valetudo eſt. Si quis furioſo præceptum det, quomodo loqui debeat, quomodo procedere, quomodo in publico ſe gerere, quomodo in privato, erit ipſo, quem*

mono-

monebit, inſanior. Bilis nigra curanda eſt, & ipſa furoris cauſa removenda. Idem in hoc alio animi furore faciendum eſt, ipſe diſcuti debet, alioquin abibunt in vanum monentium verba. Hæc ab Ariſtone dicuntur, inquit Seneca, atque ego cum Seneca. Anticyras itaque Lucifero tuo navigandum eſt, & elleboro vitium capitis levandum. LUCIFER.

VII. Illud poſtremo etiam hoc paragrapho non diſſimulandum: *Pag. 137. & 138.* Commendata pro merito Coſmæ ſinceritate, ac fidei integritate Lucifer tuus ſepoſita lucerna ſua flabra in manus arripit, & jacto fomite ſcintillisque novum invidiæ ignem ſufflare attentat, quo haud aliud quærit, quam ut me operaque mea Inclito Ordini ſuo, mihi titulis omnibus ſummæ venerando, exoſum reddat. Nam Coſmæ laudibus ſubjungit: *Et tamen ariolator audit! Neſcio quam vicem redderet mitiſſimus alias & digniſſimus S. M. E. ad Divum Vitum in Caſtro Pragenſi Reverendiſſimi ſemperque fidelis Capituli Decanus, ſi, eſſe Gelaſium, cui reſpondere dignaretur.* Miror magis hanc ſcribendi licentiam, quam indignor. Gallum obduxit patientia tot injuriis mendaciisque pulſata. Canum latratus ne modo viri quidem, ſed jam meticuloſus muliebris ſexus ipſaque tenera ætas deſpectui habet. Ubi vero Lucifer rurſum locus ille, quo Virum ſpectatiſſimum, hiſtoriæ noſtræ Patrem, Principem, & Alpha, Coſmam, inquam, *ariolatorem* convicior? Plena omnia opuſcula mea laudibus Coſmæ, cujus fidem, candorem, integritatemque omnibus hiſtoricis æmulandam eſſe non ſemel innui. Tu vero hoc convicium Prodromi mei pagina 53. quærendum eſſe in margine adnotas. O quoties Lector te arbitrum expoſcere jam neceſſum erat? commoda & iſthic vigiles oculos tuos & vacivas aures, mecumque paginam hanc adi. Prolatis ibi Coſmæ noſtri verbis de primo incerto habitatore Boemiæ, quem ipſe claris verbis, *quisquis fuit ille hominum*, in medio relinquit, ſubjungo: *Dein vero conjecturam ſuam* (Coſmas) *proſequens, cum veroſimillime de Bojis, Lojemisque a Livio, Tacito, Vellejo Paterculo, Plinio, Straboneque relatis vix notitiam habuiſſe videatur, ſuſpicatur Boemiam dictam a Boemo; quem primum gentis noſtræ authorem ariolatur. Ubi Coſmas de omnium primo incola, & patriæ noſtræ habitatore conjecturam ſuam aperit.* Ubi hoc loco, totaque pagina? ubi in meis reliquis paginis opuſculorum omnium convicium? ubi vel una Coſma Decano indigna vocula? ubi *Ariolatoris* ignominia a me vapulat? At vero obſtrepis: ajo tamen: *Coſmas primum gentis noſtræ authorem ariolatur.* Iſtucne convicioſum eſt, ut tantoopere Lucifer tumultueris, ipſosque piiſſimos Coſmæ manes ad vindictam provoces? ejus

mu-

LUCIFER. muneris dignitatem, Reverendiſſimique Capituli Metropolitani, ſempiterno mihi cultu ſuſpiciendi, decora exaggeres? Non vides erbum *ariolatur* hic a me ſynonimiæ cauſa adhibitum, ne verbum *ſuſpicatur*, quod mox præceſſerat, repeterem, ſequereturque alterum ſynonimum *conjecturam capit.* Vah video Lucifer, me multum hactenus aberraſſe, cum te ex Sophiſtarum Schola credidi, nimis quam lucu enter te inſcitia tua prodis, quod ne quidem inter *pueros* tuos *Dialecticorum* nomen locumque merearis, rudis plane es, & in latinitatis udo literario prorſus ἀναλφάβητος ad Grammaticam tetrudendus es, & docendus, quid vox *ariolor* ſeu *bariolor* apud latinos ſignificet, danda tibi in manus vel ſumme obvia, omnibusque tyronibus latinæ linguæ trita Lexica, in quibus omnibus lecturus vocem *ariolari* non modo per germanica vocabula errathen, ſed etiam wahnen, id eſt *opinari*, & dünken id eſt *videri* explicari. Imo paſſim illa ex Terentii Adelphis Act. 2. Sc. 2. verba: *ego hæc ariolor* per voces teutonicas es wahnt, es ſchwahnt, es dünkt mich, es ſcheint mir, exponi. In hac itaque ſignificatione pro *opinari*, *videri*, *arbitrari*; *conjicere* a me acceptam hanc eſſe vocem teſtantur mox ſubjecta verba: *Ubi Coſmas de omnium primo incola conjecturam ſuam aperit.* Rectene autem an male dixi: hæc Coſmam ſolum conjeciſſe aut ariolatum, cum ipſe hoc eodem loco ſimillimum conjecturale verbum *ut reor*, adhibeat? cum ipſe omni loco in re narrata fluctuet, inquiens *quisquis fuit ille hominum*? cum ipſe fateatur hæc ſe non habere *niſi ex ſenum fabuloſa narratione*? cum apertis verbis dicat: ſe ipſum neſcire *facta an ficta ſint*? Qui igitur has invidentiæ odiique apud contribules meos accenſi tædas ſum commeritus? an non prodis, haud aliud ſcribendi tibi fuiſſe conſilium, quam me huic etiam Reverendiſſimo Metropolitano Capitulo (cujus gratiam favoremque ipſa vita potiorem duco) exoſum reddendi? Merito igitur in te Publii Naſonis illa invidiæ hypotypoſis congruit:

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto,
Nuſquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, ſuffuſa eſt lingua veneno,
Riſus abeſt, niſi quem viſi fecere dolores,
Vixque tenet lacrymas, quia nil lacrymabile cernit,
Nec fruitur ſomno, jugulantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo
Succeſſus hominum, carpitque & carpitur una,
Suppliciumque ſuum eſt. . . .

Imo

Imo dicere liceat; cum intemperanter Coſmæ honorem, nuſquam læſum, vindicare conatus es, graviſſimam te hiſtorico tanto, Viroque candidiſſimi pectoris ac fidei integerrimæ impegiſſe injuriam, cum ei aliam affingis mentem, quam in ſcribendis incertis patriæ incunabulis habuerit, cum ea omnia, quæ ille dubia ſummaque fluctuatione ſcripſit, & in quibus ſe nullum ducem anterioremque Scriptorem habuiſſe ipſe teſtatur, ea veritate imperitis patriæ noſtræ perſuaſa vis, tanquam ille res ſibi præſentes, coævas, certiſſimasque narraſſet, tanquam omnia ſua ex certis fontibus, legitimisque teſtibus hauſiſſet. Quid igitur narratis incertis illis Ducum noſtrorum Ethnicorum memoriis ad Borzivogium & tempora, quibus Chriſti Sacra in Boemiam invecta ſunt, tranſiens, ſubjungit? *Nunc ea, quæ vera fidelium relatio commendat, noſter ſtylus, licet obtuſus, tamen devotus, ad exarandum digna memoriæ ſe acuat.* Niſi ut *fabuloſæ* illi *ſenum relationi* jam *veram relationem* opponat? cumque ante ex conjecturis & incerto rumore ſcripſit, jam ex hagiographis, qui geſta SS. Cyrilli ac Methudii, Ludmillæ ac Wenceslai memoriæ poſterorum commendavere, ſe ſua depromſiſſe teſtetur? Coſmas mihi ſemper fuit, eritque ſummo in pretio, ſed utinam tu Lucifer, tuique ſimiles aliquando ſapere velletis, & Coſmam intelligere ac explicare, ut intelligi explicarique debet, non, inquam, elephanti roſtrum ei affingeretis, illudque pro arbitrio in partes omnes torqueretis, traheretisque. Non fuiſſent poſteriores abuſi Coſmæ verbis, atque illas circa gentis noſtæ originem dubitationes, incertasque opiniones in patriam hiſtoriam veritatemque traduxiſſent, nunquam Czechus ad has vires, & hiſtoricæ veritatis pervicaciam excreviſſet. At quod de Sacris Scripturis queritur Divus Hieronymus, idem merito fatum hiſtoriæ noſtræ patriæ dixerim: (a) *Sola* (hiſtoriarum) *ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendicant. Scribimus indocti, doctique Poemata paſſim. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc Sophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcant.* Quibus & acutum Divi Bernardi monitum ſubdere liceat: (b) *Legant hoc, qui docere, quæ non didicere, conantur.* Ad exitum feſtinemus. Lucifer.

Ad §. XV.

I. Prolatis partim vitioſiſſimis MSS. codicibus, partim Luciferi tui glaucomate mire ad antiquitatis cujusdam venerandam gravitatem effic-

(a) S. Hieronymus in epiſt. ad Paulinum Presbyterum. (b) S. Bernardus in vita S. Malachiæ c. 2.

LUCIFER. effictis, non ſecus atque eorum robore ac pondere rem omnem confeciſſes, magnifice exerto ventre exſcreas, & dictatoria voce pronuncias: *Etiamſi ipſa hæc antiquitas abeſſet, adhuc Czechius fabula dici nequiret.* Pag. 138. Nemo profecto ſatis miretur Luciferi tui in rebus criticis hiſtoricisque peritiam, atque ingenii aciem: qui par ſit ſine omni antiquitatis teſtimonio Czechium non eſſe fabulam, ſed veram hiſtoriam, demonſtrare. Nempe ille oculis ſuis auribusque in ſæcula undecim ætate ſua ſuperiora perrigit, ut ſciat, audiveritque, quid eo tempore geſtum ſit, niſi fortaſſis malis dicere, jam eum tum unum fuiſſe ex Czechii ſociis, & per varias transmigrationes tandem animam ejus in hoc corpus tranſiiſſe, ut nonniſi rememinerit eorum, quæ olim vidit, audivitque. Jam vero qui Czechium ſuum ſine antiquitatis vadimonio probet, audiamus: Redit ad principium, remque multo ante dictam refutatamque recoquit: „ Quod jure gentium, inquit, & publica eaque conſtante, nec aliquando interrupta fide, imo perpetua per ſæcula omnia traditione receptum eſt, non eſt a fide hiſtorica deturbandum, præſertim cum annales patrios & monumenta plurima periiſſe conſtet.„ Hic rhombus: ut id jus gentium, publica eaque conſtans nec aliquando interrupta fides, & perpetua per ſæcula traditio a te probetur. Sed ubi illa probatio? exſiccatus eſt, evanuitque humor ſcriptorius, probatio inquam intra pennam ſuffocata eſt. Pridem has gloriationibus turgidas nubes diſpulimus, cum nec fidei alicujus nec traditioni veteri locum eſſe in hac Czechi fabula oſtendimus, quæ uſque ad ſæculi XIV. initium penitus majoribus noſtris ſcriptoribusque patriis ignorata fuit. Quæ imo ſub Joannis Regis Imperio enata nusquam tamen ad eas vires excreſcere potuit, ut vel poſtea unquam communiter ab omnibus hiſtoricis noſtris recepta fuerit. Nam perpetuo exſtitere graviſſimi quique Viri, qui contemto Dalimilo Coſmæ opinionem retinuerunt; imo cum ſcriptorum poſteriorum multitudine oborta paſſim Dalimili opinio familiam ducere occiperet, non defuere tamen, qui fluctuarent, contradicerent, imo etiam vellicare non refugerent. Ita ſub Carolo IV. Czechum non agnovit Marignola, non agnovit Franciſcus Canonicus Pragenſis, non agnovit author vernaculi MS. a Thoma Berghauer allati. Sub Georgio noſtro Rege jam dubitare exorſus Æneas Sylvius cum Slavos non Duce aliquo ſed *populatim* in Boemiam immigraſſe ſenſit. Demum apertis armis Czechum petere viſus Kranzius, Vohburgius, Langius, Ekkartus, Schleinizius, Schwarzius, Berghauerus, Joannes Oppelt, aliique complures,

quo-

quorum teſtimonia jam tum in Prodromo, tum hac Apologia dedimus, & cumulabimus infra. Neque enim integram fidem his patriis originibus præbere viſus Dubravius Hagecii coævus, qui Hiſtoriæ Bohemiæ l. 1. narrata telluris Bohemæ natura indigenarumque moribus ſubjungit: *Hactenus de natura, & moribus: ſequitur gentis origo in hunc usque diem per incerta, aut per fabulas evulgata.* Si quæ autem hodie traditio de Czecho eſſe quibusdam videtur, ea vulgi opinione imperitiaque hiſtoriæ patriæ poſterioribus nonniſi, nobisve vicinis ſæculis prognata eſt, cum vel ipſe Hagecus in Proœmio ſuo fateatur adhuc ſuo ævo ſæculoque XVI. triplicem imo quadruplicem circa originem gentis authorum ſententiam fuiſſe. Ut ita opinio Czechi ne nomen quidem veteris alicujus traditionis mereri videatur. Dein vero fidem publicam in hiſtoricis non facit opinio vulgi, & hiſtoricorum quorumvis alter alterum exſcribentium turba, ſed literatorum Virorum judicium, præſertim illorum, qui cœcos duces reſpuentes narrata hiſtorica ad fontes, veterum fidem, criticesque leges accurate exegerunt. Si enim communi opinione, turbaque quorumvis hiſtoricorum hiſtoriarum ſtaret veritas, qua fides publica nitatur neceſſe eſt, adhuc hodie Joanna Papiſſa ſexcentaque alia monſtra locum in Hiſtoria Sacra profanaque obtinerent, quæ merito hodie ab omnibus damnantur haud alia ratione, quam quod unus alterque Vir acris ingenii has vulgi opiniones imperitiorumque relata fabulas eſſe veris hiſtoricis demonſtrationibus vetuſtisque monumentis convicerit. Hinc vere criticeque ſcripſit Hanſizius T. I. Germ. Sacræ: *Quam plurimos novimus incautæ credulitatis partus eo convaluiſſe, ut legitimæ etiam traditionis apud poſteros obtinerent vicem. Quid quod vel unicus nonnunquam inſcitus legendarius, aut otioſus ſomniator ſufficiebat, ut re quapiam chartis illita, innumerabilem poſt ſe traheret errorum gregem, cæcisque facem Dux cæcus præferret.* Et de ſuperioribus duobus ſæculis loquens: *Erat ea ætas*, inquit, *commentorum ut credendorum, ſic gignendorum fœcunda.* Luculentius id etiam Franciſcus Mannhart. S. J. (a) *Succeſſit medio potiſſimum ævo quorundam mala fides, qua turpis lucri gratia paſſim fabulas & commenta pro veris factis atque hiſtoriis ore ac calamo vendiderunt: aliorum vero nimium bona* (nempe credula) *qua ſine ulteriore indagine præmiſſoque examine ejusmodi figmenta in ſcripta & libros ſuos transtulere: aliquorum etiam temeritas, qui puros fontes infecerunt, & ſinceris narrationibus ſomnia ſua liberaliter adſpergentes totam pene fidem abſtule-*

Lucifer.

(a) Franc. Mannhart in Bibliotheca domeſt. Tom X. c. 1. p. 4.

LUCIFER *tulerunt . . . . Hæc omnia mala ſane graviſſima doctis Viris neceſſitatem Critices impoſuerunt, ut ejus opera tot monſtra profligarent.* Ceterum quamquam temporum iniquitas, & cumprimis Huſſitica in Regno noſtro fax multa Manuſcripta & vetuſta monumenta abſumpſerit, illa tamen adoranda rerumque omnium conſervationi ab æterno proſpiciens divina providentia non fruſtravit patriam noſtram vetuſtis quibusque documentis, quæ hodie produnt, qualis in tenebris illis hiſtoriarum fuerit apud majores noſtros de patriis incunabulis opinio, conſervavit nempe Chriſtannum, Coſmam, Jaroslaum, Franciſcum, aliosque complures, quibus Czechus tuus tam fuit incognitus, atque novus orbis & America, quæ aliquot poſt eorum obitum ſæculis primum detecta. Si itaque quæpiam monumenta injuriis temporum periere, ea iſtorum relatis minime fuere difformia in referendis patriis incunabulis, cum dubium non ſit hos tam præclaros, qui ſuperſunt, authores, ſi certiora reperiſſent, exſcripturos fuiſſe præ ſuis incertis dubitationibus fluctuationibusque. Nec mirum vero tam ſero in gente noſtra *exſurrexiſſe* Viros, qui patriam hiſtoriam ſcriberent, inſpice exempla Polonorum, Ruſſorum ac ipſorummet Hungarorum, viſurus eos multo ſerius ab hoc ſomno evigilaſſe, & ipſorum vetuſtos quosque annales noſtris etiam ſæculo uno & duobus poſteriores eſſe. Primus omnium poſt quosdam Hagiographos ſomnum iſtum excuſſit genti noſtræ Coſmas, cujus ſtudium laudemque æmulati poſteriores, varias Chronici Coſmæ continuationes ſcripſere, neminem tamen legimus, qui præſertim in gentis incunabulis a Coſma receſſiſſet, diverſaque docuiſſet ante Dalimilum Czechi tui prolatorem.

Pag. 140. II. Jam vero ad texendum catalogum recentiorum hiſtoricorum omnem cogitationem ſtudiumque convertis Vir Cl. ex eo mirum authorum conſenſum Lectori probaturus, hacque non modica idem ſentientium turba Czecho principatum in Annalibus patriis vindicaturus. Ea inutili opera a pagina 140. uſque 150. chartam perdidiſti, nil niſi *gregem erronum illorum*, de quibus ſupra Hanſizius, proferens, quos inſciti quidam legendarii aut otioſi ſomniatores in communem ſecum errorem traxere, & cum quibus Lucifer tuus, quanquam lucerna munitus, in ſcrobem incidit. Et quidem agmen iſtorum apud te ducit Pulkava, cujus authoritatem eo magis ſummi reputandam prædicas, quod ipſe in Prodromo meo pag. 189. fatear, eum juſſu Caroli IV. Chronicon ſuum ſcripſiſſe, eidemque a ſapientiſſimo hoc imperatore viam ad omnia archiva Monaſteriorum, Baronum, civita-

vitatumque patefactam fuiſſe. Sed in quo archivo Pulkava Czechum reperire potuit, quem paulo ante ſe natum inventumque fuiſſe luculentiſſimis demonſtrationibus probavi? Arriſit Pulkavæ Dalimili novitas, quin rem ſcrupuloſius examinaſſet, ac proinde deſerto Coſma eum ſecutus eſt, nam & ipſe Czechi homicidium, aliaque huc ſpectantia primus ex Dalimilo exſcripſit. Quo in conſilio poſtea ſectatorem habuit Æneam Silvium, qui tamen hæſitationis ſuæ non obſcura reliquit veſtigia. A Pulkava & Ænea Silvio opinio hæc in omnium fere calamos tranſiit. Non habuit vero Pulkava opinionis iſtius ſocium aut patronum Marignolam coætaneum ſuum, qui itidem Caroli IV. juſſu & patrocinio eodem ſæculo ſcripſit hiſtoriam Boemiæ, qui, ut Tomo II. ineditorum noſtrorum oſtenſuri ſumus, in verba Coſmæ juravit. Credasne vero omnia & ſingula Pulkavam ex certis legitimisque archivis, aut membranis accepiſſe? nibil ex turbidis rivulis hauſiſſe, aut etiam ſuarum opinionum licentia uſpiam uſum fuiſſe? In quo archivo membranave reperit Pulkava illud quod ſupra §. XIV. N. III. ex illo retulimus, & quod rubore quodam ſuffuſus truncaſti lectoriſque oculo ſubtraxiſti, cum ait: *Dicitur enim Boemia a Boh, quod eſt Deus interpretatum in lingua Slavonica, & ideo hac interpretatione a nomine Dei Bohemi dicti ſunt?* Vide quanta adhuc Pulkavæ ſæculo hiſtoriarum veterum fuerit ignorantia, ut ne quidem Boemiam a Bojis dictam fundatamque ſcirent. An, ut plurima alia conticeam, reperit in aliquo autographo Pulkava S. Wolfgangum, ne tunc quidem adhuc natum, tempore S. Wenceslai Ecclaſiam S. Viti conſecraſſe? aut ætate Boleslai Sævi floruiſſe S. Emeramum ſæculis duobus præmortuum? Næ tu inſignes antiquitatis veritatiſque teſtes facias hæc archiva, ſi tot tantasque hallucinationes fabulasque, quibus hinc atque illinc abundat Pulkava, ex illis hauſit. Reliquus authorum tuorum numerus nonniſi ex iſto & ſuperioribus duobus eſt ſæculis, qui, necdum exorta in patria noſtra critices luce, minime de hiſtoriæ rerumque narrandarum veritate curioſi, bona fide hiſtoricos ſe ſuperiores exſcripſere, qui opinioni jam duobus ſæculis confirmatæ nihil derogare voluerunt, qui, non innovandi aut critice pertractandi animo, annales patrios, ut ab aliis viciniſſimis ſibi relicti fuerunt, trito calle perſecuti ſunt, quod ſeu certius inveſtigare illis perquam operoſum videretur, tum maxime, quod rem ab alio eruderatam confectamque non reperirent. Huic novæ definiendæ ſententiæ difficultati, ſi adjungas metum quendam zoilorum, carpendi, conviciandique licentiam, quibus ſe ſuaque expoſituros merito LUCIFER.

LUCIFER. formidabant Viri quique ingenio acres, induſtria indefeſſi, ſuppreſſere illi dubia ſua, atque ut plerumque fit, turbam ſecuti ſunt. Nec diffiteor, ſi ſimpliciter faſtos patrios ſcribere ſediſſet animo, me me ipſum huic turbæ aſſociaturum fuiſſe. At quoniam ſcriptionis meæ præcipuus ſcopus eſt: critice expendere hiſtoriam patriam, eam repurgare ac emendare, ad fontes ſuos vetuſtaque monumenta exigere, non auſim ego album nigrum, nigrumve album aſſerere, aut adulterinis recentibusque denariis priſcum pretium ſtatuere. Non poſſum, inquam, Czecho tuo locum in Annalibus patriis concedere, cujus commemoratione univerſa monumenta gentis noſtræ exteraque abſtinent, & cujus memoriæ geſtaque coævis ſcriptoribus ſumme adverſantur. Multo ante venturam tempeſtatem tanquam ex ſpecula proſpexi, prævidi inquam antiquitatum minus peritos ægre hoc conſilium meum laturos; ſed pondus majus apud me habuit eruditiorum quorumque Virorum deſiderium, qui pridem has patriæ noſtræ hiſtoriæ fabulas, hallucinationesque exciſas everſasque ſuſpirabant, qui vel ideo ſe ſe illius lectione abſterreri dictitabant. Scio me irritaſſe crabrones, ſed pungunt illi, non enecant, ego me ſane centum proterendis (Vah Pyrgopolinicen tuum Luciferum grandiloquentia æmulor!) parem deputo. Sapientum vero judicium ac cenſuram æquo imo & hilari ferre animo me imbecillitas ingenii mei commonet, nam non ignoro ſapientiſſimum Ciceronis effatum: (a) *Sapientum judicium aut reprehenſionem vitare nullo modo poteſt, niſi qui nihil omnino ſcribit.* Quorſum itaque Vir Cl. tanta authorum tuorum tam recentium cumulatio valet? An non vel ipſe fatearis neceſſe eſt, illos, quiqui ſunt, ſua ex Hagecio deprompſiſſe, alterumque ex altero exſcripſiſſe? quorum ſi myriadem proferas, haud eis majorem fidem auſim dare quam Hagecio tuo, quo unico fonte uſi ſunt, nec video ut certiorem Czecho tuo vadem Hagecio ex illis quaqua demum diligentia exſculpas? Utinam, cum ſcripſiſti hanc lucubrationem tuam, ſciviſſem te detineri delectarique ejusmodi ſtudio, facile tricenos tibi præterea indicaſſem, adjunxiſſemque ſcriptores, qui Czechum conditorem gentis noſtræ profeſſi ſunt. Non neſcio enim hanc perſuaſionem hactenus fuiſſe plerisque concivibus meis de Hagecio, prolatoque ab illo Czecho, quæ erat ſuperiori adhuc ſæculo Hiſpanis de fabuloſo Turpino, ut eum tanquam Principem hiſtoriæ colerent ac adorarent; meritoque hic mihi illam Baronii

acrem

(a) Cicero l. 2. Tuſcul. Quæſt.

acrem querelam accommodare liceat: (a) *Recentiores omnes, ne ſingulos nominem, tanquam e cœlo allato oraculo adhæſerunt.* Non turba ſcriptorum hiſtoricam evincit veritatem, ſed teſtimonia aurita oculatave coævorum aut viciniſſimorum iis temporibus, adeo ut unius gravis ejuscemodi Viri vadimonio infinitam poſteriorum turbam cedere neceſſe ſit, qui de rebus antiquis ſine tabulis ſcripſere. Valeatque hic doctiſſimi Viri Franciſci Mannhart S. J. effatum: (b) *Ab hoc* (Critices) *judicio & tribunali duplex hominum genus eſt arcendum, primum eſt indoctorum, & levis ingenii, ad quorum guſtum plus quam probatiſſimæ veritates faciunt antiquæ fabulæ, quibus aures & oculos ſuos paſcere dudum conſueverunt . . . alterum ſemidoctorum, qui ultra modum ſapiunt, & adfectata ſuperſtitione quadam nulli in regno hiſtoricæ narrationi locum concedere volunt, quæ non quaſi oculis videri, & manibus palpari queat, quique ab hiſtorico demonſtrationes exigunt vix non geometricas.* LUCIFER.

Cumulo illi recentiorum authoritatum aliud fulcimentum ſubjungis, quod, quo ſatis digno riſu excipiam, haud invenio: Ais enim *Czechi & Lechi* nominis plura veſtigia in Croatiæ ac Dalmatiæ ſcriptoribus eſſe relicta, quæ luculento teſtimonio ſint his conditoribus Boemiæ atque Poloniæ. Profers itaque quemdam *Zeycham* Dalmatiæ Principem, & *Cycham* Creſimiri Croatiæ Regis ſororem circa annum 1066. rurſum quendam *Techum* Bulgariæ Regem Anno 1259. demum quendam Nicolaum *Zechium* Banum Anno 1344. denique quandam *Licham* 1111. Ædepol! his ſolis nominis *Czechi Lechique* reliquiis omnibus præſidiis aliis deſtitutus *Czechus Lechusque* Annalibus patriis vindicari potuit. Quidni vero Vir Cl. in majus ſententiæ tuæ firmamentum etiam produxiſti plures ex hac urbe cives, aliosque Regni noſtri incolas, qui etiam hodie cognomen *Czech* gerunt? Hi enim in patria nati & aliti certiores varioresque *Czechi* nomini teſtes agere poſſunt, atque Dalmatici illi, Croatici, Bulgaricique? Quantam illi tibi habuiſſent gratiam, ſi quemadmodum nominis heredes, ita eodem ſanguine cretos veroſque poſteros probaſſes. Quid ſi ejusmodi affutiis imperitorum aures oculosqe fallere aut delectare quæſiiſti, cur non Czecho tuo antiquiſſimam authoritatem ex hiſtoria Menandri Protectoris vendicaſti, qui *Zichi* munus & dignitatem omnium ſummam inter Perſarum proceres fuiſſe prædicat: (c) *Illuc*, inquit, *miſſus a Perſis legatus dignitate Zichus, quæ maxima eſt apud Perſas auctoritatis nomine Indegovach, qui* Pag. 150. & 151.

(a) Baronius in hiſt. Eccl. ad an. 812. (b) Mannhart. Bibl. Dom. Tom. 10. c. 3. p. 74. (c) Tom. I. Biblioth. Byzant. p. 90. 91. 92. 93. 94. &c.

LUCIFER. *qui erat etiam Regis ſui cubicularius.* Erubeſcunt vel chartæ tuæ ejusmodi nugis illitæ, cum Lucifer tuus hæc illis illinere non erubuit. Nemo hæc Viris crepundia objecta cenſeat, quæ nonniſi puerili ætati delectamento eſſe poſſint. Qua in re ſimul alas ſibi rurſum aduſſit Lucifer tuus, cum nomina *Zeycha, Cycha, Techus*, reliquias eſſe confitetur *Zechi* nominis, dum antea totis paginis adverſus nos dimicavit *Zichos* eosdem minime cenſeri poſſe cum *Zechis.* Verum hic ſophiſtarum paſſim uſus, hæcque pervicacia, ut cum argumentis vincere nequeunt, clamore, & multitudine verborum adverſarium obruere quærant, atque rei cardine neglecto plerumque ad nugas, quisquiliasque provolent, ut vel hanc ſolum laudem e certamine referant, quod nunquam tacuiſſe viſi ſint. At utinam Lucifer tacuiſſes, Philoſophus, hiſtoricus inquam, manſiſſes.

III. Nolim cuiquam videri me ſolvendo non eſſe, nolim, inquam, æs alienum inveteraſcat, & multiplicandis uſuris creſcat, diſſolvere nomina voluntas eſt. Quare ne tibi Vir Cl. multas recentiores authoritates cumulanti, aut Collegæ tuo æs alienum expoſtulanti moroſus debitor videar, jam ea graviſſimorum Virorum judicia proferam, quibus Czechus tuus pridem fabulam olere viſus, quibusque tam dubia incertaque incunabulorum patriorum hiſtoria merito incitamento fuit, ut aliis exquirendis non pœnitendam locarent operam. Et quanquam his teſtimoniis jure abſtineri potuit, quod poſteriorum variæ opiniones nihil fulcimenti vetuſtis rebus conferant, tamen cum Collega tuus verba Prodromi pag. 50. & 51., qua dixi: *Hodie non deeſſe Criticos, qui omnem Czechi memoriam inter aniles fabulas relegent*, cavilletur, ſarcaſticeque ſubjungat: (*a*) *Si Gelaſius nomina hujusmodi Criticorum his vel obiter adnotaſſet, ſuſpicionem procul dubio effugiſſet, a ſe nihil comminiſcendi libidine prolatum eſſe.* Merito ne verborum ſolum inſtitor æſtimer, jam hæ novæ recentesque germanæ merces proferendæ ſunt. Et quidem an ſtomachum mihi non moveat, temere mihi a Collega tuo *comminiſcendi libidinem* impingi, quod plane hac oratione Criticorum nomina non adnotaverim; quidſi alio & viciniſſimo loco adnotavi? mutilumne manibus, aut orbum oculis proſpicere potui futurum lectorem meum, cui omnia in os ſint ingerenda? Pari cum Virgilio acrimonia utor: *Non canimus ſurdis* (*b*) non ſcripſimus, inquam, niſi audientibus

(*a*) Author Introductionis ad Sacram hiſtoriam. Boh. Sect. 3. pag. LXXII. (*b*) Virg. Eccl. 10.

bus, videntibus, legentibus, lectorumque memoriam retinentibus? LUC FER.
num mihi centenis repetitionibus diſtendenda fuit moles libri, ut Lucifero tuo? Quid igitur Kranzius? quid Schleinicius, quem eadem pagina 51. ſubjeci? quid Langius, Anſelmus Pandurius, Schminkius, Thomas Berghauer, quos pagina 62. profero? quid Stephanus Pitter, Ludovicus Lunay, compilatores Dictionarii Gallici dicti *de Trevoux*, quos adverſus Compilatorem Actorum Lipſienſium Parte II. produxi? quibus ſi jam plura adnexa cupitis, habete: & quidem ante ceteros Reverendiſſimi, Illuſtriſſimi, ac Clariſſimi Viri (quem boni ſuperi rei literariæ flori & incremento diu ſuperſtitem velint!) Joſephi Simonii Aſſemani Critices cognitione ſpectatiſſimi de omnibus Ethnicis Ducibus noſtris judicium, & adverſus patrios noſtros ſcriptores querelam: (a) *Quamobrem*, inquit, *id ipſum ego de primis Poloniæ regibus ſentiendum puto, quod Coſmas Pragenſis de Bohemiæ Ducibus a Primislao uſque ad Borivojum primum Chriſtianum Ducem pronunciavit p. 8. in hæc verba: "Horum igitur Principum de vita & morte ſiletur, tum quia ventri & ſomno dediti, inculti & indocti aſſimilati ſunt pecori, quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima fuit oneri, tum quia non erat illo in tempore, qui ſtylo eorum acta commendaret memoriæ." Mirum tamen eſt in tanta rerum priſcarum tum Bohemicarum tum Polonicarum caligine nullis exſtantibus documentis tam multa ab iis ſcriptoribus referri, perinde ac ſi rebus geſtis interfuiſſent, ea tamen quæ ex puro Græcorum latinorumque veterum fonte haurire poterant, fuiſſe ab illis aut ſilentio obruta, aut fabellis inſperſa.* Conradus Ritterhuſius in l. 5. Guntheri Ligurini: *Origo gentis vulgata (quam mirum eſt Silvium ſecutum eſſe) plusquam anilis eſt fabula.* Georgius Hornius in Arca Noe ſive hiſtoria Imperatorum & Regnorum: *Boëmorum Duces a Zecho ad Borivogum I. & A. DCCCXC. fabuloſi atque incerti ſunt, tum nulla annorum ſerie, niſi apud Hagecium, ſed ſubleſta fide, diſtincti.* Joannes Georgius Ekkart Rer. Franc. l. 8. p. 92. & l. 10. p. 188. Attilianis quoque temporibus adventum Slavorum in Bohemiam defigens negato Czecho a Jazygibus in Boemiam ab Attila adductis repetit Czechorum etymon, ſic vero ille: *Ex Gepidarum terra Hunni in Thuringiam non alia via pergere potuerunt niſi per Moraviam & Bohemiam. Unde puto eos & in Bohemia ſocios alios Slavos nempe Jazyges, vel Jazeges reliquiſſe, qui dein abbreviato nomine ſe Zechos vocavere.* Nolim hic ſpectati Viri Joannis Oppelt ſub initium Apologiæ hujus prolatum admodum prolixum teſti-

(a) Aſſeman, Kalend. univ. Eccl. T. II. p. 86.

LUCIFER. monium, Welſeri, Vohburgii aliorumque, quæ tum in Prodromo noſtro tum Parte II. Annalium dedimus, refricare, illud dicere liceat, multo majorem numerum authorum in medium a nobis proferendum fuiſſe, ſi ei inutili operæ inquiſitionique vacare libuiſſet, præſertim cum non immemores ſimus poſt publicatum Prodromum noſtrum varias iſtiusmodi recentiorum authoritates in manus oculosque noſtros incidiſſe, quas in adverſaria noſtra adſcribere neglexìmus, quod nuſquam amplius hoc ariete pulſandos muros noſtros crediderimus. Sapienter igitur, ut omnia, Mabillonius: (a) *Poſtquam ſæculo noſtro innumera antiquitatis monumenta eruta ſunt e tenebris, poſtquam tot Clariſſimi Viri hiſtoricis rebus illuſtrandis inſudarunt, tot fabularum debellata ſunt monſtra, adeo res obſcuræ in manifeſtam lucem venerunt, ut qui in antiquitatis rebus clarius non videt, oculos claudere, vel ſe ipſe excæcare dicendus ſit.* Nam *unde tot errores ac fabulæ*, verba ſunt doctiſſimi Mannharti, (b) *niſi ex Critica inopia? Unde recti judicii, meliorisque eruditionis inſtauratio niſi ex Critica reſtaurata?*

V. Cum ſuda & usquequaque tranquilla mihi tecum Vir Cl. videntur omnia, rurſum Lucifer tuus aquilones concitat, & pacatum Pag. 139. inclitæ noſtræ nobilitatis æquor procellis neſcio quibus involvere maligne quærit. Summum enim præjudicium per libros, ſententiamque meam antiquiſſimis Familiis noſtris enaſci his verbis queritur: *Quantum præjudicium a P. Gelaſio inferatur nobiliſſimis quibusvis familiis ad Czechii adventum originem ſtirpis deducentium non video tantum, ſed palpo, neque urgeo.* Quam Lynceos dicam mi Lucifer oculos tuos? quam delicatiſſimum tactum, qui ipſa præjudicia jam videre atque palpare poſſis? ſed quid non urges? quid vetat? Imo quis te advocatum patronumque Nobilitati noſtræ conduxit? illane te optavit? hæc univerſa cum ſilet, tu loqueris? illa cum opera mea probat, tu improbas? niſi tu unus illa plus ſapis & vides? niſi tua res magis agitur quam illius? niſi fortaſſis & ſtirpi tuæ præjudicium ſit, quod ea ſe cum Czecho ceteroque nobilitatis cœtu glorietur veniſſe in Boemiam? Quis ex ſummis noſtris Regni Proceribus prima patria Nobilitate genitis hactenus vitio mihi dedit Czechum ex hiſtoriis noſtris fuiſſe expunctum? An non crebro plerisque illorum mihi adeundi, colloquendique gratia & facultas? An non potius illi partum tuum reipublicæ literariæ maxime

(a) Mabillon. in Actis SS. Bened. Sæc. II. in præf. (b) Mannhart. Bibl. Dom. Tom. X. c. 5. p. 155.

me præjudicioſum execrantur? An non me monent hos latratus contemnendos eſſe, aut probe contundendos, ſtimulosque addunt ad opus proſequendum? Auſisne tam doctam, tam ſapientem Nobilitatem noſtram judicii tui infirmitate metiri, ut quid præjudicium ſit, aut non ſit, illa neſciat? Illine non idem prorſus ſit, ſive ſtatuatur cum Czecho, ſive Zecchis Nobilitatem Boemam adveniſſe? Quin imo an a Zecchis tam potenti, illuſtri, priſcoque populo non major nobilitatis antiquæ comitatus exſpectari potuit, quam a Czecho tuo, homicida, profugo, & crucis ſupplicium effugiente? Negavine ego uſpiam Nobilitatem noſtram cum initiis patriæ cœpiſſe, aut in patriam non fuiſſe advectam? Perſuaſum vero tibi habe Lucifer melius te ipſo videre, melius te palpare Inclitam Nobilitatem noſtram, quæ tuæ invidentiæ odiique flabra & videt, & ſentit, & palpat, quæ prudentia ſua multum ſuper vulgi opinionibus elevata probe diſpicit, quid fabulam inter ac hiſtoriam interſit, quæ criticæ rei non penitus ignara non neſcit hiſtorias Familiarumque origines coævorum vetuſtorumque teſtimoniis, atque certis demonſtrationibus eſſe ſuperſtruendas? Verum ne verba tibi dediſſe videar, tecumque agnoſcat orbis literatus Boemiam non deſtitui nobilitate magna doctrinæ laude conſpicua; en tibi eruditiſſimam, ſed ſimul ſumme aculeatam epiſtolam unius ex primis regni noſtri Senatoribus atque Adminiſtris, quam germanico idiomate, perlecto opere tuo, ad me ex ædibus ſuis dedit. Verba ſunt: LUCIFER.

Ich habe den die ewige Finſternüß verdienenden Lucifer mit eben ſolcher Verabſcheuung geleſen, als jedermann, ſo einen Begrief des hölliſchen Lucifer haben mag, denſelben anſehen müſte: Es iſt in einem als dem anderen eben ſo viel Hochmuth, Boßheit, Neyd, und Haß, und der Geiſt der Lugen ſiehet überall heraus.

Das Titel-Blat iſt ein aus den alten Schul-Staub hervorgezohenes Wörter-Spiel, das Werk aber voll der unerträglichſten mehr als Hottentotiſchen Grobheiten, die man unmöglich einem halb-geſitteten Menſchen zumuthen könnte. Dieſer unglückſeelige Author muß ſich mit der ſo oft angeführten Stelle des Amien Marcellini den Kopf zerrüttet haben, und von der wilden ungezogenen Art der beſchriebenen Sinchen recht ſehr angeſtecket worden ſeyn, dann ich glaube, da er E. H. nach ſeiner feinen Schreib-Art verberandum & cruciandum heißet, daß er noch geſtehen wird, wie er das Wohlſeyn und Geſundheit E. H. ſeinem Abgott Czech mitteiſt eines Schlacht-Opfers vorzulegen wünſchet. Wer weiß aber was er noch in ſeiner Raſerey ſchreiben wird,

LUCIFER. wenn einem ſolchen kecken unverſchämten Gemüth nicht ein ſtarker Zügel, oder gar ein Joch angeleget wird.

Er wanket, und taumlet mit ſeinem Czech ſo herum, wie alle, die ihn zum Stamm-Vater unſerer Nation gemacht, und alle Beweiſe nur aus den ſpäteſten Jahrhunderten hergeholet haben. Pag. 115. §. X. ſagt er: Coſmas Boemo ſuo, quem poſteriores Czechum dixere: Soll dann der ältere, und ſeinem Czech nähere Coſmas nicht beſſer als die ſpäteren oder poſteriores den Nahmen dieſes ſo merkwürdigen Manns gewuſt haben, welchen E. H. billig aus gründlichen Beweiſen denen Verfechtern fabelhafter Alterthümer entrieſſen. Inde lacrymæ.

Wie verdrähet und verfälſchet dieſer unſinnige die Wörter E. H. Zum Beyſpiel: wo haben Sie jemahls geſagt: In Græcis ſcriptoribus veritatem Patriæ noſtræ unice eſſe quærendam? iſt der finſtere und zweifelhafte Urſprung aller Nationen die Hiſtoria patriæ? Allein was iſt von ihm zu hoffen, und zu erwarten, da er in dem A. b. c. der Geſchichten ſo ſchlecht bewandert iſt?

Was für ein Kinderſpiel treibt er pag. 84. & 85. mit dem Worten praži und praſſi? Wo hat er gezeiget, daß er die geringſte Kenntnüß der Orthographie der alten Slawen, und der heutigen Böhmiſchen habe? Noch elender ſind die pag. 86. und 87. angeführte Vergleichungen der Böhmiſchen mit der Lateiniſchen Sprach, und beſonders das: Sedlak do Solj, Dcera pere, nebolj. Welcher unſerer Sprachkündiger wird es errathen, was dieſer hochmüthige heraus bringen will, daß es nemlich ſo viel heiſſe: Ruſticus cum filia tundit ſalem, & non dolet. Er weiß weder die caſus der Böhmiſchen Sprache, denn Dcera iſt gewies nicht der Abblativus, und wo iſt das *cum* in dem Böhmiſchen ausgedrucket? dies ſind aber ſeine Künſte, ja dies ſiehet ſeinem verwirrten Gehirn ammeiſten gleich.

Mit einem Wort: die niederträchtigſte Unwiſſenheit kann nur dergleichen Gewäſche hervorbringen. Wann es nicht gar ſo elend wäre, ſo müſte man um die Ehre unſerer Lands-Leute beſorgt ſeyn. Es wurde auch dem Clero und deſſen Ruhm der Wiſſenſchaften ſehr nachtheilig geweſen ſeyn, wann die Weißheit, und Vorſichtigkeit ſeiner Fürſtlich. Gnaden unſers würdigſten Erz-Biſchoffs dieſe Mißgeburt, nicht in ihrer erſten Bruth erſticket hätte.

Wann dieſer Unglückliche allerelendeſte Geſchicht-Schreiber nicht gar ſo viel Blödſinnigkeit zeigte, ſo wurde er ſich ehender alle geſittete

Völ-

Völkerſchaften auf den Hals ziehen, als ſeine Illuſtrem, felicem, magnificam, atque invictam nationem Slavorum gegen E. H. durch ſeine tollkühne Anrede aufhetzen. Und wie kann in der Wahrheit eine ſolche boßhafte Aufhetzung nutzlich oder nothwendig ſeyn? Sie iſt in ſich ſelbſt ſtark und kräftig genug ſich wider alle Angrieffe zu vertheidigen. Nur Grobheit, Dummheit, und Lügen blaſen Lärm, und ruffen alles zu Hülf, wann ſie nicht wo aus, und ein wiſſen. LUCIFER.

Unſerem rechtſchaffenen, und mit den ihm ſowohl anſtehenden Wiſſenſchaften begabten Adel, wird er auch durch das ihme aufgebürdete Alterthum ſeiner Geſchlechter aus fabelhaften Erzehlungen nicht auf ſeine Seite bringen, welcher vielmehr dieſe ihme niemahls aufgetragene Vertheidigung als das häßlichſte Abendtheuer verabſcheuet.

Nur wahrlich gelährte von Vorurtheilen befreyte Männer, ſo niemahls die Wahrheit, oder gröſſere Wahrſcheinlichkeit denen Erzehlungen ihrer alten Kinds-Wärterinen nachgeſetzet, ſind die Richter E. H. unſerem Vaterlande ſo viel Ehre bringenden Werks. Nicht ein Novaliſta Pragenſis, alle auswärtige und inländiſche Gelährte, denen E. H. Werk in die Hände gekommen, loben es, ſehen es als die beſte Geſchichte unſers Vatterlands an, beeyffern ſich ſolches zu haben, zu leſen, und zubegreiffen. Was kann Ihnen das Gehäule dieſes Wittigen ſchaden, brechen ſie ihme aber die Zähne aus, damit er ſie zu beiſſen nicht unterfange.

In einem Lande wo die Critiſche Wiſſenſchaft noch nicht in vollkommenen Flor iſt, ſondern nur zu blühen angefangen, muß man an meiſten derley unbeſonnene zuruckzuweiſen ſuchen. Fahren E. H. auf die wahrhafte Gelehrſamkeit, und der wahrlich gelehrten gegründete Beurtheilung in Ihren Eyfer, und Einſichts vollen Fleiß fort. Kleine faſt unſichtbahre Mackeln erheben das ganze Schöne in allen menſchlichen Dingen. Die jetzige gelährte Welt, und alle Nachkommen in unſerem Vaterlande, werden den Werth E. H. Werke, Beleſenheit, reiffe Beurtheilungs-Kraft und Fleiß erkennen. So wie ich jetzo bin, und allemahl mit der ausnehmendeſten Achtung ſeyn werde.

Vom Hauſe.

Den 15. Octob. 1765.

LUCIFER. Altera, quæ Vienna a Viro ut Nobilitate, ita Regio munere inclito ad me ſcripta eſt, ſic habet:

Wenn der Lucifer nicht ſo geſchimpfet hätte, könnten Eu. H. deſſen unnützige Arbeit ganz gleichgültig anſehen; doch verdienet er mit ſeinen elenden Beweiſen mehr lächerlich gemachet, als im Ernſt wiederleget zu werden. Auch die jenige unſere Familien, welche vernünftig denken, werden ſich durch ſeine Anhetzungen wenig bewegen laſſen; und es wird wohl niemand ernſtlich verlangen, daß man ihm den vermeinten Beweis ſeines Adels von der erſten Einwanderung der Slawen her auf ſein Wort glauben ſolle, es mögen nun die Anführer dieſer Wanderſchaft mehrere, oder einer, Czech, oder wie ſonſt immer geheiſſen haben. Die abgebrennte Landtafel, auf welche ſich viele, wenn ſie nicht weiter können, zubeziehen pflegen, kann doch in ſo gar alte Zeiten, als ſich mancher einbildet, nicht hinauf gereichet haben, ungeachtet ſie von Hageken dem Urſprunge nach in ſo alte Zeiten geſetzet wird, da man wohl noch nichts vom Schreiben gewuſt hat. Eu. H. gelehrte Arbeiten, welche auch den Teutſchen und anderer Länder-Geſchichten in den entfernteſten Zeiten das gröſte und gründlichſte Licht geben, werden durch den verdienten Ruhm von allen Auswärtigen endlich auch einige Gegner und Neider in Böheim beſcheidener und gelerniger machen. Ich leſe dieſelben mit gröſten Vergnügen, ſo oft mir nur ein Viertelſtündlein übrig iſt, und finde, daß E. H. aus den Coævis omnium gentium nichts auſſer acht laſſen; nur wundere ich mich wie alle dieſe ſubſidia dorten haben zuſammen gebracht können werden, wozu ich für die weitere Zeiten aus der hieſigen Kaiſerl. Bibliothek alles dienliche beytragen zu laſſen möglichſt bedacht ſeyn werde.

Nolim poſtremo longiorem Illuſtriſſimi ac Excellentiſſimi D.D. Leopoldi Comitis Clari de Aldringen ſuæ Sac. Cæſ. Reg. Apoſtolicæque Majeſt. Conſiliarii Intimi & Actualis argumentationem, ſententiæque meæ adverſus Collegam tuum defenſionem ex ejus nuper recuſo Plutarcho redivivo repetere, qui profecto ipſe quoque hoc a te exaggeratum nobilitatis, atque proinde & vetuſtiſſimæ Proſapiæ ſuæ præjudicium nuſquam vidit, minus palpavit. Vides jam Lucifer qua mente ſit Nobilitas noſtra? ego vero ſtomacho tuo vires & patientiam opto, ut præſertim utramque recitatam epiſtolam rite concoquat. Qua in re tibi Vir Cl., prudentia morumque civilitate præpollenti, nullam partem eſſe deputo.

V.

V. Reſtat paragrapho unum aliquod Luciferi tui in me vibratum telum retorquendum: adducit ille inter cumulum authoritatum ſuarum recentiorum Martini Cromeri Varmienſis Epiſcopi ex Orig. & geſtis Polon. l. 1. c. 16. teſtimonium de Czecho & Lecho, atque cum ſarcaſmo ſubjicit: *Combinet B. L. cum hoc Cromeri textu Gelaſii in Prodromo ſ. 62. & 63. ubi ita: "omitto Krantzii, ac cum primis Cromeri argumenta quibus Czechi hiſtoriam impugnant &c. &c. & me hercle elephantem videbit volantem.* Quo tu Cromeri exemplari aut editione uſus ſis, ignoro, in tertia enim editione, quæ ad manus eſt, tua non lego; nolim novæ impoſturæ inſimulare Luciferum tuum artificiis iſtiusmodi aſſuetum; at illud certum eſt, ſi verbis tuis ex Cromero allatis omnem vim fidemque concedam, nihil me præter hanc mentem Cromeri uspiam in Prodromo meo attuliſſe, ut procul dubio Lucifer tuus lucernæ ſuæ non tam onere quam tædio laſſus indormierit, ac per ſomnium illum *volantem elephantem* viderit, ex ipſoque ſomno Lectorem inclamaverit, ut ſecum hoc portentum volatus elephantici intueatur. Nuſpiam enim ego aſſerui Czechum a Cromero fuiſſe negatum, ſed hiſtoriam illius, nempe tempus, fugam ex Croatia, adventum in Boemiam aliaque fuiſſe impugnata, hoc verba mea hac pagina volunt, cum ajo *Czechi hiſtoriam impugnat.* Nam cum prius retuliſſem authores, qui ſimpliciter Czechum negant, dein ſubjungo eorum nomina, quibus circumſtantiæ loci, temporisque minime credibiles viſæ. Explico hanc mentem meam circa Cromeri ſententiam clarius eodem Prodromo pag. 143. dum ajo: *Quare merito Cromerus pleraque circa Czechi, Lechi, & Ruſſi principatum egreſſumque e Croatia pro anilibus fabulis habet.* Et pag. 156. *Nolim ego hic eam dubitationem de Czechi e Croatia egreſſu, quam tribus capitibus Cromerus complexus eſt, recoquere.* Ut itaque falſo mihi affingas *volantem elephantem*, ſeu mendacium quodpiam ſcriptis Cromeri adverſum. Cæterum fluctuationes Cromeri circa Czechum Lechumque, nemo non agnovit, qui ejus libros meditate legit, mentemque illius in his rebus exploravit, at Lucifero tuo nonniſi verba venari præterita vera mente authorum, eſt in amoribus. Audi clariſſimum Aſſemanum germanam Cromeri mentem compendio exprомentem: (a) *Martinus Cromerius*, inquit, *lib. 1. c. 14. & ſeq. quum Æneæ Silvii aliorumque opiniones retuliſſet aſſerentium e Croatia ſive Pannonia Slavos in Poloniam migraſſe; oſtendit primo fabuloſum eſſe quidquid de Polonis & Bohemis e Zecho & Lecho*

LUCIFER. Pag. 142.

(a) Aſſeman. Kalend. univ. Eccleſ. T. I. p. 275.

LUCIFER. *cho, filiis aut nepotibus Javani, aut certe ex propinqua poſteritate ejus & Noe progenitis non multo poſt diluvium e Croatia ſive Pannonia in Bohemiam & Poloniam commigrantibus traditur &c.* Nempe Cromerum

. . . . Anceps æſtus incertum rapit.
Ut ſæva rapidi bella cum venti gerunt,
Utrinque fluctus maria diſcordes agunt,
Dubiumque pelagus fervet, haud aliter cor (Cromeri) *fluctuat* (a)

Pag. 149. Illud poſtremum hic ſit ad te monitum, ne novum nobis patrium hiſtoricum Franciſcum Koniaſs L. B. de Widrzi, patronumque Czechi tui affingas, *hiſtoria* illa *Ducum & Regum Bohemiæ*, quam jactas, eique tribuis, nec mihi, nec ulli hominum eſt cognita. Balbini ille Decadis 1. librum ſeptimum, quo de Ducibus & Regibus Bohemiæ tractatur, anno 1735. ſolum recudi fecit, ſuisque Theſibus Philoſophicis adnexuit. Inſpice, & melioribus poſthac oculis utere, verba enim Balbini ſunt non Koniaſſii eodem commemorato libro 7. c. 1.

Ad §. XVI.

1. Cum in acervandis recentiſſimis Czechi teſtimoniis manum fatigaſſes, pennamque hebetaſſes, ad veterem lyræ tuæ cantum redis: *Unus*, ingeminas, *pro mille eſt nobis Hagekius patriæ hiſtoriæ conſultus.* Sed quare tibi Hagecius *unus pro mille?* procul dubio quia ſeu Czecho tuo contemporaneus fuit, ſeu quia ejus hiſtoriam ab oculatis auritisque teſtibus accepit? Mihi vero in hac vetuſtatis controverſia unus ſolusque Chriſtannus pro mille tuis Hageciis. Sed cur potior vel ipſo Chriſtanno tibi Hagecius, cur tantæ apud te auctoritatis & pretii? quia ille *ſcripſit*, inquis, *non pruritu aut privata inclareſcendi libidine motus, ſed perſuaſione ſummi Boemiæ Monarchæ Ferdinandi I. & privilegio ſingulari provocatus.* Hoc ſi ſe ita habere concedamus: modeſtiane & vacuus ambitu faſtuque animus (quem nunquam Hagecio diſputavi) certa & indubitata gentis noſtræ principia ei inſpiravit? an perſuaſio & ſtimulus Ferdinandi I. ſcriptis illius infallibilitatem infudit? Sed ubi unquam legiſti Ferdinandum perſuaſiſſe Hageko, ut Annales ſuos ſcriberet? laudat ille in præfatione ſua Henricum de Duba, Joannem Hodiegowsky, Petrum Bohdaneczky, Magiſtrum Brikcium exſtimulatores ſuos, nuſ-

Pag. 151. Pag. 52.

(a) Seneca in Medea. Act. 5.

nusquam Ferdinandum; imo clare in præfatione ac dedicatione illius leges non Hagecium a Ferdinando perſuaſione ac privilegio fuiſſe provocatum, ſed Ferdinandum ab Hagecio fuiſſe imploratum, precibusque interpellatum ad concedendam ſibi licentiam Annales ſuos prelo ſubjiciendi, ad exorandum privilegium, ne Annales ſui cum ſua typographique jactura in terris hereditariis Auſtriacis ab aliis ſecundis curis excuderentur. (a) *Scripſit* (ais ſecundo) *non ſub unius ſed trium maximorum, qui judiciis regni præerant, Catonum correctione.* Sed num hi tres Catones, ut erant authoritate graves, munere conſpicui, jurisprudentia ſpectati, etiam hiſtoriæ, & cumprimis Criticæ ſcientia erant illuſtres? Pridem, ut verbis tuis utar, hæc nucum putamina excuſſimus, cum oſtendimus hos tres Regni Proceres haud aliud quam Regios Cenſores fuiſſe, quales & hodie ab Auguſta noſtra deſignari ſolent, quorum id unum officium erat cavere, ne faſti Hagecii quidpiam contra bonos mores, religionem, civilem politicumque ſtatum continerent; rerum narratarum fides & veritas in medio relicta, quam probare ac propugnare ſolius Hagecii intererat. Nemo profecto Cenſorum iſtorum vel uno verbo laudavit Annales Hagecii, ſeu eos poſteritati commendavit, ſeu fidem ſuam & vadimonium interpoſuit; nudum illi nomen ſuum diplomati Ferdinandi ſubſcripſerunt, ut teſtatum facerent hos Annales jam repurgatos eſſe ab iis, quæ Ferdinandus in ſuo diplomate injunxerat, quæque delenda & expungenda eſſe juſſerat. *Scripſit denique* (poſtremo ais) *ex publico totius regni ſacrario, ſeu archivo, ex integris, ac, antequam comburerentur, regiis tabulis.* Et has paleas ſuis locis ventilavimus, cum Regiarum Tabularum initium, cauſas, materiemque diſcuſſimus. Non controverto Hagecium nonnulla poſteriorum temporum diplomata ex hoc regni ſacrario habuiſſe, at Czechi hiſtoriam in eo reperiſſe tantidem mihi perſuadeo, ac Americæ tum non compertæ Geographiam ibidem detexiſſe. Candorem Hagecii non impugno, LUCIFER.

(a) *Verba diplomatis vernacule ſcripti hæc ſunt:* Nos Ferdinandus . . . teſtamur his literis: quod Honorabilis Sacerdos Wenceslaus Hagek a Liboczan fidelis noſter dilectus . . . ad nos acceſſerit, Nobis innuens: quod Chronicon in publi- blicum emittere, & prelo committere intendat, ſimul Nos aſſidue ac ſubmiſſe obſecrans, ut animo revolventes ejus induſtriam . . . gratiam illi impendamus, ejus precibus benignam aurem præbeamus, decernamusque, ut quamprimum ejus libri impreſſi fuerint, nemo in Regno noſtro Bohemiæ, nec in aliis vicinis Imperii terris eos excudere aut vendere, ſine ſcitu & voluntate prætacti Wenceslai Hagek per continuos decem annos audeat.

LUCIFER. ſcripſit ille more ſæculi ſui, ſcripſit ea ætate, quæ ut Hanſizius ait *commentorum ut credendorum, ita gignendorum fœcunda erat*. Cui narrata ad lydium lapidem criſimque exigere adhuc in uſu non erat, quæ documenta omnia præter ſcrupuloſius examen exſcribebat. Nec dubito ſi Hipſchmannianus Codex jam tum inventus fuiſſet, inque Hagecii manus incidiſſet, nos hodie omnia in patriis Annalibus lecturos, quæ in illo inſulſiſſima comprehenduntur, præſertim ſi a nonnemine conſimili Lucifero tuo codicem hunc probatum intellexiſſet. Verum ſi te aliosque tui ſimiles hujusmodi turbulentæ putulentæque aquæ delectant, bibite ex illis quantum libet, quantum ad reſtinguendam ſitim veſtram neceſſe eſt, mihi ſane, iisque, qui exquiſitiori ſunt palato, diſſipiunt, nec ſapiunt aliæ aquæ quam fontibus & laticibus hauſtæ; nam

Dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ.

Pag. 153. Ceterum fruſtra fatigaſti calamum tuum, cum lectorem monuiſti in præfatione mea corrigendum eſſe annum Præpoſituræ Hagecii. Hunc numeri errorem ego multo ante vidi, nec ullus Lectorum tam imperitus, ut neſciat Hagecium ſæculo XVI. floruiſſe, atque idcirco in numero 6. ſphalma typographicum cubare. Cujuscemodi typographica ſphalmata ſi in brevi lucubratione tua venari, ac carpere libido eſſet, næ levis operæ negotium eſſet pro uno iſtiusmodi errore centum deriſui dare.

Pag. 154. II. Redis ad ſuperioris Paragraphi argumentum, aisque vetuſtiſſimas patriæ noſtræ Familias nonniſi unam ſpei ſuæ habere anchoram Hagecium. Næ peſſime a te hæc jacta eſt anchora in dubia incertiſſimaque hiſtoriæ patriæ incunabula, anchora tua nuſquam fundum terramque attigit, ſine pendula per aquas fluctuat. Hereditariorum enim nominum clypeorumque uſum cum Hagecio ſæculo jam ſeptimo affingere, perinde eſt ac typographiæ artem iisdem temporibus adſtruere. Oſtendi alias ſæcula & tempora, quibus utraque cœperunt. Ego vero locum illum percupidus ex Hagecio legerem, quo eas familias, quæ cum Czecho in Boemiam venere, enumerat, quasque ex diplomate Woracziczkiano recenſes. Primus ejusmodi rerum prolator non eſt Hagecius, ſed Paprocius, qui cum ex libris Erectionum aliisque genuinis vetuſtis monumentis Familiarum noſtrarum memorias profert, magno habendus in pretio, ubi in antiquiſſimis temporibus ſine teſte ad commenta vulgi, nominum ſimilium indicia, & etyma, conjecturas ſæculis illis repugnantes, confugit, ex tua ſupra commemo-

morata Critices regula merito eſt contemnendus. Nusquam legiſti in Mathia noſtro Boleluzkio (a) quale judicium jam ante unum ſæculum de hac Paprocii ſcribendi licentia tulerit? aurem adhibe: *Crediderim*, inquit, *Paprocium plures familias, quarum originem & fontes ipſos aſſequi non potuit, ad illam primam cum Czecho & Lecho transmigrationem reduxiſſe, & ejusmodi difficultates a ſe procul in Croatiam uſque abegiſſe.* Quis Paprocii incogitantiam non rideat, qui cum ſubinde ex nominis, primis patriæ ſæculis inventi, ſimilitudine principium familiæ defigit, nullo poſteriore hujus nominis per ſeptem imo octo ſæcula commemorato, tandem ad ſæculum XIV. aut XV. giganteo ſaltu tranſit, atque ex illo genuina familiarum monumenta detegit. Genuinus & ingenuus Nobilitatis character eſt: originis ſuæ limpidum fontem indicare, non conjecturis, fabulis, incertisque rumoribus inniti. An te latet, quanto rigore atque accuratione hodie nobilitatis probationes exquirantur? auſitne quispiam ad Czechum tuum ejusque adventum in Boemiam provolare? Leopoldus autem Imperator, aliique Reges Bohemiæ cum in Auguſtalibus ſuis dicunt, hanc vel illam Familiam cum Czecho veniſſe in Boemiam, haud aliud innuere volunt, quam antiquitatem iſtius eſſe familiæ tantam, ut primas patriæ memorias æquet, quæque credatur cum initiis Czechiæ cœpiſſe; quam prærogativam alicui ex nobilitate noſtra diſputare a me quam longiſſime abſit. Plerumque vero Auguſtales hanc familiarum antiquitatem indicare volentes *ad Czechi adventum* reflexere, quod ea iſtorum poſteriorum ſæculorum communis eſſet perſuaſio: Czechum conditorem gentis fuiſſe. Poſteriorum, inquam, ſæculorum, nam nullum mihi diploma regium vel ex ſæculo XV. & ante editum Paprocium produxeris, quod familiæ cujusdam originem a Czechi adventu repeteret. Quare querendum nobis merito cum Leibnitio: (b) *Conduntur remotiorum familiarum inſignium capita intra nubes incompertæ veritatis.* Quæ per fabulas quærere plus dedecoris quam ornamenti nobilitati adfert. *Præſtat*, inquit Weſtphalius, (c) *Genealogias neſcire, vel recenſere nullas, quam fictitias & commentitias.*

Cetera quæ verboſe magis operis tui amplificandi, quam cauſæ firmandæ ergo a pagina 155. perſequeris, quæque tanquam obſoletas & quinquies ſexiesque prolatas merces in forum venum adfers, ſuperioribus paragraphis locupleter ſimul & induſtrie excuſſimus, atque ſin-

(a) Math Boleluzky in Roſa Boh. c. 1. p. 27. (b) Leibnit. T. I. ſcript. Brunſvic. præfat. (c) Weſtphalius T. I. ined. monum præfat.

Lucifer.

LUCIFER. ſingulorum vitia remotis lenociniis deteximus. Id unum laconice adhuc commemorare volentes, quod hac ipſa pagina Lucifer tuus arro-
Pag. 155. gantiſſime jactat: me ſcilicet Petri Abbatis Aulæ Regenſis MS. Chronicon a te *non prius, quam flexo utroque poplite impetraſſe.* Quod vero quantumque idolum te effinxit Lucifer, ut tibi utrumque poplitem flecterem? Tune Vir modeſto cetera animo Sinarum regum ſupercilium æmulatus ſis, ut hoc inſolitum cultus reverentiæque genus minime nec muneri, nec virtuti, nec meritis tuis debitum a me expopoſceris? nec vetueris hoc jactantiæ dedecus publicis typis committere? Quid ego tibi Chronici cauſa, quod tuum non erat, & quod pridem mihi exſcribendum pollicitus fuit Prænobilis D. Stehlik de Czenkow, ad genua ſupplex accidiſſem? Quod res eſt, ingenue confitebor: Debeo
Pag. 156. humanitati tuæ, quam etiam in Prodromo meo prædicavi (quanquam tu prædicationem hanc tanquam ab homine nullius pretii profectam deſpicias, contemnasque) debeo inquam humanitati tuæ primam hujus Chronici notitiam, & ſi vis, debeo etiam illius exſcriptionem. Non deberem autem, ſi humaniſſimum hunc Virum non pluribus annis fruſtraſſes codice ſuo, atque velocius, quod ſuum erat, reddidiſſes. Stehlikii totum iſtud meritum eſt, non tuum, quemadmodum & poſterius, quod jam codice iſto e manibus tuis vindicato plena libertate utar. Nuſquam videris legiſſe Iſidori Peluſiotæ adverſus vitium jactantiæ monitum: (a) *Pietatis*, inquit, *ac juſtitiæ norma in eo ſita eſt, ut ea quidem, quæ recte ac ex virtute gerimus, occultemus.*

Ad §. XVII.

I. Pertingimus tandem ad Paragraphum tuum omnium poſtremum, quod Deo O. M. in acceptis referimus, cujus immortali beneficio ex tam cœnoſo tramite paulo poſt eluctabimur. His vero verbis
Pag. 160. Paragraphum hunc exordiris: *Quodſi quis ſcire ex me deſideret, quo tempore, quave de cauſa Bojohemi hujus quandam plagam cum delecta ſuorum manu Czechus ſubierit? ſepoſita qualibet fluctuatione apertum ſenſum meum habebit, ſi modo aut Kutheni, aut Hageky epocham mecum probare non renuit. Hæc enim ætas cum ipſa veritate hiſtorica admodum congruit, noſtrorumque veterum ſcriptorum caligini fulgentem lucem adſert, neque monſtra illa difficultatum, quæ ex Balbino & Jordano Cl. Gelaſius accumulat, ſententiam hanc terrent*

(a) Iſid. Peluſiota l. 3. epiſt. 162.

terrent, quin etiam adjuvant. Næ perobſcuram aut plane nullam lucem *veterum ſcriptorum caligini* attulit Lucifer tuus, qui fatuarum illarum Virginum errore oleum prudentiæ in vaſis ſuis accipere neglexit, cui cum lampas ſua jam defecit, fruſtra oleum venale in Hagecii aut Kutheni taberna quæſivit. Quid autem mea *monſtra difficultatum*, quæ facile quinque paginis in Prodromo complexus ſum, quibusque oſtendi nec multo ante, nec longe poſt Attiliana tempora Slavorum in Boemiam viciniasque ingreſſum defigi poſſe, non debellaſti? Procul dubio illa ſola commemoratione & obtutu Luciferi tui exterrita evanuerunt? Mira profecto epocha! quæ ſive ſæculum III. ſive VII. reſpiciat, pura, indubia, & omni fluctuatione vacua eſt. Expecto cupidus elucidationem tuam, qui hanc Hagecii Kuthenique epocham conciliabis cum ſæculo III. quo jam Slavos non modo in Bohemia commoratos, ſed Czechorum etiam nomen geſſiſſe ſupra affirmaſti, cum Rad. I. Reflexione I. §. I. diceres: *Hæc propoſitio*: "*ego ſum Boemus*, Gá gſem Cžech," *ante quatuordecim, & fortaſſe plura ſæcula non aliter Slavice exponi potuit.* Unde hoc Czechorum nomen hos Slavos Boemiæ ſortitos ſtatuis? an a Czecho tuo, qui ſæculis pene quatuor ſerius ex Hagecii & Kutheni ſententia venit in Boemiam? Quid hæres? quid reſponſurus? niſi quia primi illi Slavi Boemi paſſim aruſpicum & nicromantarum nomine depinguntur a veterioribus, illi per vaticinium jam præſciverint: poſt quatuor ſæcula venturum in Boemiam Czechum, atque ab hoc ſatore ac conditore tam gentem quam regionem univerſam nomen & etymon ſuum inventuram? Verum qua ſocordiæ incogitantiæque expoſtulatione jam ſatis in vos primos Slavos Boemiæ animadvertat poſteritas, qui cum ſæculis pene quatuor hac regione ſediſtis, cum eam inveniſtis, coluiſtis, municipium ac civitatem acquiſiiſtis, inventorum, conditorumque honorem ac prærogativam deſpexeritis, eamque profugo, & parva manu ad vos confugienti Czecho ceſſeritis, ut non modo obliterato veſtro veteri nomine novum ab illo aſſumpſeritis, ſed illud etiam ad veſtra virtute partam integram provinciam derivari paſſi ſitis? *At vero* (ait Lucifer) *confidenter aſſerimus magna parte Boemiam præſertim borealiorem ex mente Coſmæ reliquorumque ſcriptorum fuiſſe incultam habitatoreque vacuam.* Itane *borealior* tantum Boemiæ pars ex mente Coſmæ fuit inculta & habitatore vacua? quam ſedulo legiſti Coſmam? aut quam fideliter eum refers? An non is de univerſa Hercynia ſilva loquitur? an non de primo omnium habitatore, antequam aratrum terram tetigiſſet? Igitur ſi ante Czechum tuum Slavi jam alii tenuere

Marginal notes: LUCIFER. — Pag. 19. — Pag. 161.

LUCIFER. Boemiam, quomodo ille conditor, authorque gentis? quid ad hanc novam ſententiam tuam repoſiturus Hagecius, contra cujus mentem quidpiam ſcribere crimen violatæ Majeſtatis Ferdinandeæ alias obtendiſti? qui autem? & qua ſtirpe fuere Slavi illi, qui ante Czechum Boemiam tenuerunt? ſi Czechi, ut tu vis, jam tum appellari, an non forte Zecchi mei, quos a palude Mæotydis & Ponto Euxino non quidem ſæculo III. ſed V. huc immigraſſe docui? Sed necdum hic dubitationum finis. Urgeo itaque: ſi jam ſæculo III. Slavi ſedere in Boemia ejusque viciniis, ubi igitur ſedere Marcomanni, Quadique, quos ex vetuſtiſſimis authoribus tum ſupra, tum in Prodromo probavi multo poſterius adhuc Boemiam & Moraviam incoluiſſe? An Slavi tui fuere permixti Marcomannis? at minime, cum nonniſi *borealiorem* plagam ab iis habitatam dicas, ceteram ſolitariam ſilvoſamque? An Slavi hi Marcomannos tam potentes ejecerunt? explica, explica nobis, qui Magiſter hiſtoriæ audire vis, hoc enim ſcire convenit diſcipulos tuos, hanc quæſtionem tam perplexam elucidari maxime intereſt Hiſtoriæ patriæ. Nolim te aliis difficultatibus obruere, & quærere, quomodo Slavi tam parvo numero ſæculo VII. cum Czecho immigrantes jam cum Dagoberto potentiſſimo Francorum Rege bella gerere auſi ſint? quo pacto jam ſæculo VI. exeunte, & antequam Czechus Boemiam intraſſet, pares fuerint tantæ multitudini, ut integras colonias ad fundandas novas reſpublicas Croatarum, Dalmatarum, Serviorumque transmiſerint? Putasne dentes tibi tam acutos eſſe, ut hæc retia perrodant perrumpantque, aut alis perfringas?

Ipſa ſibi pennis plaudit dum Chaonis ales
Accipitri indicio proditur ipſa ſuo.
Qui vires magis oſtentat, quam queis ſciat uti,
Hoſtibus haud aliter prodita præda venit. (a)

II. Nihil proficio, Lucifer tuus epocham Kutheni aut Hagecii ſtabiliturus ad novam Czechi e Dalmatia immigrationis cauſam nemini hactenus auditam provolat, eamque ex Porphyrogeniti de admin. Imp.

Pag. 161. c. 31. repetit. Verba illius ſunt: *Iſtud plane erat tempus, quo & Abbares, & Slavi a Crobatis e Dalmatia fuerunt ejecti, & Heraclius Imperator Roma per legatum Sacerdotibus accerſitis, conſtitutoque ex ipſis Archi Epiſcopo, presbyteris, & diaconis Crobatos baptizavit.* An non omni jure ac merito hic

(a) Batillius Embl. XIX.

hic tuam plenam civilitatis cenſuram in te detorqueam: *Non nempe eſt datum noſtro ſcriptori genuinos authorum nobis ut promat textus?* Itane Porphyrogenitus c. 31. dicit *& Abbares & Slavos?* a Chrobatis e Dalmatia ejectos? ipſum Porphyrogenitum adverſus te ſtantem teſtem audiamus. Is poſtquam copioſe c. 30. narraſſet, quod Abares (quos aliter Hunnos dictos fuiſſe hactenus univerſus ſenſit literatus orbis) latinos ſeu Romanos Dalmatiæ coloniam a Diocletiano iſthic conſtitutam viciſſent, ac in oras maritimas ejeciſſent, narrat deinde Abaribus ſuperveniſſe Chrobatos. Verba illius ex ordine rerum & hiſtoriæ ſunt: *Chrobati vero tunc habitabant ultra Bagibaream, ubi nunc ſunt Belo-Chrobati. Una autem generatio, nempe quinque fratres Clucas, Lobelus, Coſentzes, Muchlo, Chrobatus, duæque ſorores Tuga & Buga, una cum ſuis populis diſcedens ab ipſis, in Dalmatiam venit, ubi Abares incolas invenerunt, belloque per aliquot annos inter eos geſto vicerunt Chrobati, Abarumque alios quidem interfecerunt, alios vero parere ſibi coegerunt, atque ex illo tempore a Chrobatis poſſeſſa hæc regio, ſuntque etiamnum in Chrobatia Abarum reliquiæ, & Abares eſſe cognoſcuntur.* Capite vero 31. ſcribit: *Atque hi ipſi Chrobati ad Romanorum Imperatorem Heraclium confugerant, antequam Servii confugiſſent ad eundem Imperatorem Heraclium, quo tempore Abares armis inde Romanos ejecerant, quos Roma adductos Diocletianus Imperator illic habitare fecerat, unde & Romani nuncupati ſunt, quod Roma venientes ſedes poſuiſſent in illis regionibus, nempe Chrobatia & Servia, uti nunc vocantur. Pulſis vero Romanis illis ab Avaribus tempore ejusdem Romanorum Imperatoris Heraclii deſolata eorum regio jacuit, quapropter juſſu hujus Imperatoris iidem Chrobati armis arreptis Abares ex illis locis expulerunt, & in ipſorum terra, quam etiam hodie tenent, ſedes collocarunt.* Ubi his locis, aut alibi Porphyrogenitus vel verbo meminit, quod ante adventum Chrobatorum in Dalmatiam præter Abares iſthic Slavi ſederint, cum Lucifer tuus tam audacter ad eum provocans dicat: *Et Abbares & Slavi?* An non ille tam ejectos, quam victos ſubjugatosque ſcribit, cum ait: *Abarumque alios quidem interfecerunt, alios vero ſibi parere coegerunt, ſuntque etiamnum* (ſcil. anno 949.) *in Chrobatia Abarum reliquiæ, & Abares eſſe cognoſcuntur?* Si igitur tum a Chrobatis ejectus Czechus tuus, quid reſtat, quam ut Avarum, coloniamque illius Abares fuiſſe ſtatuas? Næ tu Lucifer nos Czechos jam gente Hunnos facias, poſteaquam omni loco ſupra nos inter Tartaros cenſuiſti? Porro ſi fortaſſis hi ipſi Abares Slavi tibi ſunt, itaque Slavi Slavos ejecere ex Dalmatia? quis ante te iſta docuit? proſpice vero ſimul quanta literarii belli moles in te incubatura ſit, quantumque om-

LUCIFER.

Pag. 121.

nium

LUCIFER. nium ſcriptorum Hungaricorum in te executurus ſtylum, qui hos Abares ſtirpe Hunnos faciunt, gentique ſuæ vendicant. Inſpice vel Annales eruditiſſimi Viri Georgii Pray S. J. & lecturus, quam validis cuneis eorum elidat ſententiam, qui Abares hos Slavicæ ſtirpis fuiſſe ſuſpicati ſunt, de quo ipſo argumento maxime prolixa ejusdem doctiſſimi Viri ad me data epiſtola in manibus meis eſt. Reliqua Porphyrogeniti narrationis capita excutiamus, ut quanta veritate hic tuus Czechi e Dalmatia ſub Heraclio Imperatore egreſſus nitatur, penitus enervetur. Quo loco dicit Porphyrogenitus eam Chrobatorum generationem ſediſſe, antequam in Dalmatiam transmigraſſet? nunquid in *Belo Chrobatia*? a quibus vero contribulibus ſe ſejunxiſſe, nunquid a *Belo Chrobatis*? Jam ſi hæc Chrobatorum generatio eodem Porphyrogenito teſte habitavit ultra *Bagibaream*, ſeu hodiernam Bavariam? ſi Chrobati iſti *commorabantur verſus Franciam*, ſeu hodiernam Saxoniam? *ſi paruerunt* (ſæculo X.) *Ottoni Magno Franciæ? ſi frequentibus Francorum incurſionibus infeſtati*? ſi *Slavi Serblis*, ſeu *Sorabis contermini* fuerunt? ſi *ultra Turciam* ſeu Hungariam, *prope Franciam coluere*? ſi *ulteriora Turcis tenuere in loco ab illis Boici nuncupato*, *cui finitima Francia eſt*, ut verba hæc omnia Porphyrogeniti ſunt, quæro jam ex te, ubi hi Chrobati, qui novam in Dalmatiam deduxere coloniam, quique iſthic Abares ſubjugavere, ſederint? ſi mihi diſputes ipſos non ſediſſe in ipſa Bohemiæ tellure, at ſaltem non inficiaberis eos in aëre ſupra Bohemiæ tellurem habitaſſe, ut mecum noviſſime ſentit Gallus author Peiſſonel, (*a*) nam ego inter Hungariam, Bavariam, Saxoniam, & veterem Sorabiam ſeu hodiernam Miſniam & Luſatiam [illegible] regionem novi, quam Boemiam, nullum aliud clima quam Boemicam, ego nullos alios populos novi, qui *Boici* ſeu *Bagizi* & *Boiſci* a Græcis dicti fuiſſent, quam Boemi? Hos ipſos ſcio ſub Boleſlao noſtro ab Ottone Magno anno 936. ac ævo Porphyrogeniti victos ſubque tributum rur-

(*a*) Les Chrobates étoit venus du Nord de la Boheme & de la Pologne, pays où la langue Sclavone eſt le plus en vigueur, & où certainement ils ne l' ont pas raporteé d' Illyrie, piusqu' il eſt manifeſte par l' hiſtoire, qu' ils ne ſont plus retournés du midi au Nord. *Per Polonos autem veteri ſignificatione intelligit author Sileſios. Sic enim ille poſtea:* Porphyrogenete y met auſi les Chrobates non baptiſés, qui devoient être les Sileſiens, les Boïens & les Bohemiens d' aujourd'hui. *Peiſſonel Obſervations hiſtoriques & Geographiques. c. 3. p. 53. Rurſum pag. 77.* Ces Serviens etoient auſſi du nombre de ces Sclavons etablis au dela de monts Crapaks, mais plus vers l' occident, que les Croates, & du coté de la Boheme.

rurſum redactos, ut ex vetuſtiſſimis monumentis in Annalibus meis P. III. p. 655. docui, hos ipſos ſcio frequentibus Francorum incurſionibus perpetuo infeſtatos, hos denique ex patriis noſtris Annalibus ſcio: crebro *cum Turcis* ſeu Hungaris (ut inquit Porphyrogenitus) *affinitatem & amicitiam contraxiſſe*. Jam qui vel mente conſequaris, ut Avares ex Dalmatia expulſi eodem puncto temporis dici poſſint conditores gentis noſtræ, quo gens noſtra tam potentem coloniam ad eos ex Dalmatia ſeu expellendos ſeu ſubjugandos ſuppeditavit? qui Bohemia tum deſerta & habitatore vacua dici poteſt, cum Porphyrogenitus ejus habitatores Belo-Chrobatos dicat *quaſi terram magnam poſſidentes*? unamque ex illis generationem ſeu tribum & familiam parem fuiſſe ad Avares in Dalmatia ſubigendos, imo novam rempublicam Slavicam iſthic fundandam? Nunquid igitur Slavi Boemiæ jam tum populo tantum abundantes Czecho tuo a popularibus ſuis e Dalmatia ejecto, imperium totius regionis tam vaſtæ ceſſerunt; gaviſique ſunt ab illo ſe Czechos appellari? Jube, jube tympanotriben tuum rurſum aera quaſſare ſtrepitu ſuo, & ſtragi, cladique opinionis tuæ magno murmure applaudere. Tanti haud majoris reputanda eſt altera emigrationis cauſa e Dalmatia, quam Czecho tuo affingis, cum ais: *Lapis offenſionis & calcar illi fuit religionis Chriſtianæ, idololatriæ e diametro oppoſita, inter Croatas auſpicium.* LUCIFER. Pag. 162.

> *Cerdones iſthæc credant, pueriquе fabrorum,*
> *Quique locant humeros; omnis muliercula demum,*
> *Quæ neſcit legere, & nulli eſt addicta Togato.* (a)

Perinde atque ſi Dalmatiæ Slavi ab Heraclio vi ad ſuſcipiendum baptiſmum Chriſtique Sacra fuiſſent compulſi, aut poſt ejus imperium etiam ſæculis duobus permagnus gentilium Slavorum numerus iſthic non perſtitiſſet. Lege meditatius integriusque Porphyrogenitum, & invenies Slavos mox primis annis ſub Heraclio jugum excuſſiſſe, & ſub Baſilio Macedone, ac temporibus SS. Cyrilli atque Methudii demum maxime regionum harum incolas ad Chriſti caſtra transvolaſſe. Sed quid hæc thura, hæc thymiamata Luciferi tui haræ incendimus, quid tanta contentione ei tot veritates hiſtoricas objicimus, qui nonniſi affutiis, fabulis, nugisque ſaginari ſolitus, cui ſua ſomnia omnium veterum teſtimoniis potiora ſunt, qui quanquam neſciat ſe ſe tot erro-

(a) Lucius Sectanus Q. fil. ſerm. 3.

LUCIFER. res fallaciasque, quot pene apices ſcripſiſſe, tamen hiſtoriæ veritatisque oraculum audire vult, ne dicam adorari. Nempe & ille unus ex iis de quibus Seneca: *Multi ad ſapientiam pervenire potuere, niſi ſe jam crederent perveniſſe.*

Pag. 163. III. Illud jam dubiorum tuorum Vir Cl. extremum eſt: *Quis credat*, inquis, *Slavos Hungariæ, qui ex recepto tum noſtrorum tum exterorum ſcriptorum ſenſu Slavorum Boemorum dicuntur eſſe colonia, non debuiſſe nominari Zingos, ſi peculiari nomine dicti eorum noſtrique parentes fuere? eadem enim facilitate, qua Zingi iſti nomen ſuum in Bohemiam intuliſſe dicuntur, extuliſſe quoque aſſerendi forent.* Nimium obtuſo lumine eſt lucerna tua mi Lucifer! detrahe ſuperfluum lychni, ut clarius videamus, quid velis, nam mihi meræ tenebræ obverſantur oculis, ut quo collimes, haud cognoſcam. Quos tu illos *Hungariæ Slavos* intelligis, *qui ex recepto tum noſtrorum tum exterorum ſcriptorum ſenſu Slavorum Boemorum dicuntur eſſe colonia*? Cis- an Transdanubianos Slavos? Transdanubianos Slavos Hungariæ, Boemorum coloniam eſſe, nuſquam me in aliqua hiſtoria ſeu vetere ſeu recentiore legiſſe memini. Moravos olim ibidem ſediſſe, eoque regnum ſuum protendiſſe in Annalibus meis docui probavique, nullusque dubito eos, qui hodie ibidem ſuperſunt Slavi, Moravorum reliquias eſſe, quod ipſi Hungarici ſcriptores affirmant. Si Cis-danubianos Slavos, eosque qui Croatiam, Slavoniam Serviamque, aut etiam Dalmatiam incolunt, intelligis, Boemorumque coloniam admittis, Czechum tuum ad umbras remittas, neceſſe eſt; eos enim eo ipſo Heraclii imperio, quo Czechum tuum abhinc in Boemiam aſcendiſſe comminiſceris, ex Boemia in has regiones immigraſſe tum ſupra tum alias crebro ex Porphyrogenito docui, ut niſi ſolem pro luce tenebras ſpargere affirmare velis, concedendum tibi ſit: illos gente noſtra poſteriores eſſe, ac proinde inter paradoxa referendum eſſe Czechum tuum ex his regionibus in Bohemiam veniſſe, novæque reipublicæ Slavorum fundandæ primum lapidem jeciſſe. Verum incredibile tibi videri ais, ſi Slavi hi *Zingi* in Boemia appellati ſunt, ut non nomen iſtud etiam in Hungariam ſecum intulerint. Nuſquam ego vero dixi gentem noſtram *Zingos* appellatos fuiſſe, patrio & vero nomine illi nusquam aliter quam *Zecchi* ſeu *Zegi* audiebant. Scriptorum diverſorum Græcorum latinorumque interpretum ea oſcitantia & vitium eſt, quod nomen iſtud barbarum Slavicum ſibi non exacte cognitum varie detorſerint, cujus oſcitantiæ detorſionisque cauſas plures in Prodromo noſtro ad oculum oſtendimus, quamvis tibi

bi contemtim *grammaticationum* nomine veniant. Sed ut jam oſtendam, quod domeſticum theſaurum calumniatus ſis, & veſte tua ignem circumtuleris: Ediſſere nobis Lucifer, ſi *ex recepto tum noſtrorum tum exterorum ſcriptorum* ſenſu certum eſt Slavos Hungariæ (quosquos demum ſeu Cis-Danubianos ſeu trans-danubianos facere libuerit) coloniam noſtræ gentis eſſe, cur illi *Czechorum* proprium nomen non quoque in Hungariam intulerint, cum mireris *Zingorum* nomen ab illis illatum non fuiſſe? Legiſtine aliquando *Czechos* quosdam Slavos in Hungaricis regionibus, aut ſcriptoribus? An illæ Moravorum in Hungaria reliquiæ, occupata per Hungaros regione imperioque in illos obtento, tamen Moravorum nomen retinuerunt, aut appellantur hodie? Ubi, ubi ego unquam docui Slavorum in Boemia gentem ex meris Zecchis conſtitiſſe? An non demonſtravi primitus plures nominibus diſcretas iſthic fuiſſe reſpublicas, quemadmodum idem indigitat Jornandes? An non adſerui, ſi non plures, ſane unam ceteris omnibus majorem potentioremque Bohemiæ Slavorum rempublicam Pragenſem ex veterum Zechorum Aſiæ ſtirpe ac gente fuiſſe conflatam, cujus Ariſtocratia poſtquam in Monarchiam tranſiit, ejusque Duces poſtea reliquos Boemiæ principes regulosque ſub ſuam poteſtatem redegiſſent, eveniſſe tandem, ut cum imperio Zecchorum nomen ad omnes ceteras Boemiæ provincias extenderetur? Nec celavi tempus, id veroſimillime Boleslaorum noſtrorum temporibus accidiſſe? Croatæ illi & Serbi, qui jam ſub Heraclii imperium Dalmatiam ejusque confinia Abaribus eripuerunt, omnino nomen ſuum intulerunt ex Boemia, atque illius limitibus. Nam ex Henrici diplomate oſtendi adhuc ſub Epiſcopatus Pragenſis finium deſcriptionem duas Croatarum ſeu Chorvatarum provincias & pagos in Boemia exſtitiſſe, oſtendi item ex Porphyrogenito, Serbos poſtea paſſim Sorabos dictos (a) finitimos fuiſſe Boemis. Quare autem Porphyrogenitus univerſam Boemiam veterem Belo- ſeu Velo-Chrobatiæ, & Boemos Belo-Chrobatorum nomine donaverit, habes in eo ipſo authore expreſſam cauſam, inde enim dicit: *Quaſi terram magnam poſſidentes.* Nam Græco-Barbarum *Beli* idem Lucifer.

(a) Sorabiam Srbiam & Suirbiam vocat Hermannus Contractus ad An: 934. & Monachus Pirnenſis in vita Viperti c. 12. de illorum vero origine & egreſſu ex Paludis Mæotydis confiniis his verbis Dubravius Hiſt. Boh. l. 1. *De Syrbis libro ſexto commemorat* (Plinius) *quoniam propius ad mæoticas gentes accedunt.* Et poſtea: *At Syrbi ſuperiore & inferiore Luſatia occupata, Luſatios nunc ſe appellant.*

LUCIFER. idem eſt ac Slavicum *Weli*, *magnum* connotans, ut in Prodromo explicui. Ceterum non omiſit Porphyrogenitus proprium vetus gentis regionisque nomen poſteritati tranſcribere, cum dicit *in loco ab illis Boici nuncupato*. Ita nimirum appellato a veteribus Bojis, quorum terras hi magni Chrobatæ atque Srbi occupavere. Quin autem Chrobatæ illi iidem ſint, qui Plinio l. 6. c. 7. dicuntur *Choatræ* olim veteribus Zecchis finitimi, nomenque iſtud quemadmodum Srbi & Zecchi ſecum in Boemiam atque inde in Dalmatiam attulerint, vix quidem dubitare velim. Qua in re me doctiſſimus Peiſſonel confirmat, qui *Coracem* fluvium barbare *Charvaſidum* appellatum ait, eoque nomine in tabulis ſuis æneis exprimit.

Pag. 163. & 164. Ceterum ad tuum veriſimilium contemtum laconice reſponſum habe: Veroſimilia pro monſtris tuis hiſtoriæ cum coævorum memoriis temporeque pugnantibus merito erudito orbi majori in pretio ſemper futura ſunt. Nam juxta regulam Juris 45. in ſexto: *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veroſimilius.* Primum poſt veritatem ſibi locum veriſimilitudo, tertium fabula, poſtremum mendacium vendicat. Et quanquam certis coævis teſtimoniis oſtendere non licuerit hos veteres Aſiæ Zecchos ſe immiſiſſe in Boemiam, tamen veterum indiciis demonſtravimus illo Hunnorum torrente ſimul abreptos, oſtenſum congruere tempus, mores, linguamque, congruere veterum de gente noſtra memorias, congruere vicinarum gentium immigrationem & geſta, enervata omnia adverſa tela, ut cum Livio dicere liceat: *In rebus tam antiquis, ſi quæ ſimilia veri ſunt, pro veris accipiantur.* Quo in argumento te denique monendum cenſeo, ut præter Honoratum aliosque Criticos legas doctiſſimi Viri Franciſci Mannhart Bibliothecæ domeſticæ Tom. X., quo reperies quantum pretium conjecturæ poſt auctoritatem deferendum ſit, & quibus illa limitibus regulisque circumſcribatur. Quarum illa numero V. hic potiſſimum ſibi locum vendicat: *Non eſt inter probabiles ſolummodo referenda hiſtoria, quæ nititur conjecturis adeo robuſtis, ut partem adverſam explorate convincat. Nam ſi hoc fiat, humano more quoddam certæ cognitionis genus efficitur.*

Pag. 164. IV. Ut contemtu conviciisque exorſus, ita maledico epilogo claudit opus ſuum Lucifer, quo virus omne quod adhuc viſceribus faucibusque continuerat, evomit. *Hinc tandem*, inquit, *producendum eſt Viri Clariſſimi ſuper univerſo Gelaſiano ſyſtemate judicium, qui dum nihil ad Slavos attinet, neque in terris Slavicis paſcua habeat, criſim adulationis facile ſuperat, en illud:*

Dum

Dum laudare cupit Czechiam dum ludere Czechum,
Nec malus eſt civis, nec bonus hiſtoricus. Lucifer.

En roſas quas poſtremo capiti meo inſpergit Lucifer. Rurſumne cum Juſto Lipſio auſim quærere, quis? quis ille Vir Clariſſimus, non extra ſed intra patriam *paſcua habens*, *&* *fruges conſumere natus*? ſane obſcuriſſimus, & tenebrifer, non Lucifer. Plagiarius inquam, qui hoc epigramma exſcripſit ex Actio Sincero Sannazario Neapolitano, qui in Poggium Florentinum ſimili aculeo uſus eſt. Mihi vero ſatis eſt teſtimonio hoſtis mei *bonum fuiſſe civem*. Si boni civis officia hactenus perſecutus ſum in ſcribendis meis operibus hiſtoricis, certe animus non defuit ad provehendam patriæ laudem & gloriam, quarum illa non omnium poſtrema eſt, ut concives mei tandem veriorem, fabuliſque expurgatam hiſtoriam habeant. Si fui malus hiſtoricus, non fui voluntate, aut animi vitio, ſed coævorum monumentorum defectu, nec tam mea quadam culpa, quam majorum noſtrorum fato, atque peccato, qui hæc initia patriæ poſteritati non tranſcripſere. (a) Nolui ego Luciferi tui oculis, aut tubis opticis uti, qui viſu ſuo longinque proſpicere aſſueti, etiam quæ ſæculis duodecim ante ſe accidere, noſſe ſe jactant; ego nonniſi res & tempora combinavi, eaque quæ a coævis, aut proximis eorum temporum notata reperi, cum hiſtoria patria conciliavi. At certe conabor, ut poſthac, quemadmodum bonus civis, ita bonus hiſtoricus vel adverſario meo audiam. Nam eluctati jam ſumus e cimmeriis Ethnicorum Ducum tenebris, & transmiſſa Annalium noſtrorum Parte tertia jam præclaris quibusque coævis ſcriptoribus fulcimur, e quibus poſthac puriores veritatis indubiæ aquas hauriet lector. Nos interea injuriarum obliti quamcunque vicem fortunæ noſtræ conſolamur verbis Divi Hieronymi: *Mihi ſufficit paucorum teſtimonium, & amicorum laude contentus ſum, qui in expetendis opuſculis meis amore noſtri labuntur.* (b) Denique moderatione Auſonii & Claudiani:

(a) *Peiſonel inquit de Slavis*: Qui n' avoient d' autre vertu, qu' une bravoure feroce, & d' autres occupations, que la guerre. Leur ignorance a repandu un nuage epais ſur leur hiſtoire, ils ont fait de belles actions, & n' ont jamais ſu les tranſmettre à la poſterité, nous ne connoiſſons d' eux que ce que d' autres nations nous en apprennent. *Diſſertation ſur l' origine de la langue Sclavone*

(b) S. Hieronymus epiſt. 31. ad Euſtochium.

LUCIFER.

Poſſum ego cenſuram Lectoris ferre ſeveri,
Et poſſum modica laude placere mihi.
Novit equus plauſæ ſonitum cervicis amare,
Novit & intrepidus verbera lenta pati. (a)
Orpheos alii libros impune laceſſunt,
Nec tua ſecurum te Maro fama vehit,
Ipſe parens Vatum princeps Heliconis Homerus,
Judicis excepit tela ſevera notæ. (b)
Interea arbitrii ſubiturus pondera tanti:
Optabo ut placeam, ſin minus, haud taceam. (c)

Tibi vero Lucifer quanto quanto ad infringendam alterius exiſtimationem comparato poſtremum illam Chriſtiano homine digniſſimam Ethnici, & quod majus eſt, Comici ſententiam dictam velim:

Eſt profecto Deus, qui, quæ nos gerimus, auditque & videt.
Is uti tu me hic habueris, proinde te illuc curaverit.
Bene merenti bene profuerit, male merenti par fuerit. (d)

Tibi denique Benevole Lector ſi videbor quandoque acerbius Luciferum ſatyrico ſale perfricuiſſe, memor eſto apes nonniſi quieti relictas mella fundere, irritatas aculeum exerere; de auſteritate itaque me tibi verbis Divi Gregorii Magni purgatum habe: (e) *Mentes aſperæ atque impudentes ſi increpatæ leniter fuerint, ad majores culpas ipſa lenitate provocantur . . . Mentes enim duræ, niſi aperta increpatione eſſent percuſſæ, nullo modo malum cognoſcerent, quod egiſſent. Nam ſæpe hi, qui impudentes ſunt, tantum ſe peccaſſe ſentiunt, quantum de peccatis, quæ fecerint, increpantur: ut minores culpas ſuas æſtiment, quas minor invectio caſtigat, & quas vehementer obiurgari viderint, majores eſſe deprehendant.*

Quod autem omnium merito poſtremum ſit: in brevi apoſtrophe ad Te Vir Cl. ad quem exorſa eſt, redeat, deſinatque Apologia noſtra. Æquanimitatem tuam etiam atque etiam obſecrando, ut ne aſperiora illa, quæ juſto doloris ſenſu perciti in Luciferum tuum exeruimus, in aliquam Tui exiſtimationisque labefactatæ partem trahas, quem uti hiſtoricæ veritatis ſtudioſum, ita ingenio ceteroquin comem

per-

(a) Auſonius in præfat. Ludi ſapientum. (b) Claudianus in Alethium Quæſtorem. (c) Auſonius loco c. (d) Plautus Captiv. Act. 1. Sc. 2. (e) Gregorius M. lib. 1. in Ezechiel. homil. 11. n 18. & 20.